


Pars Tertia
THEOLOGIÆ SPIRITUALIS FUNDAMENTALIS;
SEU
SCIENTIÆ SALUTIS,
Benè Beatequé vivendi
In
Tempore, ac Æternitate.
DE
CAUSA FINALI
Actuum Vitæ Christianæ:
ET
EJUS OPPOSITO.

AUTHORE R. P. FELICE SIMPLICI ŁACKI,
S. Theologiæ Professore, & Priore Monasterii B. MARIÆ V. de Olivæ, S. O. Cisterciensis.

Typis MONASTERII OLIVENSIS Sacri Ordinis Cisterciensis.
Imprimebat JOANNES JACOBUS TEXTOR.
ANNO M. DC. LXXXVII.

PARS TERTIA THEOLOGIÆ SPIRITUALIS.

PArs tertia, & Finis Theologiæ Spiritualis, tractans de Fine ſupernaturali, cui ſeipſam tanquam hujus Operis coronidem æquiùs deferret, niſi ultimo omnium Fini, DEO Ter Opt. Maximo? Et quidem ſpeciali proportione quadam Spiritui Sancto? Ipſe eſt enim tertia Sanctiſſimæ Triadis Perſona, ejusquè finis vel terminus. Quia verò reſpectu creaturæ, finis ſupernaturalis eſt amor, pax, gaudium, ſeu perfectio, ſanctitas, ac beatitudo ſupernaturalis, quæ quidem etſi indiviſim à tota Sanctiſſima Trinitate in creaturam derivantur, peculiari tamen titulo Spiritui ſancto attribuuntur. Licet enim Pater, & Filius ratione DEItatis ſunt & ipſi amor, ratione tamen Perſonalitatis non ſunt amor, ſed principium per voluntatem ſpirativum amoris, qui amor ſpiratus ſeu paſſivus eſt propriè Spiritûs S. ipſe amor Patris & Filii relativus, prout & per identitatem cum DEItate Spiritûs S. quà DEUS eſt amor abſolutus: DEUS quippe *Charitas eſt.* Deinde, quoniam amoris ſupernaturalis ſeu charitatis proprium munus eſt, hominem perficere, ſanctificare, (ſive ſit idem charitas quod gratia ſanctificans, ſive ejus proprietas principaliſſima) beatificare; cùm amoris, pax & gaudium actus vel effectus ſint: Proprietates verò, actus & effectus creaturarum ſimiles ſibi in DEO Uno & Trino reſpiciunt perfectio- *1 Joann. 4.*

 nes

nes & attributa: Hinc jure merito creatus amor, & ex illo consequens perfectio, sanctitas, beatitudo respectu operantis, ejusquè proximi: Tum gloria DEI, & Cælitum, quæ etiam est finis supernaturalis hominis, potissimùm ex amore intentus, suam relationem specialiter dicunt ad Spiritum S. tanquam ad Amorem Patris, & Filii, & finem Sanctissimæ Trinitatis: Ideoquè & hæc pars ultima Theologiæ amorosæ, de iisdem tractans, Spiritui S. sese totam dedicat & consecrat.

§. Imus.
De Fine Supernaturali.

FInis supernaturalis *Imo* dividitur in finem *Cujus* seu *Qui*, *seu propter Quem*, & finem, *Cui* & finem *Quo*. Finis supernaturalis *Cujus* est aliquid naturæ indebitum, & fide, vel alio lumine Divino naturam excedente cognitum, cujus gratiâ aliquid ab homine fit, v. g Gloria DEI extrinseca supernaturaliter cognita, & supernaturaliter promovenda, est finis Cujus supernaturalis, propter quam seu ejus promovendæ gratiâ homo permotus aliquid eligit ad operandum. Finis supernaturalis *Cui* est aliquid fide, vel alio lumine supercælesti, naturæ indebito cognitum, ipsumquè creaturæ quâ tali in suo naturali esse spectatæ improportionatum, qualis est v. g. homo gratiâ DEI elevatus ad statum filiorum DEI & jus æternæ beatitudinis, *Cui* nempe homini eadem beatitudo exoptatur. Finis *Quo* supernaturalis est aliquid superna revelatione cognitum, per quod tanquam medium finis *Cujus* fini *Cui* applicatur; ut v. g. Possessio beatitudinis æternæ est finis *Quo*, Quo inquam Beatitudo æterna ab homine possidetur.

Adverte autem juxta Suaretz ex utroque fine *Cujus* & *Cui* salvari posse propriam rationem Finis seu Causæ finalis; „ interdum verò itaquè conjungi, ut ex utroquè coalescat unus „ integer finis. Quia uterque horum finium potest per se ex„ citare voluntatem, & ab ea dirigi, seu intendi propter suam „ bonitatem: sic enim quando homo inquirit sanitatem, se di„ ligit, cui sanitatem vult propter suum commodum & perfe„ ctionem, quam per se appetit propter summam conjunctionem,

Ita Suarez Metaph. disp. 23. sect. 2.

nem, vel potiùs identitatem, quam secum habet. Similiter „ diligit & intendit sanitatem propter perfectionem ipsiusmet „ sanitatis. Unde fit ut totum hoc *Homo sanus* sit integer & ad- „ æquatus finis illius actionis, in quo prædicti duo fines inclu- „ dantur quasi componentes unum integrum finem.)) Cæte- „ rùm Spirituales ordinariè operantur propter suprà dictos tres fines, tanquam propter unum ex ipsis compositum finem supernaturalem: quia v. g. videretur sibi imperfectè operari, si operaretur tantùm propter Gloriam DEI præcisè, seu propter finem Cujus, ita ut hic (humano modo concipiendi loquor) nulla ratione quasi afficeret DEUM, seu finem Cui. Ratio est; quia finis Cujus seu Qui amatur amore concupiscentiæ, quia amatur alteri. Finis verò Cui amore benevolentiæ (seu amicitiæ propter se amatur.

Quoniam apud Philosophos de ratione finis Cui est, ut sit bonum amabile amore amicitiæ nempe propter se: jam verò apud Spirituales etsi finis Cui nimirum Personæ, Cui aliquod bonum supernaturale amatur, desideratur, intenditur sit amabilis propter suam bonitatem supernaturalem, vel naturalem aliquam perfectionem supernaturaliter cognitam; tamen ut hæc dilectio sit Charitatis, & intentio supernaturalis, illa persona *Cui* cum suis bonitatibus supernaturalibus & naturalibus, debet cogitari tanquam respectum habens seu pertinens ad DEUM, quòd sit aliquid DEI, id est juxta D. Thomam *ut participans summi Boni.* Et ita erit aptum objectum materiale, circa quod Charitas versari possit: quæ ex motivo formali Bonitatis Divinæ circa illud objectum, genuinum dilectionis proximi eliciet actum. Alioquin si bonitas etiam supernaturalis creata in Persona, eius amoris esset motivum, ille amor non foret procedens ex Charitate, quæ habet pro motivo aliquid increatum, non verò creatum. Porrò agendo hac tertia parte de fine supernaturali, illum ita volumus proponere, ut aptus sit pro objecto materiali veræ Charitatis, atque pro motivo intentionis supernaturalis. Denique in hac parte Theologiæ pro exigentia materiæ subinde eosdem tres fines supernaturales nos attingere, subinde duos, subinde unum, de quo Lectorem volumus esse præmonitum.

2da 2dæ quæst. 26. art. 4.

2dò. Finis apud Spirituales dividi poteſt in finem operis, & finem operantis; *Finis operis eſt*, dum v. g. comeſtio dirigitur in ſuum proprium finem, nempe alimentum hominis. *Finis operantis eſt*, v. g. quando homo eandem cibi ſumptionem & ſui alimentum dirigit in gloriam DEI.

3tiò. Finis dividitur in finem proximum, & remotum; *Proximus eſt*, qui immediatè propter ſe amatur: ut v. g. eſt beatitudo æterna. *Remotus* eſt, ad quem alter finis odinatur, ut ſi ordinetur eadem beatitudo ad gloriam DEI.

4tò. Finis dividitur in ultimum, & non ultimum. Apud Spirituales *non ultimus eſt*, quisquis ille eſt præter DEUM. *Ultimus finis Cui*, eſt DEUS; *Finis Ultmus Cujus*, eſt gloria DEI. Poſſe autem rectè ſubordinari finem proximum remoto, & non ultimum ultimo, unumquè propter alium intendi: Neque opus eſſe per proximos in remotum, & per non ultimum in ultimum progredi, ſed ſufficit immediatè ſiſtere in remoto, vel ultimo, manifeſtum eſt.

5tò. Finis dividitur in intrinſecum, & extrinſecum. *Intrinſecus finis* ad actus morales eſt honeſtus, ipſius enim honeſtas etiam habet rationem objecti formalis motivi, de quo alibi vide.
1. 2. q. 1, a. 3. Addo ex D. Thoma: Principium humanorum actuum in quantum ſunt humani, eſt finis, & ſimiliter eſt terminus eorundem. *Extrinſecus eſt*, qui ab opere, vel operante, realiter diſtinctus eſt, ut v. g. Gloria DEI eſt finis extrinſecus, quem intendere poteſt honeſtus actus moralis. Omiſsis aliis animadverſionibus, tum acceptionibus, & diviſionibus finis apud Scholâſticos, Finis ſupernaturalis includens ſuprà explicatos fines apud Spirituales Theologos alius eſt reſpectu ipſius Operantis, tum ejus Proximi in Via, & Patria; alius reſpectu Cælitum, alius reſpectu JESU, MARIÆ, JOSEPH; alius reſpectu DEI Ter Opt. Maximi, ab Operante tamen ejusquè Proximo iidem fines intendendi. De quibus modò reſtat agendum.

TRA-

TRACTATUS I.

DE FINE SUPERNATURALI HOMINIS, RESPECTU IPSIUS PERSONÆ OPERANTIS; AC EJUS PROXIMI; IN VIA, ET PATRIA.

AGemus hìc 1mò, de Fine Cui: 2dò, de Fine Cujus, respectu ipsius Operantis, ejusquè Proximi.

CAPUT I.

De Fine supernaturali *Cui* respectivè ad Operantem, & ejus Proximum, in Via, & Patria.

EJusmodi finis est ipse Homo operans, & suus Proximus, quatenus sunt amore supernaturali diligibiles, & digni, quibus intendatur finis supernaturalis *Cujus*, videlicet ipsis competens Gloria supernaturalis. Ratio est, quia sicut homo diligibilis est eatenus dilectione naturali, quatenus importat pro objecto dilectionis per lumen rationis proposita bona naturalia; ita idem homo diligibilis efficitur dilectione charitatis supernaturali, inquantum bonis naturalibus, donisquè supernaturalibus (lumine fidei cognitis & creditis) affectus, tanquam participans summum Bonum, pro objecto dilectionis proponitur, ut circa illud ex motivo charitatis amor eliciatur. Actus enim dilectionis pro ratione objecti boni efficitur ei proportionatus, cùm universaliter actus ab objecto suam sumat speciem, nec ordinariè potest esse major vel minor, similior vel dissimilior, quàm ratio proposita exigat sui objecti, nisi aliquid aliud obstet. Porrò de donis naturalibus hominis fide cognitis, & supernaturalibus Viæ, & Patriæ, agemus infrà convenientiori loco. *Tra. ult. sec. 2. In subs. 1. & 2.*

In Praxi, ut homo Seipſum, ſuumquè Proximum diligat amore charitatis ſupernaturali, per fidem proponere debet ſeipſum ſibi, & ſuum proximum, tanquam creatum ad imaginem & ſimilitudinem DEI, vel quatenus elevatum ad ſtatum ſupernaturalem gratiæ & beatitudinis æternæ ſaltèm per decretum extrinſecum DEI, aut quatenus redemptum ſangvine Chriſti, (ſi ſupponit ſe aut ſuum proximum eſſe extra ſtatum gratiæ) ſive ut Chriſtianum fidelem prout membrum Chriſti, (ſi ſupponit ſe vel ſuum proximum eſſe in gratia) tanquam elevatum ab intrinſeco per gratiam DEI ad viſionem beatificam, adeoquè tanquam Filium DEI adoptivum, amicum & heredem DEI, coheredem autem Chriſti; (tum ſi præter hæc communia, alia quoque ſpecialia dona DEI ſupernaturalia adverteris in proximo tuo v. g. in aliqua perſona ſancta & perfecta; propterea) ut talem ex motivo infinitæ bonitatis Divinæ diligere, ſibiquè & ſuo proximo quà tali intendere, optare finem gratiæ & gloriæ, agere pro incremento gratiæ, & felicitatis perpetuæ.

CAPUT II.

De Fine ſupernaturali *Cujus*, reſpectu Operantis, & ejus Proximi, in Via, & Patria.

HIc ſpecificatus finis eſt *Gloria* homini competens. Placuit verò eundem finem nomen claturâ Gloriæ inſignire; tum quia finem *Cujus* reſpectu DEI, Chriſti, Deiparæ, Cælitum, appellatione quoque Gloriæ intitulor; tum quia pertinentia ad finem *Cujus* commodè referri queunt ſub nomen Gloriæ; tum gratiâ facilioris & magis meritoriæ praxis formandi intentionem, dum ſub hoc brevi dicto: *DEUS, facio hoc ad Tuorum, & Tuam Gloriam*; comprehenſos intendit tot numero & omnes fines ſupernaturales *Cujus*, & ad eos penè innumera ſpectantia.

Gloria igitur ſupernaturalis homini conveniens, Alia eſt

Viæ, alia Patriæ. *Ad Gloriam Viæ* refertur *1mò.* Puritas animi à peccatis actualibus contractis; Puritas à reatu pœnæ; Puritas ab habitibus vitiorum, & imperfectionibus. Quia ficut in Gloria æterna ad perfectam beatitudinem requiritur amoveri omne prohibens impeditivum perfectæ beatitudinis: ita & in ftatu præfenti fpiritualis vitæ, repræfentativo illius perennis vitæ & gloriæ, tanquam difpofitione referente aliqualem fimilitudinem fuæ formæ, ad beatitudinem quanquam imperfectam, neceffaria eft præfata Puritas: quia & pœna peccati, & multò magìs ipfum peccatum, hominem à vera felicitate potiunda non modò prohibent & impediunt, verùm & actualiter miferum ac infelicem efficiunt. *2dò.* Ad Gloriam viæ pertinet Ornatus animi per gratiam, virtutesquè infufas & acquifitas, ac Dona Spiritûs S. Unde gratia, & ex ea promanans virtus à Theologis vocatur *Semen Gloriæ*, *Gloria inchoata.* *3tio.* Contemplatio DEI, & cum eo per Amorem Unio, ac Transformatio, eandem viæ Gloriam refpiciunt. Etenim per Contemplationem & Amorem DEI illa cæleftis Gloria hìc quoque in terris prægustanda Electis datur: Unde Dominus per Jeremiam inquit: *In hoc glorietur, qui gloriatur, fcire & noffe me.* Ex quo infert D. Thomas: *Ergo ultima hominis gloria vel beatitudo non confiftit nifi in cognitione* DEI. *Jerem. 9.* *D. Thom. 1.2. q. 3. art. 7.*

Porrò hæc tria, nempe *Puritatem*, *Ornatum*, *Contemplationem*, & *Amorem* cum fua Unione & Transformatione continet in fe *Perfectio Chriftiana*, & iftam *Sanctitas*, & hanc *Beatitudo* viæ. Unde fi illa tria pertinent ad Gloriam, quod manifeftum eft, etiam de Beatitudine viæ (quæ eft fimilis etfi modo imperfecto Beatitudini feu Gloriæ Patriæ) meritoquè titulari poffunt etymo *Gloriæ*; fequitur Perfectionem fupernaturalem, & Sanctitatem ad Gloriam pertinere, Gloriamquè dici & effe.

Sciendum verò eft Puritatem, Ornatum &c: differre inter fe, unumquè præfupponere aliud, & fuperiora aliquid adjicere inferioribus. Et ita Puritas præfupponitur ad Ornatum, illa fita eft in privativo peccatorum & vitiorum, hic in pofitiva qualitate gratiæ, virtutum, & donorum. Qui Ornatus licèt quoque includat aliquem Amorem, non tamen perfectam Con-

templationem & Amorem, ad quem Ornatus ille prærequiritur. Porrò Contemplatio & Amor perfectus cum Puritate & Ornatu, ipsa est Perfectio Christiana. Jam verò Perfectio differt à Sanctitate: quia illa principaliter respicit habitus acquisitos charitatis aliarumquè virtutum, quibus sit homo promptus & facilis ad operandum ex virtute; Potestquè contingere, ut sit quis perfectus (etsi non supernaturaliter) seu expeditus ad actus virtutum, non tamen esse in gratia sanctificante. Quam Sanctitas idquè in summis gradibus auctam principaliter respicit: neque potest esse sine Perfectione, seu habitibus acquisitis virtutum &c. quod intelligimus de Sanctitate speciali, non illa communi, quâ etiam infantes baptizati non carent, vel quæ est ordinaria inter pios homines & justos. Denique Sanctitas ad Beatitudinem prærequiritur, quodue plus hæc dicat præ illa, ex infrà dictis de iisdem patet.

Ad Gloriam Patriæ quid pertineat, seu quid & qualis sit, infrà videbimus: modò de Gloria viatorum explicanda per suas partes sequentibus agendum.

SECTIO I.

De Supernaturali Puritate animi à peccatis actualibus contractis, & habitibus vitiorum, ac imperfectionibus; Et de oppositis Puritatis; Tum de Puritate à reatu pœnæ.

§ 1mus.

Vide D. Thom. lib. 2. quæst. 86. V. Suarez de grat. lib. 7. c. 13. n. 28.

Puritas à peccatis mortalibus commissis, est *Privatio maculæ moralis, positæ in difformitate actûs à dictamine luminis rationis; tum est nitor infusæ gratiæ sanctificantis, excludens maculam peccati, physicè sitam in privatione demeritoria ejusdem gratiæ.*

Puritas à peccatis venialibus contractis, est privatio labis moralis consistentis in carentia levis difformitatis actuum ad lumen rationis, legemquè Divinam: tum in carentia amissæ per peccatum dispositionis ad majorem fervorem charitatis.

Puritas ab habitibus vitiorum, est privatio motuum & inclinationis ad defectus culpabiles. Ubi quoad habitus congenitos seu

 passio-

passiones animi, earum privatio (quatenus inclinant ad malum) intelligitur esse partialis, non totalis, nisi quibusdam ex speciali privilegio concessum fuerit. Quoad verò habitus acquisitos, hi plerumque in perfectis prorsus auferri possunt.

Puritas ab imperfectionibus est triplex. 1ma est Privatio defectuum inculpabilium in actibus virtuosis. 2da est Depuratio intellectûs à phantasmatibus, sinè quorum usu aliquis contemplatur DEUM. 3tia est Depuratio voluntatis ab omni Irretentibili etiam bono, quo, à meliori bono, mens irretita tenetur, nè illud efficaciter velit, id est actu ipso prosequatur.

Gradus Puritatis.

GRadus Puritatis à peccatis mortalibus, actualibus, præteritis, est unicus, situs in totali privatione maculæ peccati, seu gravis difformitatis actuum præteritorum ad lumen rationis, legemquè æternam, facta per conformitatem voluntatis (rectificatæ retractatione peccati, siue pœnitentià iustificante) ad lumen rationis, legemquè Divinam: Tum simulis gradus situs est in positione nitoris gratiæ justificantis, excludentis prorsus omnem labem peccati lethalis.

Gradus Puritatis à peccatis venialibus, itidem unicus est, positus in privatione labis peccati, seu levis difformitatis actuum ad lumen rationis, legemquè Divinam, per conformitatem pœnitentis voluntatis ad eadem: Tum in positione dispositionis ad maiorem fervorem charitatis.

Gradus Puritatis ab imminentibus peccatis lethalibus in Via Purgativa seu Incipientium est, si hæc non perpetrentur ex malitia, seu ex certa scientia. Altior est idem gradus, si caveantur peccata ex fragilitate, committenda. Altissimus, si nec ex ignorantia fiant.

Vide fusius de ejusmodi grad. suprà 1. 2. tra. 1. cap. 2. sec. 4. § 4. & 5.

Gradus Puritatis á futuris venialibus peccatis, in Via Illuminativa seuProficientium est, dum non committuntur ex certa scientia. Altior is gradus est, quatenus non fiunt ex fragilitate. Altissimus, si neque ex ignorantia contingant.

Gradus Puritatis ab imperfectionibus contrahendis in Via Unitiva seu Perfectorum est, quatenus non incurruntur ex certa scientia. Altior, si non fiant ex fragilitate. Altissimus, si neque ex ignorantia accidant.

Gradus & Judicia Profectus Spiritualis in Puritate à peccatis, collecti ex Asceticis Piissimi P. Lancicii.

Opusc. de grad. profect. in virtut. cap. 1.

1. SI homo nunquam cum plena deliberatione DEUM offendit.

2. Si nunquam etiam indeliberatè grave peccatum veniale voluntariè committit.

3. Si nec leviter venialiter peccat contra multas species venialium.

4. Si nec contra paucas species venialium sæpè delinquit, sed rarissimè.

5. Si etiam levia quæ periculosa sunt, nunquam committit.

6. Si nunquam in DEI cultu etiam venialiter peccat; scilicet in oratione, meditationibus, Divino officio, Sacro audiendo vel dicendo, administratione & susceptione Sacramentorum, & aliis functionibus sacris Ecclesiasticis.

7. Si etiam in rebus aliis & materiis nunquam talia venialia committit etiam leuia, quæ valde dedecent maturum & gravem virum; uti sunt mendacia, contentiones &c.

8. Si exteriùs nullum veniale committit.

9. Si quotannis saltèm unum aliquod peccatum veniale minuat.

10. Si quis minimum peccatum veniale maximi & pluris quàm antea facit, & eius emendatonem non differt & quodvis tanquam gravissimum vitat, & deflet commissum.

11. Si etiam peccata materialia cavet; ubi sunt ea, quæ culpæ non sunt, ob defectum solùm inculpabilem considerationis, seu ut Theologi loquuntur, ob defectum advertentiæ rationis: & ea quæ vocantur imperfectiones seu defectus; uti sunt distractiones involuntariæ, & indeliberatæ, & prorsus inculpabiles, agitatio digitorum inanis, seu ut aliqui appellant tympanizatio, masticatio festucæ, extremi cinguli aut rosarii vel benedicti numismatis rosario appensi rotatio, digitorum singulorum ad strepitum edendum instituta tractio, capitis non necessarius motus, manuum in familiari colloquio gesticulatio,

culatio, ex primo motu verba iracundè prolata, & his similia: quæ tamen & Philosophi morales, & Sancti magni olim improbabant; uti est in sedendo genu supra genu ponere, quod in S. Arsenio, duorum antea filiorum Imperatoris Magistro improbabant Patres, teste Methaphraste in eius vita, & S. Basilius & S. Vincentius damnant, & his similia. Christus enim Ecclesiam vult esse sinè macula peccati, & sinè ruga imperfectionum.

12. Si quoad ista quodammodo (moraliter loquendo) simus velut impeccabiles, id est ægrè, difficulterquè labamur in ea, in quæ nostra fragilitas, & vitæ huius conditio, post peccato naturam nostram vitiatam, pertrahit etiam quandoque perfectissimos, sed quasi nolentes.

13. Si quis etiam speciem peccati & signum fugiat, & deploret.

14. Si in peccatum lapsus statim culpam aboleat dolore, amore DEI, actibus contrariis, & cessatione à similibus peccatis.

15. Si quis non tantùm se à peccatis (modis suprà dictis) purgârit, sed ardenter quoque optet, & conetur modis, quibus potest, alios quoque ab iis esse vacuos.

Gradus & Indicia Profectus Spiritualis in Puritate à passionibus; desumpti itidem ex Asceticis P. Lancicii. *Opusc. de grad. profect. in virt. cap. 4.*

1. SI passiones naturales & si vehementer nos infestent, nunquam nos ad offendendum DEUM, vel proximum perducant. Cuius rei semper est periculum, dum passiones naturales commoventur.

2. Si non sint passiones vehementes, ut antea, sed mitiores; quæ etsi non ad peccatum, tamen in peccati periculum adducunt propter nostri perturbationem, aut incitationem: quæ si vehemens sit, etiam circa res exiguas & viles, valde obest profectui, nî comprimatur statim.

3. Si passiones etiam non vehementes raræ sint, & non frequenter involent, imò nè quidem inquietent, sed quasi speculativè exurgant, nullâ in nobis relictâ perturbatione.

4. Si

4. Si passionibus naturalibus, quæ aliàs nos ad mala disponebant, vel inclinabant, nunc semper ad bona tantùm utamur, & iis veluti gladio Goliath, naturæ vitiatæ & diabolo reddamur terribiles.

5. Si rectæ rationis ductu, non passionis, hoc est mero affectus naturalis impulsu ad res non malas, sed indifferenter feramur, uti sunt, conversationes cùm hoc & non cum illo, mansio hoc in loco non in illo, occupatio circa hoc non illud.

Opusc. de grad. profectus in vir. cap. 7.

Gradus & Indicia Profectus Spiritualis in Puritate à vitiis seu pravis habitibus acquisitis, decerpti ex Asceticis prænominati P. Lancicii.

1. SI nunc sentimus inclinationem minorem ad peccata, acquisitam olim per actus pravos. Nam sicut habitus mali producuntur per actus malos & augentur, ita per actus bonos, præsertim intensos, minuuntur, acquisito vel aucto habitu contrario bono.

2. Si nunc positivam difficultatem sentimus ad eosdem habitus pravos.

3. Si nunc sentimus maiorem facilitatem ad resistendum pravis tentationibus, negando consensum.

4. Si quasi quandam connaturalem sentiamus nauseam omnium actuum pravorum & imperfectionum, ad quas per habitum inclinabamur antea: & è contrario ardens desiderium & affectum efficacem ad executionem boni contrarii pravis habitibus, statim ac per primam & simplicem apprehensionem nobis repræsentatur cogitatio boni vel mali. Hoc enim certissimum est signum, habitus vitiosos esse dissipatos vel totaliter, vel magna ex parte, & brevi per contrarios tales actus totaliter evellendos.

5. Si quis sentiat quandam impossibilitatem ad omnes actus pravos, talem qualis erat in S. Joseph solicitato à Domina. *Quomodo* inquit *possum hoc facere, & peccare in DEUM meum?* Et in Apostolo: *Certus sum quia neque mors, neque vita &c. neque creatura aliqua poterit nos separare à charitate Christi.* De

Gen. 39. 3. Rom. 8.

talibus

talibus Christus ait: *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Et Omnis *qui natus est ex* D E O, *peccatum non facit* (scilicet mortale vel veniale deliberatè) *& non potest peccare.* Hucusque Lancicius. *Matth. 7. a. 8.* *1. Io. 3. 9.*

Gradus Puritatis ex Angelico Doctore

D. Thomas supra illa verba S. Dionysii Areopagitæ: *Sanctitas est, ab omni labe seu vitio libera perfectaquè ac omni ex parte incontaminata Puritas:* inquit. *In his verbis tres gradus munditiæ designantur, qui ad Sanctitatem requiruntur. Quorum primus est libertas ab omni immunditia* peccati actualis, & imperfectionis, quæ est immunditia legalis. *S. Thom. in 1. d. 10. q. 4. ad 4. & in 3. d. 3. q. 1. S. Dionys. c. 12. de Diui. nom.*

Secundus gradus munditiæ, ut sit munditia perfecta Perfectum autem est, cui nihil deest. Contingit autem quandoque quòd aliquis immunditiæ quidem non subiacet, deest tamen sibi aliquid ad munditiam in quantùm passionibus immunditiæ inquietatur, quæ cùm tolluntur, fit perfecta munditia.

Tertius gradus munditiæ est, ut sit omnino immaculata. Erit autem omninò immaculata munditia, cùm non solùm in seipso aliquis puritatem habet, sed etiam nihil est exterius, quòd eum ad immunditiam trahere possit. Et in his tribus munditiæ gradibus ratio Sanctitatis perfectæ consistit. Qualis sanctitas in Christo, & eius Bma Matre fuit. Alii Sancti plus vel minus de perfectione eiusmodi sanctitatis participârunt, ùt patet.

Illicia Puritatis. 1 *mum. Proverb.* Qui mundus est, rectum opus ejus. *Item.* Qui diligit munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem. *Isaias.* Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè. *Christus,* Beati mundo corde quoniam ipsi DEUM videbunt. Unde *S. Leo.* Merito hæc beatitudo cordis promittitur puritati, splendorem enim veri luminis sordens acies videre non poterit, & quod erit jucunditas mentibus nitidis, hoc pœna maculosis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni squalore iniquitatis oculi tergantur interiores, ut serenus intuitus tantùm DEI visione pascatur. *Apostolus.* Finis præcepti est charitas *Proverb. 21.* *Item. 22.* *Isai. 1.* *Matth. 5.* *S. Leo serm. in Festo omnium Sanctorum.* *1. Tim. 1.*

2. Tim, 2. de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. *Idem*: Cognovit Dominus, qui ſunt ejus; & diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. In magna autem Domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit, ſe ab iſtis: erit vas in honorem ſanctificatum & utile Domino ad omne opus

Tit. c. 1. bonum paratum. *Idem*: Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia.

S. Antonius apud Athanas. 2dum. *S. Antonius*: Si quis hoc aſſumat, ut futura cognoſcat, habeat purum cor: quia credo animam DEO ſervientem, ſi in ea perſeveraverit integritate, quâ renata eſt, plus ſcire poſſe, quàm dæmones. Talis erat anima Eliſei, quæ aliis incognitas virtutes faciebat.

S. Auguſtinus in Pſalm. 118. *S. Auguſtinus*: Beati immaculati in via: tanquam diceret: Scio quid velis, quæris beatitudinem;

Idem lib. 83. quæſt. 11. ſi ergo vis eſſe beatus, eſto immaculatus. *Idem*: Agite ergo ô miſeri mortales, hoc agite, nè unquam polluat hoc domicilium malignus ſpiritus, nè ſenſibus immixtus inceſtet animæ ſanctitatem, lucemquè mentis obnubilet. Serpit hoc malum per omnes aditus ſenſuales, dat ſe figuris, accommodat coloribus, adhæret ſonis, latet in ira, in fallacia ſermonis, odoribus ſe ſubjicit, infundit ſaporibus, ac turbidi motus illuvie, tenebroſis affectionibus tenebrat ſenſus; quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quos expandere lumen rationis radius mentis ſolet. Et quia radius æthereæ lucis eſt, in eoquè ſpeculum Divinæ præſentiæ; in hoc enim DEUS, in hoc voluntas innoxia, in hoc rectè meritum relucet, DEUS ubique præſens eſt. Tunc autem unicuiq; noſtrum ſimul eſt, cùm mentis noſtræ illibata puritas in

S. Bern. ſerm. 68. de Compoſitione homin. ejus præſentia patuerit. *S. Bernardus*. In anima ſi peccatum ſuggeritur memoriæ per cogitationem, nullum tamen præbuerit aut voluntas affectum, aut deliberatum ipſa conſenſum; fateor quidem, deformitas eſt, nec audire interim anima illa

Cant. 4. meretur: *Tota pulchra es amica mea.* Cæterum etſi næuus eſt,

S. Bonavent. Med. vit. Chri. cap. 7. ſed non morbus. *S. Bonaventura*: In Collationibus ſanctorum Patrum traditur, quòd totum exercitium Monachi debet

eſſe

esse ad puritatem habendam. Hoc enim est per quod homo meretur videre DEUM dicente Domino in Evangelio: Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. Et secundùm Bernardum: Qui clarior est, ille DEO propinquior: Esse autem clarissimum, peruenisse est.

3tium DEUS, qui est ipsa summa Puritas, de quo *magnus Propheta*: DEUS fidelis & absque ulla iniquitate, justus & rectus. *Deutor. 32.*

4tum Christus, qui propter suam Puritatem per antonomasiam dicitur *Agnus immaculatus.* Et de ipso quatenus est DEI Patris Sapientia hæc afferuntur: Omnibus mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis DEI: & emanatio quædam est claritatis omnipotentis DEI sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula DEI Majestatis, & imago bonitatis illius. *Sap. 7.*

5tum Beatissima Virgo, de qua *Angelicus Doctor* inquit. Potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas B. M. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit. *Et B Arnoldus*: Virgo Mater, quæ puritate profectò Cherubim & Seraphim antecellit. *Et S. Anselmus*: *Decebat* ut B. Virgo ea puritate niteret, quæ sub DEO nequit major intelligi. *D. Thom. in 1. sent. d 44. unica art. 3. citatur à Justino Miechovi: in Litan. Lauret. disc. 135. B. Arnold. ser. de Laud. Virg. D. Anselmus de Con. Virg. c. 18.*

6tum Exempla Sanctorum: 1. S. Ioseph Sponsus DEIparæ. De quo Gerson ait: Cum MARIA plena gratiâ fomitem reprimente mansit Ioseph repletus gratiâ peccatum mortale quodlibet superante. *Gerson. serm. de Nat. B. M. Virg.*

II. *S. Magdalena de Pazzis* in sua ultima infirmitate recognovit cum magna in DEUM gratitudine, quòd nunquam recordaretur ut ejus purum cor gustum aliquem & solatium etiam breve deberet habere in quocunque præterquam in unico solo DEO. Addebatquè proxima morti: quòd nullam in se reperiret rem, quæ ei majorem cum solatio afferret pacem super hoc: quòd nihil ad cor præter solum DEUM admitteret. Hinc patet, quòd suâ totâ vitâ nec minimè unquam apposuerit amorem ad aliquam in mundo rem creatam, nisi tantùm in *In vita ejus.*

DEO unico ſuum mergebat cor, propenſiones, propoſita ac deſideria. Hinc etiam ſequitur quòd propter tantam conſcientiæ puritatem ſtatim advertebat omnem minimam imperfectionem in ſua innocenti anima. Quare illam non levi pendendo, humiliabat ſe, & ſæpè culpabilem faciebat ex adeò parvis imperfectionibus, quales, aliæ & advertere propter parvitatem non poſſent. Unde non ſemel mirabantur ſorores, quòd cùm eſſet illa in alto perfectionis gradu, in medio illarum ſacrarum actionum, in quibus continuò exercebatur, inveniebat tamen, ex quo in confesſione ſe culpare & accuſare haberet. Idquè faciebat in adeò claro lumine puritatis, ut etiam ipſas ſanctas & perfectas actiones cum ejusmodi exerceret humiliatione, quòd non ſemel viderentur eſſe delictum. Cumquè ad piam ſeſe communitatem ſororum ſiſteret, & ibi ſermo de puritate animi inciperetur, tota lætabunda dicebat: In hoc loco libenter ſubſiſtam, quia hic eſt ſermo de puritate. Sicut & ipſamet de illa magno cum guſtu colloquebatur, & vivo affectu vivacibusquè verbis ſatagebat ſorores audientes accendere ad amorem & aſſecutionem puritatis animi. Quadam vice hæc ſancta in ecſtaſi poſita ita de puritate animi loquebatur: Puritas eſt quædam res adeò magna & incomparabilis, ut creatura commodè illam capere non posſit, nec propriè intelligere. Et crebra exclamatione illam collaudando dicebat: O puritas ineffabilis! quàm oportet eſſe purum & pulchrum, ut quis te posſit ſuſcipere. O Verbum! quomodo reſpicis affectus & propſita noſtra, antequam conjungantur cum hoc ſpiritu puritatis; credunt fortaſſe hi mundani & carnales, quòd cum impuris carnalitatibus ſuis pariter & malitiis debeant venire ad hunc cæleſtem & purum ſpiritum? ſed profectò in majori ſunt errore, quàm dæmon, cùm voluiſſet ſe facere parem DEO. Alio tempore in hunc modum dicebat: O puritas! quàm magnum miraculū in altera retegeris vita totaliter tectum creaturæ, ſed tamen non his, qui te quærunt. Ibi etenim videbuntur perſonæ, quæ fuerunt in mundo, in ſublimi æſtimatione, quæ fient inferiores multis illis, quorum ſolum nomen in aliis riſum olim movebat; Sed quia fuerunt divites hoc pretioſisſi-

tiosſimo theſauro, illæ verò pauperes, magnificos & excellentes hos faciet Dominus, & illos humiliabit. Sæpiùs & id dicebat: O ſorores meæ, juxta menſuram & pondus puritatis, vult nobis DEUS ſolvere in illa altera vita. Demum hæc ſancta adeo avida fuit puritatis conſcientiæ, ut ſæpè dixerit: Quòd ex parte ſua ſatis haberet, ſi etiam minimos gradus aliarum virtutum in ſe videret, ſed puritatem ſpiritûs & corporis cupiebat habere in tanta perfectionè, quantam poteſt ſuſcipere & acquirere in mundo humana creatura.

Praxis comparandi animi & corporis Puritatem.

I. ORare frequentiùs cum Regio Propheta: *Cor mundum crea in me DEUS: & Spiritum rectum innova in viſceribus meis.* Hinc S. Bonaventura inquit: Ad puritatem habendam, multum valet oratio fervens & asſidua. *Pſalm. 50.* *S. Bonaventura vitæ Chriſti c. 7.*

II. Peccata præterita dignis pœnitentiæ fructibus expiare.

III. Mortificationis interioris & exterioris ſtudio, motus & inclinationes ad defectus, mox, ſeriò, & ſemper reprimere.

IV. Semper ab imperfectioribus ad perfectiora ſummo conatu proficere, tum per clariorem Cognitionem DEI & rerum ſalutarium, tum per eorundem ferventiorem Amorem affectivum & affectivum

V S. Magdalena Pazziana de medio adipiſcendæ puritatis interrogata reſpondit: *Si in qualibet re non quæras implere voluntatem tuam; eligendo potiùs pati, quàm lætari: reperies denique quòd omnia purâ mente facturus ſis. Illuc enim profectò non introeunt propriæ complacentiæ: quoniam via ſolius pasſionis eſt ſecura, & multùm amabilis Divinæ Majeſtati.* *In vita S. Magdal. de Pazzis.*

§ 2dus.

Opponitur Puritati â peccatis, *Falſa puritas.* De qua *Proverbiorum* dicitur: Generatio, quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis. *Proverb. 30.*

§. 3tius.

Puritas à Reatu pœnæ eſt immunitas ab obligatione ſuſtinendi pœnas peccatis debitas. Ut enim inquit Lancicius: *Obligatio poenæ eſt immunditia legalis, quæ etſi non erat peccatum,* *Opuſc. de. profec. in virt. c. 1. gra. 1.*

catum, tamen homines foedabat, ideoquè variis ceremoniis homines expiabantur.

Porrò pœna pro delictis infligi solita, alia est temporalis, alia æterna. *Temporalis*, alia est spiritualis, alia corporalis. *Spiritualis* qualis est v. g. Cæcitas & obduratio mentis, occasio ad peccatum &c. *Corporalis*, quo referuntur mala non modò corporis (ut sunt v. g. morbi, mors, &c.) verùm & fortunæ, famæ, honoris &c. Deinde ad Temporalem pœnam refertur pœna purgatorii, sicut ad æternam pœna inferni. De quibus pœnis commodiùs hic variis locis, infrà agemus. Ex quarum consideratione seria, potentissima *Motiva* ad obtinendam Puritatem à reatu earundem poenarum quisque accipere poterit.

Praxis pro adipiscenda Puritate à reatu pœnæ est.

I. Non tepida, non qualiscunquè, sed excitata, seria, & severa Pœnitentia.

II. Diligens usus Indulgentiarum.

III. Maximè pro Puritate à reatu pœnarum spiritualium est extraordinaria vitæ correctio, profectus, perfectio, ut infrà ex *Lessio* habes, ubi de spiritualibus pœnis agitur.

SECTIO II.

De supernaturali Ornatu Animi.

HIc ornatus animi An, Quotuplex, Quid & qualis sit, videndum. Quòd sit, insinuat Christus de domo mystica animæ mundata scilicet à peccatis, ornata quoquè gratiâ Dei, sed vacante ab operibus bonis: unde etiam patuit spiritibus immundis

Matth. 17.

Quotuplex, quid sit & qualis? *Respondetur*: Ornatus animi supernaturalis duplex est; habitualis seu permanens, & actualis sive transiens. *Permanens, est lumen gratiæ sanctificantis cum habitibus virtutum & donorum tanquam suis splendidissimis radiis emicans: Nec non habitus acquisiti virtutum grande animi decus. Transiens, sunt illustrationes gratiarum actualium, tum fulgores actuum virtutis*

tutis & donorum. Dicitur; *est lumen gratiæ sanctificantis &c.* Ubi primò supponitur Gratia esse nitor quidam & pulchritudo animæ, *ut D. Thomas* probans gratiam esse qualitatem hæc ait; super illud Psalm. 103. Ut exhilaret faciem in oleo, dicit glossa: quòd gratia est nitor animæ, sanctum concilians amorem: sed nitor animæ est quædam qualitas, sicut & pulchritudo corporis. Ergo &c.)) 2*do.* hic nitor, & pulchritudo, seu ornatus redundans in animam à gratia rectè concipitur sub ratione cujusdam luminis admirabilis. Tum quia eandem gratiam *Angelicus Doctor* ita concipit dicens: Sicut lumen naturale rationis est aliquid præter virtutes acquisitas, quæ dicuntur in ordine quoad ipsum lumen naturale: ita etiam ipsum lumen gratiæ quod est participatio Divinæ naturæ est aliquid præter virtutes infusas, quæ à lumine illo derivantur, & ad illud lumen ordinantur. Unde Apostolus dicit ad Epheseos 5. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate. Sicut enim virtutes acquisitæ perficiunt hominem ad ambulandum secundùm quod congruit lumini naturali rationis: ita virtutes infusæ perficiunt hominem ad ambulandum, secundùm quod congruit lumini gratiæ.)) Dicitur: *cum habitibus virtutum & donorum &c.* qui habitus sunt proprietates gratiæ sanctificantis, ut radii rutilantissimi promicantes à sole; eosq; appellat Apostolus: *Arma lucis*: Armis quippe virtutum & non aliis dissipamus, aër eas potestates tenebrarum harum, sicut Sol disjicit radiis suis caliginem & nebulas aëris. Dicitur: *Transiens, sunt illustrationes &c.* Gratiæ enim actuales propriè vocantur Illustrationes, quibus DEUS *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Dicitur: *Tum fulgores actuum &c.* qui principiantur à lumine gratiæ Divinæ, & habitibus infusis, ob suique eximium decorem mirè homines capiunt in sui stuporem, honorem, amorem.

D. Thom. 1. 2. q. 110. a. 2.

Ibidem art. 3.

Rom. 13.

Joan. 1.

Gradus Ornatûs Animi ex actibus seu exercitiis Virtutum.

ALtus gradus Ornatûs Animi in via Purgativa, exercens se in operibus virtutum, quæ sunt de necessitate, vel præcepto. Altior, in via Illuminativa, exercens se in actibus virtutum super-

supererogationis, seu de consilio. Altissimus, in via unitiva, exercens se in actibus virtutum heroicis.

Gradus & Indicia Profectûs Spiritualis in Ornatu Animi per Exercitia virtutum, collecti ex magno Asceta P. Lancicio S. J.

Opusc. de grad. prof. in virt. Cap. 8. 1. SI opera bona fiant omnia, non ex consvetudine, sed ob finem supernaturalem prævisum.

2. Si fiant sine admixtione peccati, corrumpentis meritum. Peccatum enim veniale opus fœdans, immeritorium facit. S. Ambrosius ait: *Innocentia & integritas, levi forde aspersa violatur, & gratiæ suæ munus amittit.* Et S. Thomas: *Opus virtuosum amittit vim merendi vitam æternam, si propter inanem gloriam fit, etiamsi illa inanis gloria non sit peccatum mortale.*

Lib. 6. Exa. 2. 4.

2. 2. q. 123. a. 3. ad 1.

3. Si fiant sine admixtione peccati etiam non corrumpentis meritum (uti corrumpti voluntaria distractio orationem) sed adjungentis se operi meritorio quasi extrinsecè. Tale enim peccatum non læderet ipsam substantiam operis boni, & pulchri & meritorii, sed quodam modo rem nitentem obscuraret. *Displicet autem,* ait S. Bernardus, *in pulchro corpore, non solùm morbus, sed & nævus.*

Epist. 149.

4. Si fiant tam accuratè, uti fierent, spectante eo, cui natura placere cuperet.

5. Si omnia fiant diligentiùs, quàm antea, & perfectiùs. Unde S. Ambrosius: *Imitatores sui nos esse DEUS voluit, ut priùs faciamus aliqua; postea venustemus, & semper venustemus magis & magis.* Simus ut Hieron, laudatus à Pindaro, quem ait solitum decerpere summitates virtutum à singulis, id est, in omnibus esse perfectissimum.

Lib. in Exam. c. 7.

Od. 1. Olympi.

Gradus & Indicia Profectûs Spiritualis in Ornatu Animi per Habitus bonos, itidem desumpti ex Asceticis P. Lancicii.

1. SI promptiùs & faciliùs fiant opera bona, sive imperata, sive ea, quæ vocantur ex supererogatione, quàm antea.

Opusc. de grad. prof. in virt. c. 9.

2. Si

2 Si non tantùm promptiùs fiant, ſed etiam cum minore repugnantia amoris proprii, vel naturæ vitiatæ; & ſinè quadam violentia, & quaſi coactione naturæ.

3. Si fiant cum quodam guſtu ac delectatione maiore, quàm antea.

4. Si fiant cum fervore, & actuum intenſione maiore, quàm antea,

5. Si fiant modis dictis, magis conſtanter, etiam tempore adverſitatum, & contradictionum, & aliorum motivorum, ſuâ ſpecie & guſtu avocantium â bono.

6. Si faciliùs fiant modis ſuprà dictis. Hoc eſt, celerrimè, ſtatim, ad primam ſimplicem apprehenſionem & cogitationem, quaſi connaturaliter, ſinè præviis motivis, aptis ad excitandam voluntatem, ad ea peragenda.

Hæc ſunt certisſima ſigna, profundè plantatorum habituum bonorum.

7. Si quis ſentiat ſe vehementer diſpoſitum, ad facienda omnia, nullâ re exceptâ (præter ſolum peccatum) quæqunque ei imponentur, etſi eſſent difficillima, & eum maximè confuſura coram aliis, imò talia expetat. Et præterea, ſi veluti quandam imposſibilitatem moralem in ſe experiatur ad contraria habitibus virtutum vitia; ſignum eſt habituum in gradu altisſimo plantatorum.

8. Eximia eſt profectûs nota: ſi quis non tantùm in ſe, ita ut dictum eſt, profecerit, ſed etiam, tales alios effecerit ſtudio, exemplis, monitisquè.

9. Certisſimum eſt, & ferè omnium maximum, eximii in habitibus virtutum incrementi, & profectûs ſignum, totalis avulſio affectûs ab omnibus rebus mundanis, quæ ſunt in amoribus mundi ſectatorum. *Hinc*, inquit Apollonius Abbas (inter *Ruff. lib. 2. c.* ſanctos relatus à Ruffino & Palladio) *Scietis vos proficere in vir- 7. vit. P. S.* *tutibus, ſi nulla vobis paſſio fuerit erga mundana deſideria.* Hoc eſt *Pall. in hiſt.* erga res, quas mundi Sectatores expetunt & quærunt: uti ſunt *Laus. c. 52.* impuræ voluptates, divitiæ, honores, amor commoditatum corporis, & oblectationes ſenſuum, ac fuga laborum, ſtudiumquè otioſitatis. A quibus avulſum affectum comitatur amor & de-

ſiderium rerum, iis contrariarum: quæ ſunt, carnis maceratio, exacta paupertas; ſui, & omnis exiſtimationis bonæ apud alios, ac famæ, & rerum honorificarum contemptus; fuga recreationum & otii, & asſiduitas laborioſarum, etſi vilium (mundi judicio & non ſpecioſarum occupationum, ac ardens amor Crucis.

I omum *Signum* profectûs in habitibus virtutum, quos appellant, cordis Puritatem, asſignat Abbas Cheræmon, apud Casſianum: *Quantum*, inquit, *quis in lenitate ac patientia cordis, tantum in cordis puritate proficiet. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Per cordis autem Puritatem apud Casſianum, vitæ perfectio, ex aggregatione omnium virtutum conflata intelligitur, pluribus in locis. Sed meliùs aſſerit S. Baſilius: *Sedata*, inquit, *animi, & requieta constitutio, virtutis eſt argumentum certiſſimum.* Quando in S. Bernardo, & S. Carolo, nondum erat tantus in virtutibus profectus, quantus ante mortem enituit, erant in delinquentes valde immites, & ſeveri, ſed poſtquam ſunt maturitatem ſactimoniæ aſſecuti, fuêre mitisſimi, & ſuavisſimi. Sic & arborum bonarum immaturi fructus, duri ſunt & acerbi, maturati vero â ſole, molles & ſuaves.

Coll. 12. c. 6. lib. 4. c. ult. coll. 1. c. 6. & 7.

11. *Signum* profectûs eſt; ſi DEI ſervus, ita privatim & nullo ſpectante, res ad DEI obſequium ſpectantes, accuratè, & ferventer, & integrè expediat, quomodo eas expediret, ſuperiore ſuo cuncta cernente.

12. *Signum* magni profectûs eſt; ſi quis ſupradictis, omnes temporis partes expendat in actionibus meritoriis vitæ æternæ. Qui tales ſunt, non tantùm ſerviunt DEO, ut multi, ſed ſoli DEO vivunt, ut pauci. Ut quis DEO ſerviat, ſatis eſt, ſi per intervalla, accuratè & perfectè exequatur ea, quæ præſcripſit DEUS. Hoc enim ſatis eſt, etiam famulis Regum, qui non tenentur die ac nocte, & quovis tempore Regi asſiſtere. At qui DEO vivunt, die nocteque occupati eſſe debent (quantum patitur mortalis vitæ conditio) in rebus DEO acceptis, & purè ad eius obſequium ordinatis. Uir Spiritualis, ſerio profectui ſuo attendens, & ſtudens cooperari gratiæ DEI, perpetuò benè operatur DEI beneficio: Qui, (ut in Concilio Palæſtino apud

apud Diospolim, contra Pelagium dixit Orosius Cordubensis) *gratiæ suæ dona subministrat cunctis, & singulis, specificatim, quotidie, per tempora, per dies, per momenta, per atoma.* Sicut & è vita, per momenta omnia, vitales emanant actiones. Ethic. cap. 5. & 7.

13mum Profectûs signum, diu in virtutum studio exercitatis, hoc statuit S. Teresia: *Ut,* inquit, *sciatis, utrum profectum aliquem feceritis, hoc signum erit, si nimirum, unaquæquè vestrùm, sè omnium pessimam esse credat: & ex ejus operibus, liquidò colligi queat, eam se, ut talem ducere; idquè ad aliorum profectum, & commodum.* Hoc ipsum docuerat S. Macarius Abbas S. Antonii discipulus: *Quantò maiorem proficiendi, ac crescendi diligentiam adhibent, eò magis se existimant egenos, tanquàm egentes, ac nihil possidentes. Hoc enim dicunt; non sum dignus, ut sol iste mihi illucescat.* S. Teres. Itin. perf. c. 18. Hom. 15.

Rariora signa magni in Virtutibus Profectûs ex citato P. Lancicio.

Opusc. de Prof. in virt. c. 11.

Signa & gradus profectûs in virtutibus communis omnibus, indicavi ex mea & aliorum sententia. Adnectam hîc rariora indicia magni profectus, quæ ferventioribus DEI servis, vel post longam multorum annorum vitæ integritatem, vel post brevem, sed heroicis actibus commendatam, DEUS solet largiri. Talia signa sunt. Rarus, in peccata venialia lapsus: maximus horror peccatorum, & conatus, minimas etiam imperfectiones vitandi, conjunctus cum eorum fuga: perpetuus fervor in ordinariis operibus diligentissimè peragendis: exacta patientia in adversitatibus, carens etiam primis motibus iræ vel indignationis, aut auersionis ab authoribus, & cooperatoribus adversitatum magnarum, & toleratu difficilium: tantus amor crucis, & omnium humiliationum, ac adversitatum, & injuriarum personalium, ut, dum vel re ipsa ingruunt, vel tanquam præteritæ aut futuræ, repræsentantur memoriæ, statim sinè repugnantia, exurgat (DEI beneficio) ardens desiderium, & amor earum, & gaudium de iis ad eum modum, quo imperfectis solent exurgere primi motus erga objecta prava, ad primam eorum repræsentationem, vel soli menti, vel etiam sensibus factam: assiduum studium proficiendi in virtutibus, & quædam insatiabilis esuries, sitisquè iustitiæ; repentinum,

& notabile incrementum ſpei dum exurgunt magnæ adverſitates & difficultates: oratio carens diſtractionibus, devotio, longè quàm antea ferventior, tempore adverſitatum, & perſecutionum perſonalium: gaudium in humiliationibus, coniunctum cum conſtanti & fervida perſeverantia in benè cœptis: ſenſibilis triſtitia, etiam in parte inferiore, dum audiuntur, videntur graves DEI offenſæ: pax animi, tranquillitas tanta, imò maior, in tribulationibus perſecutionibus quanta erat tempore conſolationum; averſio ab oblectationibusq;, etiam licitis ſenſuum, ex ſancto ſui odio, & contemptu plenario rerum mundanarum, & ex ſtudio mortificationis profecta; major inclinatio ad tractandum cum perfectioribus, quàm cum minùs perfectis: major propenſio ad ſpiritualia colloquia, quàm ad profana, etſi non mala: major guſtus in legendis libris ſpiritualibus, quàm profanis hiſtoriis, etſi non fœdis: animi parata diſpoſitio ad quævis facienda, vel fugienda, iuxta ſuperiorum arbitrium, ſinè ulla exceptione: ardens deſiderium humiliationum, præſertim calumniarum tolerandarum, & depresſionum, ac degradationum: amor tener eorum, à quibus valde aliquid injurioſum pati contigit; fuga commoditatum corporis, conjuncta cum fervido deſiderio incommodorum: tentationum carnis extinctio, vel notabilis in florida & vivida ætate diminutio, etiam in occaſionibus non quæſitis: deſiderium diu orandi inſatiabile: in repentinis caſibus adverſis, mens etiam involuntariè imperturbata: extinctio totalis tepiditatis, & negligentiarum, in operibus ad cultum DEI ſpectantibus: plena extirpatio omnium humanorum reſpectuum, conjuncta cum libertate ſpiritûs exercente ſe, tum ad facienda ea, quæ imperfectis diſplicent, & DEO placent, tum ad omittenda illa, quæ mali ſocii vel imperfecti nollent omitti: dominium pasſionum, præſertim, iræ, timoris, & amoris: aut nullus, aut longè minor quàm antea, pudoris & confuſionis ſenſus, in publicis humiliationibus: mentis affectuoſa unio cum DEO, immediatè exſurgens, poſt quamvis actionem, naturâ ſuâ diſtractivam, uti & poſt ſomnum, quavis vice interruptum: actualis & fervens devotio, ſeu piorum affectuum intenſorum affectuoſus comitatus in laboribus manu-

manuum: firmitas voluntatis in odio mali, & amore boni, durans in occasionibus gravium lapsuum, contra voluntatem oblatis, & perseverans semper, etiam in locis ac occupationibus, nil humanum habentibus, quod à gravibus lapsibus posset retrahere, &c.

Hæc sunt certissima signa, magni in virtutibus profectûs, non tantùm omnia simul sumpta, sed singula per se. Nec enim dari solent, nisi post magnum progressum in multis virtutibus, quæ cùm concatenatæ sint, uti docent SS. Patres, & eos secutus est S. Thomas; per signa suprà dicta, tanquam per proprietates quasdam, ex essentia virtutum, in alto & heroico gradu acquisitarum, enascuntur, & in imperfectis ac tepidis, teste experientiâ, non reperiuntur, sed potiùs illis contraria. 1. 2. q. 65. a. 1.

Porrò Tyrones in DEI obsequio, præsertim Religiosum statum amplexi, inter certa signa sui profectûs, reponant hæc Octo. 1. Si indies illis magis ac magis placet status religiosus, ad quem vocati sunt. 2. Si diminutus sit affectus erga consangvineos. 3. Si minus sentiant humiliationes. 4. Si magis afficiantur ad orationem, quàm antea. 5. Si optent pati adversa, præsertim bonam existimationem, & famam lædentia. 6. Si minuatur in illis numerus peccatorum. 7. Si creverit affectus ad omnes res Ordinis: cùm non omnibus, quibus placet Ordo, res ejus omnes placeant. 8. Si diligentiùs obeant opera ordinaria, quàm antea. Atque hæc sufficiant ad cognoscendum profectum communem omnibus. *Hucusquè Lancicius.*

Motiva comparandi, conservandi, augendi Ornatum Animi.

imum *Psal.* Audi filia & vide &c. Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus DEUS tuus.) Stupendus hic decor animæ pergratæ, qui ipsum DEUM in sui amorem infinitum alliciat. *Ibidem.* Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.) Si filia Regis & Regis cælestis: Ergo ornatu Regali cælesti æthereo lucidissimo gloriosa, quæ tamen gloria insinuatur esse ab intus per gratiam mira varietate virtutum refulgens. *Isaias* presiùs ornatum justitiæ seu gratiæ exprimens inquit: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo: quia induit

Psal: 44.

Ibidem.

Isai. 61.

duit me vestimento salutis, & indumento justitiæ circumdedit me; quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. *Christus Dominus* sub parabola vestis nuptialis intelligit vestitum animæ, quo ornari debet ad æternas cæli nuptias, alioquin inde in tenebras exteriores excludenda. Unde *S. August.* Quomodo terrenis ornamentis caro luxuriosa paruo tempore ornatur, ut carnalibus oculis,, aut ad suam, aut aliorum malè concupiscentium ruinam placere possit: sic anima Divinis sermonibus tanquam spiritualibus, & æternis bonorum operum margaritis componitur, ut ad illius cælestis sponsi consortium, & nuptiale convivium feliciter ornata perveniat, ut non ei dicatur illud, quod scriptum est in Evangelio: Amice quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem? nè bonorum ornamentis exspoliatus, ac nudus audire mereatur: Ligate illi manus & pedes, & projicite in tenebras exteriores: ubi est fletus & stridor dentium.)) Sed magis pro ornamentis bonorum operum illa vox ad eum desiderabilis dirigatur. Euge serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui. *S. Ambrosius*: Imitatores sui nos esse voluit DEUS, ut priùs faciamus aliqua, postea venustemus, & semper venustemus magis ac magis. *S. Bernardus*: Est cælum sancta anima habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes: vel certè sol justitiæ, zelus aut fervens charitas, & luna continentia.)) En quantus ornatus hujus intelligibilis cæli! *Idem*: o anima insignita DEI imagine, decorata similitudine, desponsata in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres, bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne, qua haud aliud vilius sterquilinium invenisti?) *Ludovicus Blosius*: Tanta est elegantia & formositas animæ rationalis, quam peccatorum sordes non deturpant, ut si tu eam clariùs cernere posses, vix scires præ admiratione & gaudio ubinam esses. *Et Christus ad B Brigittam:* Si videres pulchritudinem sanctarum animarum, vel sanctorum Angelorum sicut est, cor tuum præ ingenti gaudio rumperetur. Refert *Nierembergius*: Cùm semel S. Catharinæ Senensi datum Divinitus esset animo intueri animæ nobilitatem seu splendorem sanguine Christi

Matth. 22.

S. Aug. lib. 50. hom. 16.

S. Ambros. l. 1. Hexam. cap. 7.

S. Bernardus in serm. super Cant.

S. Bernardus in Medit.

Blosius spec. spir. c. 3.

Idem men. spi. cap. 14.

Nieremb. Doct. Ascet. lib. 1. d. 6. cap. 57.

Christi expiatæ, ita exarsit zelo animarum, ut dixerit: Tanta est animarum dignitas & pulchritudo, ut ad eas lucrandas, nullus par labor esse possit.)) Decor animæ in gratia DEI sitæ quandoque ab extra in corpus redundat. Ita S. Stephanus vultu Angelico in medio suorum hostium apparuit: Ita S. Ignatins radianti facie conspectus est: Ita S. Magdalena Paz instar Angeli pulchra, radiantibus oculis ut auroris subinde videbatur. Deniquè eximium animi ornatum & pulchritudinem intelliges ex encomiis Gratiæ Divinæ, virtutum ac donorum, suprà allatis.

2dum. Isocrates, cùm Discipulum horti studiosissimum, sed in ornandis moribus langventem vidisset, nec in studiis quidquam proficere advertisset, his verbis eum allocutus est: *Obsecro, nè hortum habeas cultiorem, quàm animum.*

Drexel Trismeg. lib. 3. c. 1. § 2.

In Praxi eò citiùs acquiritur, firmiùs conservatur, ampliùs augetur Ornatus animi: quò diligentiùs, ferventiùs, perfectiùs, magisquè in heroicis actibus virtutum quis profecerit, ut manifestum est.

SECTIO III.

De Unitione, ac Unione supernaturali cum DEO, & Transformatione in DEUM.

UNitio ab Unione per hoc differt, quòd Unitio sit actio unitiva, seu Unio in fieri, seu actio, quâ Contemplator, DEO in fieri conjungitur, Unio autem est unitio in facto esse, terminus unitionis, estquè illa actio, quâ Contemplans manet conjunctus DEO.

Quantùm ad Unionem, ex *Lessio* sequentibus modis potest DEUS concipi menti nostræ uniri, seu conjungi. *1mo.* Unione dependentiæ, quâ assiduè mens nostra, & non solùm hæc, sed & omnes creaturæ â Deo dependent. Sicut enim lumen dependet â Sole, & ideo certo modo ei connecti debet: ita totus mundus & universa creatura pendet à DEO, eiquè miro quodam modo cohæret, & connectitur: quia assiduò ab ipso & esse, & speciem & pulchritudinem, & vim omnem accipit. Si inter Solem & Lunam aliquid interponeretur, quod illam connexionem luminis cum fonte interciperet, mox totum lumen

Lessius lib. 2. de summo Bono cap. 1.

men

...n evanesceret, & essent tenebræ. Pari modo si inter creaturam & DEUM aliquid posset interponi, quod illius connexionem & cohærentiam cum DEO impediret, statim creatura instar luminis extingueretur, & evanesceret in antiquum nihilum, essentquè tenebræ per absentiam luminis substantialis.

Secundus modus Unionis, est per intimam penetrationem, quâ DEUS ratione suæ immensitatis & subtilitatis omnibus corporibus & spiritibus est intimè præsens, multoquè penitiùs quàm lumen aeri, vel anima corpori.

Tertius modus Unionis, est per Fidem, Spem, & potissimùm per Charitatem, seu per Gratiam justificationis. Per Fidem DEUS mentibus nostris exhibetur, & quodammodo præsens sistitur. Per Spem illi initimur. Et per Charitatem intimè ac filialiter ei conjungimur: per hanc enim ita nobis communicatur & unitur Spiritus S. seu ipsa Divinitas, ut ex hac unione efficiamur Filii DEI, tanquam participes effecti Divinæ naturæ. *Hæc Lessius.*

Quartus modus Unionis, per actualem DEI Contemplationem & Amorem fit; quando nimirum amans, amatum DEUM intimè exoptans sibi unitum, imprimit sibi formam seu speciem vicem gerentem amati DEI, exprimitquè secundùm intellectum imaginem ac similitudinem formalem (qualis pro hoc statu datur) amati. Unde per illam expressam speciem seu cognitionem aut Contemplationem supernaturalem amati unitur amato non in se sed in sua specie quatenus illa imago seu species expressa DEI est intimè præsens, & connexa cum intellectu, fitquè intellectus totus similis suo amato intellecto. Porrò secundùm voluntatem amans homo unitur amato DEO, inquantùm producit actum supernaturalem affectuosi amoris vicem gerentis ipsius amati, eumquè terminat in amatum DEUM: ibiquè sit potiùs anima ubi amat, quàm ubi animat juxta Philosophum. Probatur bona esse explicatio talis unionis cum DEO: quia actibus cognitionis & amoris nihil magis est unitum intellectui & voluntati: Sed hi actus continent in se cognitum & amatum DEUM: Ergo cognito & amato DEO nihil est magis unitum menti humanæ seu ejus intellectui & vo-

voluntati: Tum quia ordinariè non datur unio alia intentionalis ad DEUM, quàm talis. Et hæc quidem unio explanata dicitur, *Activa*, nempe actibus hominis & DEI auxilio supernaturali adepta. Alia unio quæ & Transformatio, est *Passiva* seu *Mystica Theologia* dicta, quam colligere potes ex dictis suprà de supremo Gradu Contemplationis, seu Mystica Theologia.

Quintus modus Unionis specialissimæ habetur per Transformationem. Est autem Transformatio duplex: nimirum Transformatio in Christum maximè Crucifixum, & Transformatio in DEUM nostrum principium. Estquè illa prima Transformatio ad hanc secundam tanquam gradus inferior ad altiorem gradum. De Transformatione hominis in Christum hæc accipe: *Apostolus* de seipso inquit: *Christo confixus sum Cruci. Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Et *S Bernardus* quàm totus Christo passo & Crucifixo unitus fuerit, imò in eum transformatus, præferunt insignia passionis Dominicæ in sinu & pectore Bernardi arctissimè constricta: insinuant illius mellita verba dum ait: Quia verò (*sponsa seu anima sancta*) inter, „ adversa & prospera versans, novit utrobiquè pericula non de-„ esse, medium hujuscemodi uberum suorum vult habere dile-„ ctum; cujus adversùs utraque continua protectione munitam,„ nec læta extollant, nec tristia dejiciant. Tu quoquè si sapis,„ imitaberis sponsæ prudentiam, atquè hunc myrrhæ tam cha-„ rum fasciculum de principali tui pectoris nec ad horam pa-„ tieris avelli; amara illa omnia, quæ pro te pertulit, semper in „ memoria retinens, & assidua meditatione revolvens, quo pos-„ sis dicere & tu: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter„ ubera mea commorabitur. Et ego Fratres ab ineunte mea„ conversione pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam,„ hunc mihi fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare„ curavi: collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus„ Domini mei. Primum videlicet infantilium illarum necessi-„ tatum; deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatiga-„ tionum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in„ jejunando, lacrymarum in compatiendo: postremò periculo-„ rum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum,„ sub-

Galat. c. 2.

S. Bernard. ser: 43. in Cant.

„ſubſannationum, exprobrationum clavorum, horumquè ſimi-„lium, quæ in ſalutem noſtri generis ſylva Evangelica copio-„ſisſimè noſcitur protuliſſe. *Et poſt pauca*: Hæc meditari dixi „ſapientiam: in his juſtitiæ mihi perfectionem conſtitui, in his „plenitudinem ſcientiæ, in his divitias ſalutis, in his copias me-„ritorum. Ex his mihi interdum potus ſalutaris amaritudinis, „ex his rurſum ſvavis unctio conſolationis. Hæc me erigunt „in adverſis, in proſperis reprimunt, & inter læta triſtiaquè vitæ „præſentis viâ regiâ incedenti tutum præbent utrobique du-„catum; hinc inde mala imminentia propulſando. *S. Franciſcus Seraphicus*, quidni & iſte transformatus in Crucifixum, cujus paupertatem, contemptum, & quod mirabilius eſt quinquè ſtigmata in corpore ſuo dignus fuit expreſſa gerere? *S. Ludgardis* ſub Contemplatione Pasſionis Chriſti ſanguinea facie, crinibus, corpore iu ſponſum ſanguinum transformabatur, cujus quoquè in corde inſtrumenta pasſionis Dominicæ ad vivum expreſſa fuêre. *S. Magdalena de Pazzis* cupiens experiri dolores Chriſti, & cum ipſo ſimul pati: petiit ut illam faceret participem illorum præcipuè dolorum, quos in cruce jam agonizando perpeſſus eſt, in quo à Domino exaudita eſt. Nam confeſtim circumdederunt eam adeò moleſti, graves, & nimii dolores, ut facies ejus quaſi jam mortuæ palluerit, omnia membra, vires in corpore fuerint debilitatæ, quod ſe haud movere potuerit. Deinde ſudor magnus & quaſi lethalis in vultu ejus eliciebatur, rivus lachrymarum ex oculis profluebat ubertim, pectus per atrocitatem accedentium dolorum ſurſum tumeſcebat. Catarrhus inſuper accesſit in tanta plenitudine ut jam videretur quaſi in ultimo agone. Unde ſorores timebant, nè commota viſcera illam ultimatè ſuffocarent. Ipſa tamen in ejusmodi doloribus dicebat: O JESU mi ego non poſſum ita ad amusſim eſſe particeps pasſionis tuæ. Eadem ſancta ampliùs & ampliùs cupiens particeps fieri pasſionum Chriſti, petiit ſæpè ab eodem hanc gratiam ſibi concedi, in quo exaudita, non tantùm facta eſt particeps Chriſti dolorum in ſuo agone, & ſtigmatum impreſſione, verùm etiam in extaſim rapta viginti ſex horis totius pasſionis Chriſti, ab eo tempore quo valedixit ſuæ Virgini

In vita ejus.

Matri usquè ad mortem, expresſit externè in ſe ipſa hiſtoriam, ordinem, ita ut ſimul cum Chriſto v. g eſſet in agonia in horto, flagellaretur, crucem bajularet, crucifigeretur, penderet in Cruce, agonizaret, per omnia ſuſtinens amaræ pasſionis acerbitatem dolorumquè atrocitatem ad ſimilitudinem Chriſti patientis. Unde *B. Angela de Fulginio* rectisſimè ita diſcurrit dicens: Ex notitia igitur DEI hominis crucifixi infinitas alias conſequimur utilitates, potisſimè cùm per pasſionem ejus ſalvati ſumus ad ſummum amorem inflammamur. Ad hoc autem eſt neceſſaria asſidua conſideratio & profunda cognitio DEI hominis Crucifixi. Sicut enim videmus, ita amamus; ergo quanto plus videmus de illo DEO & homine Crucifixo, tanto plus & perfectiùs & puriùs eum amamus, & per amorem in eum transformamur. Secundùm autem amorem & transformationem in ſuum amorem, ſimiliter transformamur in dolorem quem videt anima in iſto DEO homine pasſionato. Et ſicut quantum quis videt & cognoſcit, tantum amat; ita quantum anima videt de dolore amati, tantum dolet, & tantum transformatur in dolorem amati. Et ſimiliter quantò plus quis videt de iſto DEO homine pasſionato, tantò plus amat, & tantò magis de eo dolore dolet, & in eum per dolorem transformatur. Sicut enim transformatur anima in iſtum dulcisſimum DEUM hominem per amorem, ita & transformatur per dolorem: hoc autem totum fit per viſionem perfectam & cognitionem DEI & ſui. Poſtquam enim anima videt ſuperinfinitatem altitudinis Divinæ, quam nominando magis mihi videtur blaſphemare quàm nominare, & videndo vilitatem & indignitatem peccatorum, cum quibus dignatus eſt amicitiam & conſanguinitatem facere, & pro eis mortem turpisſimam ſubire: tunc anima quantò plus ita cognoſcit & quantò plus iſta profundiùs conſiderat & videt, tantò viſceroſiùs transformatur in ipſo amore iſtius DEI & hominis JESU Chriſti. *Additquè infra* eadem Beata ejusmodi Transformationem eſſe totam perfectionem hominis, eiquè diebus & noctibus continuè immorandum, ſumm homini necesſariam & utilem ſuper omne. *Et proſequitur*: Igitur filii amantisſimi, ſi lumen Divinæ gratiæ concupiſcitis, ſi cor à ſolicitudinibus

Vitæ B. Angelæ cap. 13.

vultis elongare, si tentationes noxias vultis frænare, si in via DEI vultis perfecti fieri & esse, ad Crucem JESU Christi fugere non pigritemini. Verè non est alia via DEI filiis reservata, quæ DEUM invenire valeat, ac inventum retinere, nisi via & vita & mors istius DEI hominis passionati, quam consvevi dicere & asserere librum vitæ esse, cujus lectionem nisi per orationem continuam accedere nullus potest: nam ratio continuata animam illuminat, elevat, & transformat. Anima enim illuminata lumine in oratione percepto clarè videt viam Christi præparatam & calcatam pedibus Crucifixi, per quam dilatato corde currendo, non solùm elongatur à mundi solicitudine ponderosa, verùm etiam supra semetipsam ad Divinam degustandam dulcedinem elevatur: elevata igitur Divino incendio, & ignita amore in ipsum DEUM transformatur, & hoc totum in Crucis aspectu per continuam orationem invenitur.

Chrysost. Dobrosielsc. Summar: Ascet. & Mystic: Theolog. Testam. ani: Sect: 3. part. 4.

De Transformatione hominis in DEUM juxta *Dobrosielscium* adverte, nimirum: Transformatio & Unio, apud Ascetas & Mysticos, aliquando idem significant, ac pro eodem accipiuntur, aliquando plus valet transformatio quàm unio. Tum quia amans anima amato unita, dicitur inhærere & conformari amato, ac etiam comprehendere amatum, & comprehendi ab amato: transformata verò dicitur cum eodem amato in profundo sui habitare conversari, deambulare, sermocinari, & quiescere in oblectatione & lætitia ineffabili. Tum quia unio in ipsa introversione & elevatione spiritûs consummatur, & per extraversionem, seu ad exercitia vitæ activæ conversionem solvitur: transformatio autem stat & manet cum extroversione spirituali, quam nonnunquam requirit. Unde amans anima amato unita, dicitur in sui amati definere similitudinem, nonnisi secundùm spiritualium suarum potentiarum actiones, dum idem cum illo affirmat & negat, idem vult & non vult: transformata verò, definit etiam secundùm esse ipsarum virium organicarum, dum idem cum illo operatur & patitur; idem sentit & experitur. Tum quia unio amantis cum amato non celebratur nisi mediante ac præcedente annihilatione animæ per summam

mam humilitatem: transformatio verò nisi mediâ experientiâ ac sufferentiâ magnarum persecutionum per summam patientiam. Unde amans anima, sicut amato cui unita est, in minimo summopere displicere timet, ita & in omnibus placere studet, ac inde est quòd amat multùm suos inimicos: Transformata verò gaudet in adversis, benefaciens quantum potest suis adversariis Ex his patet, Unionem esse effectum vitæ Contemplativæ, Transformationem verò vitæ Mistæ. *Hactenus Dobrosielsciis.*

Placet de ejusmodi Transformatione doctrina S. Bernardi. Sicut stilla aquæ modica multo infusa vino, deficere â se videtur, dum & saporem vini inducit, & colorem: Et quomodo ferrum ignitum & candens, igni simillimum fit, pristinâ propriaquè formâ (*id est accidentali aliquâ V. G. nigredinis*) exutum. Et quomodo Solis luce perfusus aer in eandem transformatur luminis claritatem, adeò ut non tam illuminatus quàm ipsum lumen ipse videatur: Ita perfecti, dum DEO toti immerguntur, Deificantur quodammodo, & in DEUM penitus transformantur. *S. Bernardus de diligen. Deo.*

Lessius agens de Unione transformativa in DEUM inquit: Præter (alios modos) quibus DEUS mentibus justorum omnium in hac vita conjungitur, alius est multò sublimior per transformationem in nostrum principium, & transitum in ideam à qua profluximus. Docent enim quidam Contemplativi beatitudinem nostram iu eo consistere, ut toti à nobis & ab esse nostro creato deficiamus, & transeamus in nostrum esse increatum & superessentiale, quod in nostra idea habuimus ab æterno, ubi unum sumus cum DEO, una essentia, una vita, una lux, una beatitudo, unus spiritus. Quæ sententia dupliciter intelligi potest: *Primo*, ut secundùm rem desinat nostrum esse creatum, & convertatur in esse increatum, quæ fuit hæresis quorundam. *Secundò* hæc sententia intelligi potest, ut ipsum esse creatum non desinat secundùm rem, sed solùm quoad sensum & affectum Contemplantis; qui ita ad DEUM rapitur, ut seipsum ampliùs non sentiat, sed solum DEUM, in quem sibi videtur transformatus. Hunc modum vocant *Unionem Fruitivam*, *Lib. 2. de Sum. Bono cap. I. n. 7.*

vam, in qua anima fruitur DEO, sui prorsus oblita, ipsius dulcedinem cum ineffabilis delectationis sensu percipiens, & degustans; perinde acsi ipsa esset in DEUM transformata. Et hoc sensu ista sententia intelligitur à Rusbrochio, Dionysio Carthusiano, & aliis Contemplativis; nequè quidquam incommodi continet. Verùm hìc non requiritur alia unio, quàm ea quæ fit per Visionem & Amorem.

Porrò modus Unionis de qua hìc agimus, multùm distinguitur ab unione illa, quæ fit in gloria per visionem & amorem beatificum; & ab hac unione quæ fit in hac vita cum auxilio ordinario per actum fidei, spei, & charitatis, etiam in viris perfectis. Nam illa unio inter has duas unionum species medio modo se habet. Non enim fit per actus nostros cum auxilio ordinario, sed cum influxu DEI specialissimo, quo isti actus in anima devota excitantur & formantur, ipsa se passivè habente, id est, non liberè cooperante (etsi vitaliter concurrat) sicut in motibus gratiæ prævenientibus. Per tales actus potest DEUS animæ repræsentare, quidquid ipse voluerit, efficiendo, ut ipsa concipiat intellectu mirabilia, ineffabilia, lucem immensam, pulchritudinem incomprehensibilem, gloriam cælestem, & alia stupenda, quæ sanctis viris in eorum extaticis contemplationibus objiciuntur: & simul potest in eadem anima excitare ardentissimos actus amoris, gaudii, & delectationis, & sensum quendam tactûs ac gustûs suavitatis & dulcedinis Divinæ, atque adeo ipsius DEitatis. Item sensum cujusdam annihilationis sui, & transitûs in dilectum; vel in suum principium; demersionis in pelagus quoddam deliciarum: cessante interim sensuum inferiorum officio, & usu libero imaginationis, intellectûs, & voluntatis. Talia plurimi DEI amici sæpè experiuntur cum summo in cognitione & amore DEI, suiquè despicientia profectu, qui ex huiusmodi visitationibus sequitur. Simili ferè modo peractæ omnes visiones Propheticæ, DEO formante in phantasia vel intellectu Prophetarum varios actus vitaliter repræsentantes id, quod ipse volebat ab illis concipi, sive id fieret per modum visionis, sive per modum auditionis, sive per modum odoratûs, odoris suavis vel tetri; sive per modum gustûs sive per modum

tactûs. Possunt enim omnibus his modis actus interni in anima, etiam in portione superiori excitari â DEO, Exempla habemus plurima tum in Prophetis, tum in Apocalypsi Joannis; unde dicunt se vidisse, se audivisse, gustâsse, tetigisse &c.

Ex quibus patet: Non esse opus, ut DEUS formet aliqua objecta seu simulacra objectorum, quæ mentibus objiciantur, Tum, quia actus vitales abundè sufficiunt (cùm per se formaliter quælibet objecta menti objiciant) Tum, quia vix concipi potest, quomodo aliqua objecta in mente formari possint, ut lux immensa, caligo immensa, profunditas immensa, & similia: Tum quia unico actu simul innumera repræsentari possunt; ut cùm Joannes vidit *Turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Itaquè perspicuum videtur omnes tales visiones fieri per solos actus, per quos fieri potest clara repræsentatio objectorum, perinde ac si existerent, quamvis nullo modo existant. *Hæc Lessius.*

Proprietates seu effectus unionis Amorosæ seu Transformationis in DEUM describit *Lessius* dicens: *Primò* quidem Amor DEI impellit hominem ad *Unionem per crebram cogitationem.* Cùm enim illum præsentem habere nequeat, assiduè quantùm fieri potest, cogitatione illi adest. Unde qui rarò de DEO cogitant, nequè eum ubique præsentem considerant, eo ipso ostendunt se in amore ejus parum esse ferventes: fervens enim amor totam cogitationem in dilectum trahit; ut etiam in iis, qui carnaliter amant manifestum est: his enim species personæ dilectæ semper illis adsunt, ut rectè dictum sit; Animam magis esse ubi amat, quàm ubi animat: magis, inquam, quia nobiliori modo, nimirum per unionem intellectualem, & majori sensu, ac gustu. *L. 2. de Sum. Bon. c. 12. n. 91.*

Secundò, impellit ad *Unionem per obsequium.* Qui enim alteri servit, est ejus veluti instrumentum, ac proinde ei conjungitur ut motori, ac fini, ob quem agit. Hinc ardentes DEI amatores semper in negotiis DEI versantur; & suis commodis ac honoribus neglectis, solum quærunt honorem DEI, suasquè omnes functiones ad illum dirigunt, & sic per ea se illi connectunt.

Tertio

Tertiò, impellit ad Unionem quæ fit per *vitæ similitudinem*, *& morum imitationem*. Similitudo enim, est quædam unio rerum, quæ similes dicuntur, cùm sit una forma in duobus. Hinc DEI amatores charitatis impulsu, Divinos amores imitari student: DEI, inquam, charitatem, & patientiam, beneficentiam in inimicos, misericordiam, clementiam juxta monitum Domini Matth. 5. quo priorem partem suæ exhortationis concludit. *Estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Deinde totam Christi vitam (in qua omnis perfectio continetur) in sua vita exprimere conantur, ut in hac tanquam in imagine, ipsa resplendeat: Ad quod passim nos hortatur Apostolus, cùm hortatur ut *Christum induamus, ut portemus imaginem hominis cælestis*; nempe Christi: *Ut Christi Passiones imitemur: ut carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigamus &c.*

Ibid. n. 93. & 94. *Quartò* Amor DEI impellit ad Unionem per *sublimem Contemplationem*, per quam, quantùm fas est vitæ mortali, DEO maximè conjungimur. Ad hanc hortatur S. Dionysius Timotheum cap. 1. Mysticæ Theologiæ his verbis. *Tu verò o chare Timothee, circa mystica spectacula contenta exercitatione, & sensus relinque, & intellectuales operationes, & omnia sensilia & intellectilia, & omnia quæ sunt, & quæ non sunt; & ad unionem ejus qui super omnem essentiam & notionem est, quantùm fas est, ignoto modo attollere.* Dicit hanc unionem fieri *ignoto modo*; quia non fit contemplando aliquam formam, vel rationem à nobis conceptibilem, ut vitam, sapientiam, potentiam, bonitatem, & æternitatem, &c. Sed fit ablatione omnis formæ, considerando DEUM omni formâ, quæ à nobis animo concipi queat, esse eminentiorem illam eminentiam, quia nullo modo à nobis sub aliqua forma concipi potest. Vocat ipsam *Divinam caliginem, & lucem superessentialem.* Nobis enim caligo est, quia per negationem omnis formæ intelligibilis concipitur, sed in se est lux omni luce eminentior.

Quintò denique impellit Amor DEI ad Unionem per quandam *liquefactionem, & demersionem in abyssum Divinitatis.* Ferventes enim DEI amatores, ita subinde in DEI contemplatione per amorem in DEUM effervescunt, ut sibi toti liquescere, & à suo Esse creato deficere videantur, & in abyssum Divini-

Divinitatis demergi ac absorberi, ibiquè se amittere, ita ut se ampliùs non sentiant, tanquam suum esse, suamquè naturam exuerint; Sed solum sentiunt DEUM, tanquam in illum transformati; & illius essentiam, vitam, lucem, & sensum induti; imò tanquam eadem essentia, vita, & lux cum illo effecti. Hunc modum interdum experiuntur viri Sancti contemplationi dediti, qui etiam ut sensum exprimant, utuntur subinde quibusdam loquendi formulis, quæ benignè sunt intelligendæ. Ut, *quòd amatorii Spiritus in DEUM altissimè sublevati liquescant, & defluant in incognitam caliginem; amittant se ipsos, & perdant in abysso Divinitatis; transeant in esse increatum ac ideale, in quo fuerunt ab æterno; fiant una simplex beatitudo, unum æternum amoris incendium cum DEO.* Non enim hæc ita accipienda sunt, quasi per amorem re ipsa amittant suum esse creatum, & mutentur in Divinitatem, sed alio modo; idquè dupliciter. *Primò*, quòd ista fiant quantum est ex vi affectûs: Summus enim amor ad summam nititur unionem; etsi fieri posset, ipsum amantem converteret in amatum, ut ipsi se totum perfectissimè impendat & uniat. Simili modo considerando infinitam DEI perfectionem, desideraret ipsum infinitè contemplari, infinitè amare, & laudare, si fieri posset. Nequè mirum videri debet, si inefficacibus votis amantes impossibilia affectant: quia amor cæcus est; nec mensuram novit, præsertim ubi bonum quod amatur, mensuram non habet. *Secundò*, quòd ipsa fiant secundùm sensum & perceptionem Contemplantium, præsertim in hac vita. Ita enim amore accenduntur, ut sibi quasi deficere, & liquescere videantur; & ita potenter trahuntur in abyssum Divinitatis, ut in illam veluti demergi & absorberi videantur; & se ipsos in illa perdant, adeò ut suum esse creatum ibi non sentiant, sed solam DEI essentiam.

Hæc *liquefactio* seu *defectio per amorem*, dupliciter fieri potest. Primò ratione consumptionis spirituum per intensissimam & assiduam cogitationem, vel cogitationem rei dilectæ, & vehemens desiderium, quo assiduè ad ejus præsentiam adspirat: contemplatio enim exhaurit spiritus animales; vehemens amor & desiderium cordis spiritus vitales. Hinc sequi- *Ibidem n. 95.*

tur maxima corporis debilitas, & virium defectus: & sæpè amor potest esse tam vehemens, ut sequatur mors, omni spiritu vitali, præ nimia cordis dilatatione, diffluente. Sic multi putant B. Virginem vi amoris mortuam. Hinc Sponsa Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis* (quibus spiritus exhausti & lassi recreentur) *quia amore langueo*. Et cap. 5. *Anima mea liquefacta est, ut* (dilectus meus) *locutus est*. Et psalm. 118. *Defecit in salutare tuum anima mea*: nempe exhaustis viribus assiduè cogitando, & suspirando ad salutem, vel Salvatorem, quem promisisti. Nequè hoc mirum videri debet, cùm etiam amor carnalis vires exhauriat, & tabescere interdum faciat, cùm hic qui vehementer amat, re optatâ frui nequeat.

Secundò, ratione immensitatis Boni, quod amandum & contemplandum proponitur, quod cùm vident se amando exæquare non posse, quodammodo deficiunt. Illud enim Bonum, infinitum amorem postulat; sed illi tantum præstare non possunt; allicit introrsùm infinitè, sed illi nec contemplatione nec amore infinitè sequi possunt. Et quia vellent si possent, quodammodo inconatu sine defectu deficiunt. Hoc tamen ipsum, quòd videant Bonum suum esse tantum, ut illud suo amore suâquè contemplatione non possint exæquare, non eos affligit, sed miro gaudio perfundit. Sicut, quòd mysteria Divina vincant omne humanum eloquium, & omnem intelligendi subtilitatem, nobis gaudendum, & gratulandum DEO nostro potiùs, quàm dolendum, ut S. Leo monet.

Dicuntur intrare Abyssum Divinitatis; quia per contemplationem & amorem illam intrant. Qui DEUM non videt; foris stat, imò procul ab illo distat; quia DEUS se habet ad illum, instar procul absentis. Qui illum clarè videt, præsens illi est, nequè hæret quasi exteriùs in superficie, sed intrò ingreditur, & in illam abyssum se immergit, quantùm potest. Amor enim intra dilectum commorari vult, quia hic ipsi est locus, & domus, & requies, & securitas, & omnia. Eò autem plùs vel minùs quisquis abyssum illam penetrat, eò profundiùs vel minùs profundè in eam se immergit, quò plus vel minus luminis & claritatis habuerit.

Dicun-

Dicuntur *se perdere in illa Abysso* secundùm suum Esse creatum; & rursum se invenire secundùm suum Esse increatum & superessentiale (ita enim passim loquuntur Contemplativi) ob duas causas. *Primò*, quia ibi primum vident se esse instar nihili ad illud immensum pelagus essentiæ (ut Gregorius Nazianzenus loquitur) neque in illius comparatione se habere quidquam amore dignum. *Secundò*, quia in essentia Divina (cùm supra omnia sit infinitè elevata) cessat omne Esse creatum, & omnis formarum distinctio; ac proinde in essentia Divina nulla cernitur creatura: quia tamen omnis natura creata ibi est secundùm suum Esse increatum, Causale, & Exemplare, omnia ibi inveniuntur præstantiori modo, quàm sint in seipsis: & hoc modo dicitur quis redire ad suum Exemplar, suumquè Esse ideale, & in illud transformari vi amoris & contemplationis. *Hactenus Lessius.*

Gradus Unionis cum DEO per Contemplationem, & Amorem: Illicia, Dispositiones ac Praxes, & alia ad Unionem cum DEO & Transformationem spectantia, vide suprà de vita Contemplativa, de Contemplatione, de Charitate seu Amore DEI.

SECTIO IV.

De supernaturali Perfectione Christiana.

PErfectio, de qua loquimur triplex est; Communis, Specialis, & Specialissima. *Communis*, ad quam omnes tendere & pertingere debent, sub amissione vitæ æternæ; estque *Habitualis infusa*, nempe perfectio animi per gratiam, habitusquè infusos virtutum, & donorum. Alia est *Habitualis supernaturaliter acquisita*; nimirum *Promptitudo & facilitas in diligendo DEUM ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus suis*; id est, in diligendo DEUM appretiativè super omnia, ut nihil ei unquam præponatur in ratione boni æstimabilis & diligibilis, propter quod deberet aliquis averti ab ipso summo Bono, & transgredi vel omittere executionem mandatorum ejus, convertendo se ad aliquod commutabile seu creatum bonum.

Specialis perfectio, ad quam in statu Perfectionis assequendæ existen-

existentes tendere, etsi non pertingere graviter obligantur; quamvè in statu Perfectionis exercendæ manentes, attigisse supponuntur, *Est autem habilitas & dispositio Charitatis supernaturaliter acquisiti, talis, quâ aliquis sit promptus, facilis, & expeditus ad frequens & exactum exercitium actuum Charitatis, elicitorum, & imperatorum omnis Virtutis, in gradu supererogationis.* Dicitur: *Habilitas & dispositio Charitatis*: quia primò, Charitas est de essentia Perfectionis, id affirmante *Suarezio*, ac citante communem Theologorum Sententiam cum D. Thoma 2. 2. quæst. 184. art. 1. & 3. Porrò Apostolus, Charitatem vocat *Vinculum Perfectionis*. Et alibi ait: *Plenitudo legis est dilectio.* S. Augustinus verò ipsam Charitatem vocat esse verissimam, plenissimam, perfectissimamq; justitiam. Ratio est; quia uniuscujusque rei perfectio in hoc statu est, quòd uniatur suo ultimo fini; jam verò per Charitatem maximè unimur ultimo Fini nostro DEO, ut Joannes insinuat: *Qui manet in Charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* Et sicut ad Beatitudinem etsi multis opus sit actionibus, illæ tamen quæ immediatè uniunt DEO essentiales censentur, reliquæ accidentales. Ita & in via illud est de essentia perfectionis, quod nos potissimùm unit DEO, eiquè magis similem reddit, quod præstat Charitas, in qua quò magis homo proficit, eò fit DEO similior docente Augustino: Igitur Charitas est de essentia Christianæ perfectionis.

Suarez lib. 1. de statu perfect. cap. 3. *Epist. ad Coloss. c. 3.* *Ad Rom. cap. 13.* *S. August. lib. de nat. & grat. cap. 42.* *1. Canonic. cap. 4.* *In Psalm. 99.*

Deinde 2dò: Quia perfectio vitæ Christianæ principaliter est posita in Charitate, adeoquè ad hanc perfectionem, status perfectionis principaliter ordinatur, ut docet Suarez. Etenim Paulus monet: *Super omnia autem Charitatem habete.* Et D. Thomas ait: *Perfectionem Charitatis esse principalissimam respectu perfectionis, quæ attenditur secundùm alias virtutes.* Dicitur: *Habilitas & dispositio Charitatis, talis, quâ aliquis sit promptus, facilis, & expeditus &c.* Ubi explicatur tantitas & determinatus gradus Charitatis, requisitus ad constituendam perfectionem eam, quam intendit Status perfectionis. Quia per hunc statum (ut *Suarez* tenet & probat dictam assertionem) tenditur ad Virtutes acquirendas, & frænandos affectus, ac tollenda omnia impedimenta: ita ut homo ad eam dispositionem permanentem & stabi-

Suarez lib. 1. de statu perfect. cap. 3. *Coloss. cap. 3.* *2. 2. q. 184. art. 1.* *Suarez lib. 1. de statu perfect. cap. 4.*

ſtabilem perveniat, in qua veluti connaturaliter quibusdam temporibus DEUM amet, & aliis alia opera Virtutis exerceat, & ſemper quantùm fragilitas hujus vitæ patitur minima etiam peccata evitet. Dicitur: *ad frequens & exactum exercitium &c.* Quia ſicut præfata habilitas & diſpoſitio permanens Charitatis ad operandum nequit acquiri, niſi eamde lege ordinaria præcedat actualis perfectio per frequentiam actuum, non enim aliter habitus ſive diſpoſitiones dantes facilè poſſe actui, comparantur: ita illa proxima habilitas & promptitudo ad benè operandum moraliter, non conſervabitur ſine frequentia ſimilium actuum. Dicitur: *ad frequens, & exactum exercitium &c.* id eſt, ut opera Charitatis aliarumquè Virtutum, & frequenter, & non ordinario modo, nempè tepidè, negligenter &c. Verùm ferventer, ad amusſim exquiſita fiant ad imitationem DEI, cujus *Perfecta ſunt opera: Exquiſita in omnes voluntates ejus.* Cavenda autem nimia intenſio & actuoſitas, nè debilitetur valetudo; Et ſcriptum eſt: *Noli eſſe juſtus multum.* Et: Nimium diligentes odi. Cùm juxta *Suarez*, ille pervenire poterit ad Statum perfectorum, qui etiamſi in ſingulis actibus non ſit multùm fervens, cum mediocritate tamen & æqualitate ſemper operetur perfectionis.

V. Suarez de ſtatu perfect. lib. I. cap. 4.
Deut. cap. 37.
Pſalm. 110.
Eccle. 7.
Suarez de ſtatu perfect. lib. 1. cap. 4.

Secunudum eſt, quod de ratione perfectionis eſt, *ut ſit quis facilis & expeditus ad exercendum omne genus virtutis, ſcilicet ſuo ſtatui proportionatum.* Quia ut *Suarez* docet: Etſi ratione finis & principalis moventis perfectio in una Charitate conſiſtat: tamen formaliter & in ratione cauſæ proximæ elicientis, ſeu miniſtrantis, perfectio vitæChriſtianæ non tantùm perfectionem Charitatis, ſed etiam cæterarum Virtutum includit. *Ratio uni eſt:* quia juxta Apoſtolum: *Finis præcepti Charitas de corde puro.* Quod etiam D. Auguſtinus extendit non modò ad præcepta, verùm & conſilia. Tum quia Charitas reſpicit immediatè DEUM, in quem tendit tanquam in ultimum finem: Ergo omnia opera aliarum Virtutum in hunc finem refert. Quia omnia in ultimum finem referenda ſunt. Quod verò contingit rationem principalis moventis, Charitatem talem deſcribit Apoſtolus: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, omnia credit, omnia ſuffert, &c.* In quo loquendi modo omnia Virtutum opera uni

Ibidem cap. 3.
Epiſt. ad Tim. cap 1.
Enchirid. cap. 121.

Charitati tanquam moventi & operanti tribuit, quod ea in DEUM dirigat imperando propter ipsum, & quasi DEUM imitando, omnia enim ad se convertit. Nam propter suam conservationem, augmentum, fervorem, puritatem, aliasquè similes perfectiones omnibus virtutibus imperat. *Ratio 2di est:* quia *ille est perfectus, cui nihil deest:* prout axioma loquitur. Ergo ad perfectionem Christianam illa omnia adesse debent, quæ ad illam desiderantur, talia verò sunt præter Charitatem etiam perfectio aliarum Virtutum, monente ad id Jacobo Apostolo, & dicente: *Probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet; ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Et Paulus: *Malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti:* Ubi nomine *sensuum* intelliguntur Virtutes moderatrices appetitus sensitivi. Porrò aliæ Virtutes requiruntur ad acquirendam perfectionem tanquam ejus instrumenta. Unde Moyses Abbas: *Jejunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt: quia non illis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa pervenitur ad finem.* Post acquisitionem verò perfectionis cæteræ virtutes sunt, quibus Charitas tanquam instrumentis seu proximis facultatibus ad perfectos illarum actus exercendos utitur, quibus & ipsa augetur, magis perficitur, conservatur, magisquè facilitatur ut expeditior fiat ad suorum quoque actuum exercitium, ob impedimentorum majorem diminutionem. Unde Joannes Apost. *Qui servat verbum ejus* (præcepti & consilii, quibus variæ virtutes præcipiuntur & consuluntur) *verè in hoc Charitas DEI perfecta est.* Porrò exercitium virtutum hìc intelligitur tum ratione actuum fugæ à peccatis etiam venialibus, & ab affectu ac occasionibus eorundem; tum ratione actuum prosecutionis cujusque virtutis. Quia peccata venialia diminuunt fervorem charitatis, suntquè impedimenta ad ejus expeditum exercitium; affectus quoque ad eadem peccata, & incuria eorum occasiones vitandi sunt proxima dispositio prolabendi in illa, necnon magna imperfectio seu defectus perfectionis. Dicitur in definitione: *in gradu supererogationis.* Quia cùm status perfectionis sit status supererogatoriorum operum, hæc tam ante acquisitam, quàm post acqui-

Jacob cap. I.
I. Cor. cap. 14.
Collat. I. cap. 7.
Ep. Canon. cap. 2.

acquisitam perfectionem frequentari debent: quippe opera Charitatis aliarumquè virtutum in gradu necessitatis Communem tantùm Christianorum designant perfectionem, non verò Specialem, de qua hìc agimus, & quæ propriè est status perfectionis.

Hactenus egimus de Perfectione Communi, & Speciali, quæ est Spiritualium Theologorum Activorum, quòd nimirum ad eam propria activitate cum supernaturali auxilio DEI pervenire possint. Nunc videndum, quid sit *Specialissima Perfectio*, propria Mysticorum seu Passivorum Theologorum. *Est itaquè summus amor DEI, experimentativâ notitiâ DEI aliisquè supernaturalibus modis acquisitus, vitans promptè quasvis imperfectiones, & heroicos virtùtum & gratiarum gratis datarum exercens actus.* Quales v. g. sunt Abstinentiæ, Vigiliæ, aliæquè Mortificationes insitatæ & extraordinariæ, Desolationes spiritùs pares pœnis inferni, Contemplationes extaticæ &c Miracula, Prædicationes Verbi DEI humanum modum excedentes &c. quæ potiùs in Sanctis mirari quàm imitari expedit, nisi sicut & illi singulari Spiritus S. impulsu ad similia patranda quis excitetur.

Ad clariorem de Perfectionis essentia, aliisquè ad eam spectantibus notitiam, *Nota 1mò.* Perfectionem esse aliam secundùm quid, aliam talem simpliciter. *Perfectio secundùm quid*, dum aliquis tantùm est perfectus in uno Virtutis genere v. g. in moderatione linguæ v. g. juxta Jacobum: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Perfectio verò simpliciter*, quâ aliquis est perfectus in Charitate, & in omni virtutum genere suo statui conveniente, prout suprà descripsimus juxta triplicem divisionem Communis, Specialis, & Specialissimæ Perfectionis.

Nota 2dò. Perfectionem unam esse Viæ, alteram Patriæ. *Perfectio viæ* respectivè ad perfectionem Patriæ dicitur inchoata, secundùm quod Paulus dicit se esse perfectum, & nondum perfectum. *Non quòd jam perfectus sim &c.* Et paulò pòst: *Quicunquè perfecti sumus.* Supra quod S. Augustinus inquit Apostolum v. 12. Negasse se esse perfectum perfectione Patriæ: Porrò versu 15. affirmasse se esse perfectum perfectione Viæ; de qua suprà actum. Patriæ autem perfectio est, omni prorsus perfectione

Epist. ad Philip. cap. 3.

ctione

ctione physicâ, morali, intentionali, creaturæ pro illo statu convenienti beatum ac felicem esse.

Nota 3tiò. Perfectio Viæ dicitur *Perfectio Proficientium*, non quòd proficere debeat in extinctione vitiorum, & acquisitione Virtutum, quæ jam supponuntur esse in Viro quâ perfecto, sed quòd durante præsenti vita semper proficere & crescere habet in intensiori charitate, quousque ad consummatam Patriæ, & indissolubilem perveniat cum DEO unionem. Unde *Mellifluus Doctor*: *Nemo*, inquit, *perfectus est, qui perfectior esse non appetit, & eo quisque se perfectiorem probat, quo ad majorem tendit perfectionem.* Hinc etsi Specialis perfectio suprà descripta, & usquè ad supremæ Hierarchiæ gradum seu Ordinem supra delineata communiter apud Spirituales pro ea perfectione sumitur, ad quam ordinariè tendit status perfectionis: quia tamen adhuc altior in hac vita datur Perfectio nempe Specialissima, ideo illam in Supremæ Hierarchiæ secundo & tertio gradu suprà distinximus, nempe in Via unitiua & perfectorum. Atquè ita perfectio specialis & ordinaria Perfectorum in primo ordine Hierarchiæ, respectu secundi & tertii gradus perfectionis supremæ Hierarchiæ, erit perfectio Proficientium; respectu verò modis & infimæ Hierarchiæ erit perfectio illa, quæ vocatur propriè Perfectorum, & Viæ unitivæ: ad eum modum; sicut medii gradus Metaphysici respectu superiorum graduum sunt Species, respectu inferiorum sunt Genus.

S. Bernardus in Epistol.

V. Schema in sum. Theol. Splr.

Nota 4tò ex Suarezio: *Potest DEUS hominem subitò constituere perfectum sinè actibus illius, solâ suâ efficaciâ mortificando passiones ejus, infundendo habitus etiam acquisibiles per actus, & constituendo eum in ea dispositione quasi habituali & permanente, ad quam homines perfecti per magnam exercitationem pervenire solent. Quod fecit in Beatissima Virgine à primo instanti Conceptionis, auferendo fomitem, & virtutes infundendo.* Et hoc ex parte DEI prævenientis Electos suos in benedictionibus dulcedinis: Ex parte autem hominis acceleratur ejus Perfectio ratione fervoris, desiderii, conatûs in proficiendo, &c. De quo *Mellifluus Doctor* ita discurrit: Sed dicet aliquis; quodsi morte præventus fuerit homo, necdum videlicet spirituali ædificio consummato, perfectus

Ita Suarez lib. I. de statu perfect. cap. 4.

S. Bernardus in Epist. 253.

quippe

quippe non habet, quo proficiat, & qui proficit eo ipso quòd „
proficit perfectus non esse convincitur. Est quod securi de „
illo plena fide respondeamus. Dicemus nempè: *Consummatus* „ *Sap. cap. 4.*
in brevi explevit tempora multa. Benè multa, quia & universa „
complectitur, quomodo enim non explevit omnia tempora, „
qui transit ad æternitatem? quanta sane tempora non lon- „
gævitate, sed longanimitate, hoc est non annorum serie vel die- „
rum numero, sed mentis devotione, & inextinguibili sem- „
per proficiendi desiderio percurrere potuit, tanta sibi in meri- „
tis, non immeritò vindicavit. Retinet quippe virtute, quod „
amisit in tempore. Porrò vera virtus finem nescit, tempore „
non clauditur. Unde est illud: *Charitas nunquam excidit*: & „ *1. Cor 13.*
item illud: *Patientia pauperum non peribit in finem.* Et *Timor Do-* „ *Psalm. 9. Psal.*
mini Sanctus permanet in seculum seculi. Nunquam justus arbi- „ *18.*
tratur se comprehendisse, nunquam dicit satis est, sed semper „
esurit, sititquè justitiam, ita ut si semper viveret, semper quan- „
tum in se est justior esse contenderet, semper de bona in me- „
lius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum „
vel tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se man- „
cipat famulatui. Audi deniquè vocem Justi. *In æternum non* „ *Psalm. 118.*
obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me. Et rursum: „ *Ibidem.*
Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum. Non „
igitur ad tempus. Proinde *justitia ejus* manet non aliquanto „
tempore, sed *in seculum seculi.* Sempiterna itaquè justi esu- „ *Psalm. 111.*
ries sempiternam meretur refectionem. Et licèt in brevi con- „
summetur pro tempore, judicatur tamen explêsse tempora „
multa pro virtutis perpetuitate. Quo deniquè pacto tempo- „
ris brevitas bonorum præjudicet perpetuæ devotioni, quæ per- „
tinacem reproborum malitiam excusare non sufficit? Ob „
hoc enim procul dubio inflexibilis & obstinatæ mentis puni- „
tur æternaliter malum, licèt temporaliter perpetratum, quia „
quod breve fuit tempore & opere, longum esse constat in „
pertinaci voluntate: ita ut si nunquam moreretur, nunquam „
velle peccare desineret: imò semper vivere vellet, ut semper „
peccare posset. Proinde potest & de isto per contrarium iti- „
dem dici: *Consummatus in brevi explevit tempora multa*, quod merito, „

G multo-

„ multorum, imò omnium temporum receperit vicem, qui nullo „ tempore voluerit mutare intentionem. Itaque indefessum „ proficiendi studium, & jugis conatus ad perfectionem perfe- „ ctio reputarur. Quodsi studere perfectioni esse perfectum „ est, profectò nolle proficere, deficere est. *Hæc S. Bernardus.* Unde nemini despondendus animus, quin perveniat ad culmen perfectionis, etsi frequentiùs deficiat, modò tamen pro virili

Isa. cap. 50. conetur proficere quantum in se est. *Cùm non sit abbreviata manus Domini*, quæ illum uno instanti possit ex imperfecto ad altissimum evehere fastigium perfectionis.

Suarez de statu perfect. lib. 1. cap. 4. n. 12.

Nota 5tò, Juxta Suarezium. *Fieri aliquando posse, ut aliquis, qui ad gradum perfectorum pervenerat ab illo cadat, & imperfectus simpliciter fiat, etiamsi mortaliter non peccet, & consequenter eandem gratiam sinè diminutione, aut remissione retineat. Quia sinè peccato mortali Charitas perdi non potest, nec per venialia peccata aut imperfecta opera remittitur, ut nunc supponimus. At verò ad cadendum à statu perfectionis sufficere potest frequentia peccatorum venialium voluntaria, cum nimia indulgentia in propriorum affectuum vel voluptatum prosecutione citra culpam gravem, & nimiam remissionem, vel omissionem perfectorum actuum virtutis.*

Ibidem.

Nota 6tò. Posse aliquem apud DEUM esse sanctiorem, „ & nihilominus esse imperfectiorem, id est in gradu inferiori „ quoad modum perfectionis existere. Et consequenter posse „ aliquem minùs perfectum in hac vita, ad perfectiorem bea- „ titudinem in altera pervenire. Nec hoc est inconveniens, quia „ vera sanctitas apud DEUM, & jus ad æternam beatitudinem „ attenditur secundùm gradus charitatis, & gratiæ: perfectio „ autem hujus vitæ attenditur secundùm affectum, & disposi- „ tionem hominis ad operandum in hac vita cum promptitudi- „ ne, facilitate, ac vitæ puritate. *Dices*: Etiam Sanctitas & Bea- „ titudo futura, datur unicuiquè secundùm opera sua. *Respon-* „ *deo.* Esto ita sit, nihilominus possunt interdum opera conferre „ ad majus meritum propter multitudinem, & temporis diu- „ turnitatem, & non esse apta ad aliam perfectionem conse- „ quendam. Et præterea illud augumentum sanctitatis, & bea- „ titudinis provenire potest ex applicatione meritorum Christi

per Sacramenta, (*nempè poenitentiæ & Eucharistiæ, quæ aliquis* ,,
diuturniore vitâ durante frequentaret) quæ tunc quoad illam ,,
partem, tanquam nostra reputantur: & nihilominus ad effe- ,,
ctum acquirendi aliam perfectionem in hac vita non accom- ,,
modantur, nec applicantur.))

Nota 7timò. Quanquam aliquis ad summum apicem perfectionis deveniat, non tamen ibi sistendum, sed altiùs & altiùs progrediendum. Quia dicitur: *Cùm consummaverit homo tunc* *Eccl.* 18. *incipiet.* Et S. Hieronymus. *Hæc est in omnibus sola perfectio, suæ* *S. Hieron in* *imperfectionis cognitio.* Et S. Laurentius Justinianus: *Verus amor* *Epist. ad Theod.* *gradu uno contentus non est; ad altioria semper nititur, & ad perfectiora indesinenter concupiscit attingere, Qui habet, non magnifacit virtu-* *S. Laurentius* *tes, proficiendi accensus desiderio.* Deniquè viatores sumus in via, *Just. c. 2. de* non in termino comprehensores. *Cast. Connu.*

Stimuli ad Perfectionem Christianam comparandam, & augendam ejusmodi præstò sunt. 1mus. Genesis: *DEUS ad Abraham ait:* *Gen.* 17. Ambula coram me, & esto perfectus. *Deut.* Perfectus eris, & *Deut.* 18. absque macula cum Domino DEO tuo. *Osee.* Ego (ait Do- *Osee.* 14. minus) cum viro perfecto loquens, exaudiam & dirigam eum. *Coloss.* 1. *Apostolus.* Corripientes omnem hominem, perfectum in Christo JESU. *Idem.* Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad *2. Timoth.* 3. docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum instructus. *Joan. Apost.* In hoc perfecta est charitas DEI no- *1. Joan.* 2. biscum, ut fiduciam habeamus in die judicii, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.

2*dus*, *Perfectio est vera sapientia.* Unde *Apostolus*: Sapien- *1. Cor.* 2. tiam DEI loquimur inter perfectos. *Et S. Hieronymus.* Sapien- *S. Hieron. in* tes bifariam nuncupantur tam hi, qui sunt plenæ perfectæquè *Epist. ad Gal.* 1. virtutis, quàm illi qui incipiunt, & in profectu positi sunt De perfectis dicitur: Mittam ad vos sapientes. De incipientibus: *Matth.* 23. Argue sapientem, & diliget te. Qui enim plenæ consumma- *Proverb.* 9. tæquè virtutis est, correptione non indiget.)) Quare omnia *Luc.* 17. quæ serviunt sapientiæ huc applica. *Perfectio est Regnum DEI*: *S. Bonaven-* de quo *Christus*: Regnum DEI intra vos est. *Et S. Bonaventura* *tura in Myst.* Tunc Regnum DEI in animam venit perpetuo solio stabilitum, *Theol. part.* 2.

quandò in tantum virtus ardentis amoris prævalet in spiritu, ut non solùm inordinationes interiorum sensuum velocissima insurrectione viriliter comprimens, domina totius regni spiritualis appareat, sed cùm virtute ipsius amoris omnia acta judicio rationis præsentantur, ut illud quod plus dilectio placere decreverit, semper in omni actu exerceat &c. *Abbas Jo.* Miserum est cujuslibet artis & studii disciplinam quampiam profiteri, & ad perfectionem ejus minimè pervenire. *Lucius*: Nihil est similius & gratiosius DEO, quàm vir animo perfectus homo.

Abbas Jo. in Coll. suis. *Lucius Anpulejus de DEO Socratis.*

3tius ab Exemplis. I. DEUS Forma omnis perfectionis. Unde dicitur *Deut.* DEI perfecta sunt opera. *Christus monet*: Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est.)) In quo non ad æqualitatem, sed ad similitudinem perfectionis Divinæ aspirare debemus.

Deut. 32. *Matth. 5.*

II. *Christus idea perfectionis.* Ideo dixit ad quendam: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & veni sequere me. Porrò *S. Anselmus* supra illa verba *Apostoli.* Induimini Dominum nostrum JESUM Christum, ait, Christus sapientia est, & justitia, & sanctificatio, & veritas, & omnes simul virtutes, quas qui assumpserit, Christum dicitur indutus esse. Christum induimini, id est, formam Christi sumite; vestis, & habitus, & forma illius undiquè fulgeat, & repræsentetur in vobis

Matth. 10. *Rom. 13.* *Anselm. ibid.*

III. Beatissima Virgo summa perfectionis: de qua placuit ex Jac. Alvarez hæc afferre. Sicut in cælis est aliqua minima lux, ea, scilicet, quâ minima stella resplendet, quæ licèt minima aliis astris comparata, est tamen longè major omnibus luminibus corruptioni subjectis, quæ noster ignis accendit: & est etiam aliqua maxima lux, nempe lux solis, quæ omnium stellarum lucem, splendore & pulchritudine mirum in modum antecellit: inter has autem duas luces, minimam & maximam, est penè infinita quædam lucis latitudo, quæ tantùm ad nobilissima illa corpora pertineat, & tota illa vocatur, & est lux superior atque cælestis, cujus stella particeps lucida est, & minus particeps, minus lucida, magis verò particeps, magis pulchra est, ac splendida: Ita in omni numero Sanctorum & Perfectorum, quos DEUS ad perfectionem evehit, & nos tanquam quosdam cælos

suspi-

suspicimus, est aliqua minima charitas, illa scilicet quam habet, aut habebit minima stella, minimus videlicet omnium perfectorum, quæ quidem charitas major & præstantior est omni charitate communium justorum, qui nunquam seipsos plenè vincunt, nec ad perfectionem ascendunt: & est aliqua maxima charitas, nempe DEIparæ Virginis, quam Bernardus cum sole meritò confert. His autem duabus charitatibus, minimæ, & maximæ, quasi immensitas quædam, aut mare quoddam interminabile charitatis interjacet, quod ad perfectos tantùm spectat, & nomen ac naturam perfectionis habet.

IV. Noë, ipsius S. Scripturæ testimonio, vir justus atquè perfectus fuit in generationibus suis, cum DEO ambulavit. Hinc & gratiam invenit coram Domino. *Aliud.* De Davide Rege ipse DEUS etiam testatus est: Inveni David filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Hinc addit: Oleo Sancto meo unxi eum: Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Etiam de Jobo dixit DEUS ad sathan: Nunquid considerâsti servum meum Job, quòd non ei sit similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens DEUM, & recedens à malo? Hinc & mortuus est senex, & plenus dierum. *S. Paulus* de seipso scripsit Philippensibus; Veruntamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam JESU Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Non quòd acceperim aut perfectus sim: sequor autem, si quomodò comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo JESU. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse; unum autem, quæ quidem retrò sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis. Quicunquè ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. *S. Theresia* adeo fuit avida perfectionis, ut voto se DEO obstringeret ad ea eligenda, quæ perfectiora judicavit.

Gen. 6. v. 9. *Act. 13. v. 22.* *Psalm. 88. v. 1.* *Job. 1. v. 8.* *Philipp. 3. v. 8.*

In Praxi pertingendi ad Culmen Christianæ Perfectionis hæc ex P. Lohner conferunt. I. *Vehemens desiderium.* Nam, ut Sanctus quidem Doctor ajt: quidquid toto corde, tota intencione,

V. Lohner in Bibl. manual. Cornel. in c. 4. Genes.

S. August. tract. 4. in epist. 1. Joan.

tione, toto desiderio vis, id es certissimè. Et S. Augustino teste, tota vita boni Christiani Sanctum est desiderium proficiendi. Hic sinus noster est, hic saccus, & quia angustus est, extendendo facit capaciorem.

Sap. 7. v. 7.

II. *Oratio assidua.* Sic enim Salomon exemplo suo suasit, dum dixit: Optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ, & præposui illam regnis, & sedibus, & divitias nihil duxi in comparatione illius. Quæ omnia æquè, imò potiori jure perfectioni applicari possunt.

2. Tim. 3. v. 16.

III. *Lectio frequens librorum Spiritualium.* Nam huic convenit illud S. Pauli, Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum instructus! Cujus medii efficaciam S. Augustinus, S. Ignatius Lojola, aliiquè plures sunt experti.

S. Gregor. Nyss. lib. de vita Moys.

S. Basilius opusc. 74. c. 7.

IV. *Vitæ & exempla Sanctorum frequenter ob oculos proposita.* Nam ut S. Gregorius Nyssenus ait: Credendum est, idcirco vitas præstantissimorum virorum exquisitissimè perscriptas esse, ut vita nostra imitatione ad virtutem & bonum rectiùs deducatur. Ipsum confirmans, S. *Bassilius*: Vitæ beatorum hominum, inquit, literis traditæ sunt velut imagnes quædam vivæ, Divinæ Reipublicæ ad bonorum operum imitationem propositæ. Unde quemadmodum pictores quando imaginem pingunt, identidem ad exemplar respicientes, characterem ad suum opificium inde transferre conantur: ita oportet eum, qui studet seipsum omnibus virtutum partibus perfectum reddere Sanctorum vitas velut simulachra quædam viva & efficacia illorumquè bona opera per imitationem sua facere. *Hæc Pr. Lohner.*

V. Studium actuale serium ac indefessum proficiendi ad Perfectionem actibus virtutum tanquam passibus per vias vitæ, per viam purgativam, actibus pœnitentiæ & mortificationis ad Puritatem: per viam illuminativam actibus diversarum virtutum suo statui proportionatarum ad Ornatum animi; per viam unitivam actibus Contemplationis & Amoris ad Unionem cum DEO & in eum Transformationem, ad Perfectionem ipsam, Sanctitatem, Beatitudinem Viæ & Patriæ. Quod verò tali ordine

ordine & gradatim ad Perfectionem currendum, audi S. Bernardum qui ajt: *Nemo repente fit summus, & ascendendo, non volando apprehenditur summitas scalæ.* Quod confirmans S. Laurentius Justin. *Quisquis*, ajt, *in spirituali exercitio coepit perfectionis Culmen attingere, juxta Prophetæ admonitionem ascensionis sibi in corde spirituales componat gradus, per quos de virute in virtutem proficiens, ipsum DEUM ex parte comprehendere valeat, à quo plenissimè comprehensus est.*

VI: Frequens & dignus usus Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, indicibiliter promovet ad omnem vitæ Perfectionem, & Sanctitatem, ut aliunde colligere potes.

Perfectio est perfecta virtus, & perfecta Claritas. Ergo quid de his suprà dicitur, de Perfectime dicendum intellige.

§.

Oppositum Perfectionis est *Neglectus proficiendi ad Perfectionem, & Pseudo-perfectio,* quâ aliquis putans se attigisse certum gradum vel culmem perfectionis, ampliùs non conatur proficere. *Ratio est*: quia ejusmodi non est verè perfectus, etiamsi putet se esse talem. Charitas enim DEI semper vult ad altiora. Unde dicitur: *Amor operatur magna, ubi est.* Ergo ibi uon est, ubi desinit operari. Et dato per imposibile etiam verè perfectum nolle ampliùs proficere, tamen eo ipso ob malam voluntatem desinit esse supernaturaliter perfectus, quia desunt in ipso Gratia DEI & supernaturalis habitus Charitatis, qui requiritur necessariò ad supernaturalem perfectionem Christianam. Sed *audi S. Augustinum* qui ajt: Semper tibi displiceat, quod es; si vis pervenire ad id, quod non es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti: Si autem dixeris sufficit, & peristi. Hinc ajt, Apostolum prius suam imperfectionem confessum esse, & postea se perfectum dixisse, quia est perfectio hominis, invenisse se non esse perfectum. Et *S. Bernardus*: Ubi sunt qui dicere solent, sufficit nobis, nolumus esse meliores, quàm Patres? O Monache non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere in quo perveni, nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim

S. August. serm. 15. de verb.

S. Bern. Epist, 253.

enim stat in hoc seculo? Et certè de homine specialiter dictum est: *Fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.* (Job. 14.) Ipse denique hominis seculiquè Author quamdiu in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, numquam stetit. Et quidem teste scriptura, *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes.* (Act. 10.) Pertransiit ergo sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigrè, non lento gressu, sed quemadmodum item de eo scriptum est: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* (Psalm. 18.) Porrò currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus ajebat: *Sic currite, ut comprehendatis.* (1. Cor. 9.) Ibi tu Christiane, fige tui cursus profectusquè metam, ubi Christus posuit suam. *Factus* inquit *obediens usque ad mortem.* (Philipp. 2.) Quantumlibet ergo cucurreris: si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis; bravium Christus est. Quodsi illo currente tu gradum sistis, non Christo appropias, sed te magis elongas: timendumquè tibi est quod ajt David: *Ecce qui elongant se à te Domine, peribunt.* (Psalm. 72.) Itaquè si proficere currere est: ubi proficere, ibi & currere desinis. Ubi verò non currere, ibi & deficere incipis. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est. Vidit scalam Iacob, & in scala Angelos, ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere, vel descendere videbantur universi: quatenus palàm daretur intelligi; inter profectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri: sed quomodo ipsum corpus nostrum continuè constat, aut crescere aut decrescere, sic necesse sit & spiritum aut proficere aut deficere semper.)|)

Vide suprà plura terribilia maximè contra Religiosos incurios profectûs spiritualis seu tendentiæ ad perfectionem. (Theol spir. c. 5. sec. 2. subs. 1. & sub pec. mort.)

SECTIO V.

De supernaturali Sanctitate Christiana.

SAnctitas hujusmodi triplex assignatur Communis, Specialis, & Specialissima. *Communis* est alia habitualis infusa, quæ etiam per pauciores imò & per unum gradum gratiæ sanctificantis confertur. Cujus mentio frequens apud Apostolum in

suis Epistolis. v. g. *Omnibus qui sunt Romæ dilectis* DEI *vocatis sanctis, gratia vobis &c.* *Specialis Sanctitas* bifariam sumitur 1mò habitualiter secundùm summos gratiæ sanctificantis gradus infusos. 2dò itidem habitualiter, sed secundùm specialem perfectionem Puritatis, omniumquè Virtutum, maximè Charitatis, cum auxilio gratiæ supernaturali acquisitam, de qua supradictum. Hinc B. Dionysius Areopagita inquit: *Sanctitas est ab omni scelere libera, perfectaquè & penitus incoinquinata munditia.* Et Angelicus Doctor ajt: *Munditia* necessaria est ad hoc, quo mens DEO applicetur, quia mens humana inquinatur ex hoc, quòd inferioribus rebus conjungitur, sicut quælibet res ex immixtione pejoris sordescit: ut argentum ex immixtione plumbi. Oportet autem quòd mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc, quòd supremæ rei possit conjungi. Et ideo mens sinè munditia DEO applicari non potest. Unde ad Heb. 12. dicitur: Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam: sinè qua nemo videbit DEUM. Firmitas etiam exigitur ad hoc, quòd mens DEO applicetur. Applicatur enim ei sicut ultimo fini, & primo principio. Hujusmodi autem oportet maximè immobilia esse. Unde dicebat *Apost. Rom. 8.* Certus sum, quòd nequè mors, neque vita, &c. separabit nos à charitate DEI. Sic ergo Sanctitas dicitur, per quam mens hominis seipsam, & suos actus applicat DEO. *Et paulò pòst. Sanctitas* autem dicitur secundùm quod homo non solùm hæc (id est religionis) sed etiam aliarum virtutum opera refert in DEUM.)) *Specialissima seu Privilegiata* Sanctitas est, quæ cum altissimis gratiæ sanctificantis gradibus infusis specialissimam possidet supernaturalem perfectionem, de qua suprà.

Rom. 1.

Dionys. 12. de Divin. nom.

S. Thom. 2. 2. quæst. 8. art. 8.

Incitamenta Sanctitatis. 1mum *Levit.* Sancti eritis, quia ego Sanctus sum. *Sapient.* Gratia DEI & misericordia in Sanctos ejus, & respectus in electos illius. *Ibidem:* Iusti in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris & diadema speciei de manu Domini. *Apostolus.* Hæc est voluntas DEI Sanctificatio vestra. *Idem*: Pacem sequimini cum omnibus & Sanctimoniam: sinè qua nemo videbit DEUM. *Apoc.* Qui

Sap. c. 4.
Sap. c. 5.

1. Tess. 4.
Hebr. 12.
Apoc. 22.

justus est justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.

Prov. c. 4. *Proverb. dicitur*: Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem. *Et illud*: Quæ est ista quæ

Cant. 6. progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa

S. Dionys. lib. 4. de Divin. nom. ut Sol? Unde *S. Dionysius* asserit: Sanctos indies copiosiori gratiæ lumine à DEO perfundi, ut tandem fiant toti lucidi & Deiformes *Et S. Gregorius*. Anima quæ priùs erat in tenebris, nunc

S. Gregor. in illum.loc.Cant. 6. Quæ est ista &c. quasi aurora splendens apparet. Eadem dum peccantibus bona exempla præbet, quasi luna in nocte lucet. Dum verò magis ac magis crescit, & de die in diem per consuetudinem operis lumen justitiæ tam perfectè accipit, ut etiam bonis exempla imitationis præbeat; profectò jam luna sol efficitur, quia quæ in nocte errantibus lucebat, modò in die ambulantibus lumen veritatis manifestat.

S. Bernardus serm. 1. in Dedicat. Ecclesiæ. 2dum. *S. Bernardus*. An verò corpora vestra sancta esse quis dubitet, quæ templum S. Spiritus sunt, ut sciat unusquisquè possidere vas suum in sanctificatione? itaquè sanctæ sunt animæ propter inhabitantem Spiritum DEI in vobis, sancta sunt corpora propter animas, sancta est etiam propter corpora domus. Adhuc certè corruptibili tenebatur in carne, & in corpore peccati, in quo & grave adulterii crimen admisit, illius

Psalm. 85. anima, qui dicebat: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Mirabilis planè DEUS in sanctis suis, non modò in cælestibus, sed etiam in terrenis. Utrobiquè sanctos habet, & in utrisquè mirabilis est: illos quidem beatificans, istos sanctificans. An experimentum quæritis ejus, de qua loquimur sanctitatis, & sanctorum vobis istorum miracula desideratis ostendi? multi certè ex vobis à peccatis & vitiis, in quibus computruerunt, tanquam jumenta in stercore suo exiêre viriliter, & quotidie impugnantibus eis, potenter resistunt, juxta Apostolum qui de

Hebr. 11. sanctis loquens utiquè; *Convaluerunt*, inquit, *de infirmitate. Fortes facti sunt in bello.* Quid mirabilius, quando is, qui priùs, vix per biduum poterat à luxuria, crapula, & commessationibus, & ebrietatibus, à cubilibus & impudicitiis, cæterisquè similibus & dissimilibus vitiis continere, nunc ab eis continet multis annis, totâ utiquè vitâ suâ? Quod majus miraculum, quòd tot Juve-

nes,

nes, tot adoleſcentes, tot nobiles, univerſi deniquè quos hìc video, velut in carcere aperto tenentur ſine vinculis, ſolo DEI timore confixi, quòd in tanta perſeverant afflictione pœnitentiæ ultra virtutem humanam, ſupra naturam, contra conſuetudinem? Ipſi credo videtis, quanta jam poſſemus invenire miracula, ſi perſcrutari ſigillatim liceret ſingulorum exitum de Ægypto, & deſerti viam, id eſt abrenuntiationem ſeculi, introitum Monaſterii, in Monaſterio converſationem. Quid verò ſunt hæc, niſi manifeſta inhabitantis in vobis Spiritus Sancti argumenta? Nam habitare in corpore animam probant vitales motus corporis; habitare in anima Spiritum probat vita ſpiritualis. Illud ex viſu & auditu dignoſcitur: iſtud ex charitate & humilitate, cæteriſquè virtutibus.

3tium Exempla. I. *DEUS* ipſa infinita ſanctitas, de qua fusè alibi. II. *Chriſtus* qui vocatur *Sanctus Sanctorum.* Supra quod Cornelius à lapide ait: Chriſtus quà DEUS eſt ipſa increata, immenſa & eſſentialis ſanctitas: quà verò homo; eſt ſanctiſſimus non tantùm per gratiam animæ ejus infuſam, quâ longè omnes Angelos & homines ſanctos ſuperat & tranſcendit; ſed etiam per gratiam unionis hypoſtaticæ, per quam in humanitate Chriſti inhabitat plenitudo uti Divinitatis, ita & ſanctitatis corporaliter: quæ admirabilis & incomprehenſibilis eſt ſanctificatio, utpote quæ expiationis & ſanctificationis humano generi à DEO conſtitutus eſt fons. Ab hujus plenitudine omnes accepimus, & quod ſupereſt, adhuc mille mundorum peccatis abluendis, & infinitis animabus ſanctificandis ſufficit. Hinc ab æterno prædeſtinati ſumus in Chriſto, ut ſimus ſancti & immaculati in conſpectu DEI. Epheſ. 1. Chriſti ergo ſanctitas, eſt omnis hominum ſanctitatis cauſa efficiens, meritoria, exemplaris, & finalis. Omnis enim ſanctitas noſtra ſanctitati Chriſti quaſi exemplari ſuo conformari debet, ad ejusquè gloriam quaſi ad finem ſuum dirigi, ut ſcilicet ipſe in omnibus à ſe redemptis & ſanctificatis honoretur, laudetur, & glorificetur in æternum. *Comment. in Daniel. cap. 9.*

III. *Virgo Deipara,* de qua *S. Chryſoſtomus*: Quid illa majus, aut illuſtrius ullo unquam tempore inventum eſt, ſeu aliquando in- *Chryſoſt. in ſerm. Nativit. MARIÆ.*

do inveniri potuit? Hæc sola cælum & terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non deniq; aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut invisibiles, majus aut excellentius inveniri potest. Imò illa est cujus fundamenta in montibus sanctis; id est abinde cœpit suam sanctitatem, ubi maximi sanctorum illam consummârunt.

In Praxi ad comparandam vitæ Sanctimoniam ea sunt media, quæ habes suprà ad proficiendum & perveniendum ad culmen Perfectionis.

SECTIO VI.

De Supernaturali Beatitudine Viæ.

BEatitudo, seu summum bonum humanæ naturæ, in quo naturaliter situm sit, adeò torsit ingenia Ethnicorum sapientum, ut post multas concertationes, pars eorum divisa sit in duodecim Sectas principaliores, quod refert D. *Augustinus*. Et *Lactantius* decem ex nomine narrat: Epicurus, *inquit*, summum bonum in voluptate animi esse censet. Aristippus in voluptate corporis. Calliphon & Dynomachus, Cyrenaici, honestatem cum voluptate junxerunt. Diodorus in privatione doloris summum bonum posuit. Hieronymus in non dolendo. Peripatetici autem in bonis animi, & corporis, & fortunæ. Herilli summum bonum est scientia. Zenonis, cum natura congruenter vivere. Quorundam Stoicorum, virtutem sequi. Aristoteles in honestate, ac virtute summum bonum collocavit. Hæ sunt ferè, inquit, omnium sententiæ. Quin etiam, ut *Aristoteles* inquit; Sæpè fit, ut idem de felicitate opinetur diversa. Cùm enim ægrotat, sanitatem, cùm pauper est, divitias summum bonum putat &c. Idcirco *Suarez* dicit falsam beatitudinem in infinitum multiplicari posse pro libitu humanæ voluntatis. Alia pars Philosophorum, qui Academici novi intitulabantur, de beatitudine nil certi asseruerunt, utpote, quibus incerta erant omnia, ut loquitur *S. Augustinus*. Quæ causa tantæ fluctu-

Lactantius lib. 3. divin. institut. cap. 7.

Aristot. lib. 1. Ethico. cap. 4.

Suarez de beatit. disp. 4. sect. 3. n. 1.

S. August. lib. de Civit. 19. c. 1.

fluctuationis nobilisſimorum ingeniorum? Unica eſt, obſcuratio inſipientis cordis eorum, ſive hæc provenerit in pœnam peccati in aliquibus, qui juxta Apoſtolum, *cùm cognoviſſent DEUM, non ſicut DEUM glorificaverunt*; ſive ex errore gentiliſmi. Hinc verſantes in opaca caligine veri luminis, dum appetitu naturali poſt fatuos ignes bonorum temporalium feruntur, quaſi eorum quieta iucunditate perfruituri, vel eis diſparentibus, vel non prout æſtimabantur, apparentibus, eluduntur. Cæterùm tamen Peripatheticorum laus hoc in puncto omni antiquorum naturali ſapientia eminuit, qui *Felicitatem poſuerunt in operatione ſecundùm virtutem perfectam.* Ubi tum aliarum virtutum perfectionem grandia mala animi nempè vitia eliminantem, tanquam neceſſarium prærequiſitum beatitudinis, & eandem perfectionem utpote omni bono majus, quia proprium mentis rationalis ad integritatem beatitudinis ſpectans, tum præcipuè operationem ſeu Contemplationem potentiæ Intellectus (quæ etiam virtus perfecta ingenita dici poteſt) necnon virtutis ſapientiæ, quæ per altisſimam cauſam iudicat de aliis, ſuppoſuiſſe videntur. Quibus præmisſis de Beatitudine naturali lumine cognita, ad ſupernaturalem accedamus. Itaquè Chriſticolarum ſupernaturalis Beatitudo eſt duplex, *Una viæ* ſeu vitæ præſentis imperfecta, ſeu inchoata: *Altera Patriæ* perfecta. De quibus *Saurez* citans *D. Thomam.* Porrò Beatitudo viæ eſt & eſſentialis, & accidentalis. De utraquè igitur in ſequentibus.

Rom. 1.

Ita Philoſophus lib. 7. Ethic. c. 7. Tom. 5.

Suarez de Beatit. diſp. 4. Sect. 3.

§ 1mus.

De Eſſentiali Beatitudine Viæ.

Eſſentialis Beatitudo Viæ alia eſt Ordinaria, alia Supereminens. *Ordinaria, eſt ſpecialis DEI cognitio, naturæ indebita, activè abſtracta, & ejusdem amor fruitivus, importans ſecuritatem de reciproco amore DEI erga hominem in tempore, & æternitate.* Dicitur: *Ordinaria*: non quòd Beatitudo hæc vulgari ſenſu ſpiritualium accepta, communis ſit omnibus vel ſaltèm pleriſquè Chriſtianorum, ſed quia ordinariè accidit eis, qui ad eam ſeſe ſpeciali perfectione & ſanctitate diſpoſuerunt: Nam ſicut ſpeculum

exiguus quoquè halitus & nævi inficiunt, nè clare repræsentet objectum; vel oculus aliquo humore noxio, modico licèt infectus, minimè producit claram & firmam visionem lucidorum; ita & cor nisi munditiam habuerit à maculis quoquè venialium, non erit susceptivum Divinorum radiorum, nec productivum cognitionis, nisi fortè cujusdam confusæ & caliginosæ, insufficientis ad constitutivum beatitudinis, de qua agimus. Unde
Matth. 5. *Christus* Mundicordibus Beatitudinem promittit, sitam in vi-
D. Thom. 1. 2. siones D E I. Et *D. Thomas* requirit ad Beatitudinem *Rectitudi-*
quæst. 4. art. *nem voluntatis*, sitam in hoc, ut sit debito modo dispositа seu or-
4. dinata ad ultimum finem: adeoquè quicquid diligit, diligat sub ordine ad DEUM, sinè qua rectitudine, nec quisquam ad Beatitudinem pervenire poterit, nec in ea permanere. Dicitur: *Specialis DEI cognitio naturæ indebita, activè abstracta.* Unde adverte *imò* requiri saltèm cognitionem eam quæ in primo gradu supremæ Hierarchiæ Contemplativorum suprà descripta habetur, ubi DEUS puriùs cognoscitur sinè velamine phantasmatum. *2dò* Requiritur cognitio DEI tanquam essentiale constitutivum beatitudinis, tum ex parte objecti, tum ex parte sub-
D. Thomas 1. jecti. Ex parte quidem objecti: quia juxta D. Thomam
2. quæst. 2. *cùm impossibile sit beatitudinem hominis esse in aliquo bono creato, bea-*
art. 8. *titudo enim est bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum: alioquin non esset ultimus, finis si adhuc restaret aliquid appetendum. Obiectum autem voluntatis quæ est appetitus humanus, est universale bonum, sicut objectum intellectûs est universale verum. Ex quo patet, quòd nihil potest quietare voluntatem hominis nisi bonum universale, quod non invenitur in aliquo creato, sed solùm in DEO: quia omnis creatura habet bonitatem participatam. Unde solus DEUS, voluntatem hominis implere potest; secundùm quod dicitur in Psalmo. 102. Qui replet in bonis desiderium &c. In solo igitur DEO beatitudo hominis*
Psalm. 72. *consistit.*)) Unde Psalmista: *Quid mihi est in Cælo, & à te quid*
D. Thom. 1. 2. *volui super terram.* ? *quasi dicat* (*ex sensu D. Thomæ, nihil volo, nisi*
quæst. 4. art. *hoc quod sequitur: Mihi adhærere DEO bonum est.* Ex parte verò
7. subjecti cognitio DEI ad formalem beatitudinem essentialiter
Joan. 17. necessaria: Quia ut Christus dicit. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum, & quem misisti JESUM Christum.*

Vita

Vita autem æterna eſt ultimus finis, adeoquè beatitudo hominis: *Ratio eſt: Quia ut Saurez docet: Cognitio ſeu viſio eſt perfectiſſima operatio naturæ intellectualis, & immediatè attingit ipſum ultimum finem, & maximè illi facit ſimilem tum intentionaliter, tum etiam ſecundùm participationem perfectiſſimi actus Divini, quo DEUS ſe videt. Et præterea facit præſens Objectum & conjunctum Cognoſcenti, & quodammodo conſtituit illud in poteſtate videntis, ut illo poſſit frui, & ſatiari.* Porrò hæc Cognitio DEI in via cùm non poſſit eſſe intuitiva juxta illud: *Non videbit me homo & vivet*; Sequitur eam eſſe abſtractivam, non quidem ſub ſpeciebus rerum corporalium, ſed ſub purioribus ſimilitudinibus rerum ſpiritualium, idquè ſive negatvè ſive affirmativè acceptis: quanquam ſpecies eſſentiales rerum ſpiritualium viâ affirmationis ſpectatæ, activitate humana comparari nequeant niſi Divinitus infundantur, ſicut activitate humana cum auxilio fidei, & donorum ſapientiæ, & intellectus, ſpecies negativè (id eſt negantes rebus ſpiritualibus eas debere concipi ſub talibus imaginibus, ſub qualibus concipiuntur res corporales) formantur. Hæc autem Cognitio etſi activitate humana fiat, tamen non ſinè ſpeciali auxilio DEI vires naturæ excedente. Adeoque eſt indebita naturæ, ſeu ſupernaturalis ejusmodi Cognitio, & per conſequens eam Amor fruitivus.

Suarez de beatit. diſp. 7. ſect. 1.

Exod. 33.

Dicitur in deſcriptione: *Et ejusdem Amor fruitivus.* Ubi 1*mò.* Supponitur Amor amicitiæ ſeu benevolentiæ, quem *Suarez* cum aliis ponunt de eſſentia beatitudinis non modò vitæ futuræ, verùm & præſentis. *Hinc D. Auguſtinus dicit*: Beatus quantum exiſtimo nec ille dici poteſt, qui non habet quod amat qualecunquè ſit, nec qui habet quod amat, ſi noxium ſit, nec qui non habet quod amat, etſi optimum ſit; quartum reſtat ut video, ubi beata vita inveniri queat, cùm id quod eſt homini optimum, & amatur, & habetur: quid enim eſt aliud quod dicimus frui, niſi præſtò habere quod diligis? Ratio eſt: quia perfectior eſt Amor quocunquè actu intellectûs dicente Paulo: *Horum autem major eſt Charitas.* Tum quia Ordo Seraphinorum ſupremus præcellit Ordinem Cherubinorum, utpote eos ſuperans amore, etſi Cherubini plenitudinem habent ſcientiæ. Tum

Suarez de ultimo fine & beat. diſp. 7. ſect. 1. n. 31. & ſect. 2.

Lib. de moribus Eccleſiæ cap. 3.

1. Cor: Cap. 13.

Tum quia amor habet consecutionem ultimi finis sitam in unione perfecta ad finem, juxta illud Dionysii: *Amor transformat amatum in amantem.* Et illud vulgare Mysticorum: *Amor intrat, ubi cognitio foris stat.* 2dò. *In eodem amore fruitivo supponitur delectatio & gaudium: Quæ si sint* (ut citatus Suarez loquitur) *tantum complacentia quædam de bonis & perfectionibus quas DEUS in se habet, ita ut totum objectum hujus gaudii sit DEUS & bonum increatum quod in ipso est, hoc modo gaudium non distinguitur ab illo amore amicitiæ, quo diligitur DEUS propter se: quia juxta Aristotelem amare aliquem, est velle alicui bonum: complacere autem de bono Divino, nihil aliud est, quàm velle, ut illud habeat & possideat, unde sub hac ratione gaudium pertinet ad essentiam beatitudinis, sicut ipse amor amicitiæ. Sin autem ejusmodi gaudium accipiatur, quatenus resultat de conjunctione cum ipso DEO, quæ fit per operationem, tunc juxta communem sententiam gaudium tale non est de essentia beatitudinis, etsi sit ejus proprietas necessariò consequens ipsam.* Tum quia Aristoteles docet: *Arbitramur voluptatem felicitati admixtam esse oportere.* De qua voluptate D. *Thomas* asseruit *quòd supponat jam finem perfectè adeptum & inde ipsa resultat, & consequitur. Tum quia hujusmodi gaudium non versatur immediatè, circa solum DEUM in se, sed circa operationem per quam conjungitur beatus DEO.* Tum *quia maximè satiant animum, bonum ipsum nempe DEUS, & consecutio ejus, ex quo sequitur illa delectatio & gaudium, seu vitalis animæ quies seu satietas, & ideo non est illa beatitudo, sed est perfectio concomitans beatitudinem. Solet autem gaudium illud beatificum vocari beatitudo, vel è contrario beatitudo ipsa vocari gaudium, quia est inseparabile illud gaudium à beatitudine*))

Suarez citatus.

10. Ethic. c. 7.

1. 2. quæst. 3.

Dicitur: importans securitatem de reciproco amore DEI erga hominem, in tempore & æternitate. Hæc securitas viatorum fundatur in spe, quâ aliquis nitens promissioni DEI, de ejusdem reciproco amore erga se juxta illud; *Ego diligentes me diligo*; ita est certus & securus (quanquam non absque humili diffidentia sui, & timore filiali) quòd sicut ipse ex toto corde, tota anima, tota virtute sua diligat DEUM amore summo, purissimo, ferventissimo, ex eoquè facit quæ sunt coram DEO placita semper: ita & DEUS pro exigentia mutui amoris amicitiæ, maximè accedente suâ permissione, diligat diligentem se (ut

Proverb. 8.

ita

ita loquar) & affectu & effectu, faciendo voluntatem diligentis se; nempe ampliando ejus beatitudinem in vita præsenti intensivè, & extensivè, scilicet in eliberatione vitæ præsentis à pœnis temporalibus, quæ tamen obsunt majori profectui spirituali, & maximè à pœnis spiritualibus, & morte pessima peccatorum; & donando eum ampliori perfectione, sanctitate, beatitudine, gaudio & pace Spiritûs S. morte pretiosa Sanctorum, ad ipsius DEI majorem Gloriam. Tum in futura vita donando eum speciali æterna felicitate, sita in evitatione infelicis judicii particularis & generalis, tum pœnarum purgatorii & inferni: Et assecutione felicis particularis & generalis judicii, ac ipsa tandem essentiali & alia accidentali æternitatis beatitudine. Hinc Apostolus monet debere nos esse *gaudentes*. Et *Suarez*: *Potest homo, inquit, considerari ut viator tendens ad perfectam beatitudinem sibi promissam consequendam: & hoc modo spes dici potest essentialis huic homini viatori, ut possit esse aliquomodo beatus: quia per spem aliquo modo consequitur si non in re, saltèm in spe. Et quia sine spe nullum progressum facere posset ad illum terminum. Deniquè perfectio viatoris ut sic, in motu consistit, & ita loquitur Augustinus.*)) Rom. 12. Suar. disp. 7. sect. 2.

Supereminens beatitudo, est specialissima cognitio DEI passiva, media inter abstractam & intuitivam: tum amor DEI fruitivus, importans securitatem de reciproco amore DEI erga hominem in tempore & æternitate. Dicitur: *Specialissima*, ob summam raritatem eorum, quibus talis beatitudo conceditur, utpote cùm sint rarissimi, qui ad sublimitatem extraordinariam perfectionis & sanctitatis in secundum & tertium gradum supremæ Hierarchiæ Contemplativorum ascendant, ubi hæc felicitas degustatur.

Dicitur: *Cognitio DEI passiva.* Tum illa scilicet, quæ per experimentalem notitiam DEI in voluntatem illapsi habetur: Tum illa, quæ per supernaturale lumen actualiter infusum, & species intelligibiles novo modo coordinatas, & potissimùm novas infusas, Deiformes, id est multò clariùs & meliùs DEI repræsentativas, quàm ullæ species & similitudines intellectuales creaturarum, & quidem proximè etsi non perfectè ad lumen gloriæ in Patria accedentes. Unde quoquè cognitio ex talibus principiis cosurgens, medium tenet abstractam inter &

intuitivam DEI visionem. Dicitur: *Amor DEI fruitivus*, nempè talis, ac tantus, qualem, & quantum decet sublimissimam illam sequi notitiam DEI, quam subinde supereminet. *Verum de dicta Cognitione, & Amore DEI, fusè suprà actum in suprema Hierarchia Contemplationis, seu Mystica Theologia.* Dicitur: *importans securitatem &c.* Et quidem eam, quâ fuit præditus Apostolus dicens: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate DEI, quæ est in Christo JESU Domino nostro.* Et alibi: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.*

Ad Rom. c. 8.

2. Tim. I.

§ 2dus.

De Accidentali Beatitudine Viæ.

IN hac Beatitudine duo possunt considerari spectantia ad essentialem Beatitudinem. 1*mum*, eam *præcedens*, & *comitans*, tanquam dispositio ad ipsam, sicut accidentia disponunt ad formam, tum privativè removendo prohibens formam: Et talis dispositio ad Beatitudinem est Puritas animi, tollens impedimentum Beatitudinis, nempe peccatum: Cum positivè inducendo similes qualitates formæ, eamquè conservantes: Et hujusmodi est Ornatus virtutum, quæ sunt similes Charitati, Perfectioni, Sanctitati, ut pedissequæ suæ Dominæ, quamvè præcedunt aliquæ introeuntem, aliquæ comitantur ipsam & contuentur à suis contrariis ac conservant, ut colligere potes ex dictis suprà. 2*dum* est Beatitudinem essentialem *subsequens*, & *eam conservans*, tanquam accidentia subsequentia suam formam ipsamquè conservantia: *subsequens* dico, quia Contemplationem & Charitatem, seu Perfectionem, ac Sanctitatem subsequuntur specialiores gratiæ DEI actuales, mors pretiosa; quæ sunt simul conservativa & continuativa Beatitudinis: sicut opposita iisdem gratiis, nimirum pœnæ corporales (quæ scilicet non ordinantur ad majorem salutem patientis, & gloriam DEI) & spirituales, mors pessima, tollunt continnationem beatitudinis veræ in

Via

Via. Unde S. Isidorus: *Beatus dictus quasi bene habitus, scilicet ab habendo quod vellet, & nihil patiendo quod nollet.* De hac igitur Accidentali Beatitudine quoad Puritatem, & Ornatum animi, actum suprà: quantum ad speciaiiores gratias DEI actuales, & mortem pretiosam Sanctorum, agetur infrà sequentibus subsectionibus, nunc verò de Illiciis ad utramquè Beatitudinem essentialem & accidentalem trahentibus videndum. *S. Isidorus in Etymol.*

§. 3tius.

Illicia aspirandi ad supernaturalem Beatitudinem Vitæ præsentis.

PRimum. *Psalm.* Beatus populus, cujus Dominus DEUS ejus. *Psalm.* 143.
Reg. Regina Saba ad Salomonem inquit: *Beati viri tui, & beati servi tui, hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Quanto magis beati & felices Contemplatores magnificæ gloriæ DEI, simul audientes æternam Sapientiam abscondita à seculis revelare Mysteria? *Isaias.* Dicite Justo, quoniam benè: quoniam fructum adinventionum suarum comedet. *3. Reg.* 10. *Isaias* 3.

2dum. S. Ambrosius: Quid hoc bono melius? quid hac felicitate felicius vivere DEO, vivere de DEO? *Item*: Dico beatam vitam consistere in altitudine Sapientiæ, suavitate conscientiæ, virtutis sublimitate, non sine passione esse, sed victorem passionum esse beatum est. *Prosper*: Quid enim potest eo esse felicius, cui efficitur suus Conditor census, & hereditas dignatur esse ipsa Divinitas: si modò eum sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat: in illo & de illo jugiter vivat, & nihil terrenum cum illo possideat? Quia omnium Conditor, cui nihil eorum quæ fecit, valet æquari, non dignatur cum his, quæ condidit, possideri. Denique quid ultra quærit, cui omnia suus Conditor sit? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? *S. Ambrosius lib. de Offic.* *Ibidem.* *Prosper lib. 2. de vita cont. c. 16.*

In Praxi esto Purus, Virtuosus, DEO unitus, Perfectus, Sanctus, & eris verè Beatus.

Vide quoq; suprà de Contemplativa vita, de Contemplatione, Charitate, Gaudio Spiritus S. Pace.

SUBSECTIO I.

De Gratiis DEI Actualibus, ut requisitis accidentalis Beatitudinis Viatorum.

Speciales gratias DEI actuales dari à DEO homini ob præcedens pium opus factum, multò magis propter exercitium
1. *par. c.* 3. perfectionis, talemquè gratiam vocari *Subsequentem*, visum est
sect. 3. suprà, ubi de gratia. Ibidemquè dictum, ejusmodi gratiarum aliam esse *Internam*, aliam *Externam &c*, quævè sit earum definitio, proprietates &c. Ut non modò ex proximè dictis verùm etiam inde colligas, hasce Gratias esse necessarium requisitum supernaturalis felicitatis; quod ipsum etiam maximè patebit ex earundem Gratiarum Oppositis, seu Pœnis pro culpis infligendis. Modò nihil restat, nisi ut præfatæ Gratiæ tanquam Pars Beatitudinis vitæ hujus in ratione Finis supernaturalis intendantur: Mediaquè virtutum ad illum consequendum practicè adhibeantur.

SUBSECTIO II.

De Morte pretiosa Sanctorum, ut requisito Beatitudinis accidentalis viæ.

Mortem felicem, requiri ad felicitatem quis ambigat? Un-
Apoc. 14. de dicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodò iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.*

Porrò etsi obuia passim habetur tractatio de morte Iustorum, nè tamen & nos deesse videamur, pauca hìc suggerimus pro Incitamentis exoptandi eandem beatam mortem. Et quidem
Num. 23. imum *est.* Votum Balaam Prophetæ dicentis: *Moriatur anima mea*
Psalm. 115. *morte justorum: & fiant novissima mea horum similia.* Psalm. *Pretiosa*
Psalm. 126. *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Idem. *Cùm dederit dilectis suis somnum* (mortis) *ecce hereditas Domini.* Unde justi morientes dicuntur *obdormire in Domino: Requiescere in pace.* Porrò
Ibidem. Justus secundùm eundem Regium Prophetam, *Non confundetur,*

cùm loquetur inimicis suis in porta, nempe æternitatis, ad quam per mortem ingreditur: Imò triumphans occinit: *Lætatus sum* *Psalm. 121.*
in his, quæ dicta sunt mihi: in Domum Domini ibimus. Sapien. *Sap. 4.*
Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Ibidem: *Ju-* *Sap 3.*
storum animæ in manu DEI sunt, & non tanget illos tormentum mortis.
Eccli: *Corpora illorum in pace sepulta sunt; & nomen eorum vivit* *Eccl. 44.*
in generationem, & generationem. *2dum.* S. Gregorius: *Justo-* *S. Gregorius*
rum animæ levibus quibusquè contagiis ipso sæpe mortis pavore purgan- *lib. 24. Moral.*
tur, & æternæ retributionis gaudia jam ab ipsa carnis solutione percipiunt. Plerumquè verò Contemplatione internâ, etiam prius quàm carne spolientur, hilarescunt: & dum vetustatis debitum solvunt, novi iam muneris lætitiâ perfruuntur. S. Chrysostomus: *Piis mors ul-* *S. Chryso-*
tra non est mors, sed nomen tantùm habet mortis; imò & ipsum nomen *stomus in ho-*
sublatum est. S. Bernardus: *Bona mors justi propter requiem, meli-* *mil.*
or propter novitatem, optima propter securitatem. Idem: *Pretiosa mors* *S. Bernardus*
Sanctorum, pretiosa planè tanquam finis laborum, tanquam victoriæ *in Epist.*
consummatio, tanquam vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressus.)) Non *Ibidem.*
nocet bonis, si occidantur, vel subitâ morte rapiantur: non enim subi- *S. Anselmus*
tò moriuntur, qui semper se cogitaverunt morituros. Sive ergo ferro im- *cit. à Joseph.*
molentur, sive à bestiis lacerentur, aut flammis vel undis immergantur, *Lang. Polyant.*
aut suspendantur, vel crura frangantur, vel quolibet alio infortunio mo- *tit mors.*
riantur, semper est pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, ut dicitur: Quacunquè hora justus moriatur, justitia ejus non auferetur ab eo: & ita mors non obest, imò multùm prodest eis: quia si quid peccati contraxerunt per humanam fragilitatem, relaxatur per mortis acerbitatem.

3tium. Exempla. I. Mors Christi in conspectu impiorum pessima, in oculis DEI Patris & suorum fidelium pretiosissima, quia ad punctum voluntatis Paternæ conformis: quippe Christus obediens fuit usque ad mortem, mortem autem crucis. Esse autem punctualiter conformem voluntati DEI, & pro DEO pati ac mori, est ipsa cæli beatitudine pretiosius, prout habes suprà sub Resignatione sui, & Martyrio.

II. Mors DEiparæ, quin potiùs somnus Amoris Divini fuit. De quo Dionysius Carthusianus: *Ad intuitum*, inquit, *Dionys. lib. 4.*
dilecti Filii cum incomparabili expiravit ardore, Divinarum quoquè re- *de Laud. Virg.*

 rum art. 3.

rum contemplationi erat profundissimè tunc intenta: ergo præ spiritualis suavitatis affluentissima experientia, ferventissima dilectione separabatur sine poena à corpore. Et ipsa Virgo Beatissima seriem ac modum suæ obdormitionis narrat B. Brigittæ dicens: *Paravi* inquit Virgo *me ad exitum, circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus passus fuerat; cumquè quadam die animus meus suspensus esset, in admiratione Divinæ Charitatis, tunc anima mea in ipsa Contemplatione, repleta fuit tanta exultatione, quòd vix capere poterat; & in ipsa consideratione, anima mea à corpore fuit soluta.*

S. Brigitt. Revelat.

III. Exempla Sanctorum ex Bibl. man. Lohner. *S. Ambrosius* in ultimo vitæ agone constitutus, cùm alios ob discessum suum mœrentes vidisset, dixit ad illos: Non sic vixi, ut me pudeat inter vos vivere; sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. *Aliud. S. Augustinus* in postrema ægritudine psalmos pœnitentiales describi, & in lecto affigi iussit, quos assiduè recitabat. Nè verò ab hac devotione impediretur, decem diebus ante mortem præcepit, nè ullus ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus Medici ad eum inspiciendum intrarent, & cùm ei refectio afferretur. *Aliud. S. Laurentius Justinianus* in agone circumstantibus dixit: Abite hinc cum vestris lachrymis tempus lætitiæ est, non lachrymarum. Pudeat vos mortem timere, cùm Dominus noster IESUS Christus, in cujus conspectu decumbo, propter nos in cruce mori voluerit. Hunc diem semper ob oculis habui, tu scis mi Domine IESU.

Possidon. in vita S. Aug. cap. 27.

Ibidem 31.

Sur. 8. *Jan.*

Aliud. S. Dionysius Areopagita capitis jam damnatus, feralem sententiam Christiana generositate excepit, & adstantium probra contemnens dixit: Ultimum verbum Domini mei in Cruce, sit mihi ultimum in hac luce: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. *Aliud.* Quidam Senex cùm in agone risisset, causam quæsitus respondit. Primò risi, quia omnes timetis mortem. Secundò risi, quia non estis parati. Tertiò risi, quia de labore vado ad requiem. *Aliud.* Morituri cujusdam hominis patientissimi anima post triginta annos in infirmitate exactos gratias egit omnibus membris & sensibus, quòd delicias nullas concupierint, sed fideliter ei in omnibus acqui-

Drex. in prodr. cap. 3. § 46.

Vita PP. lib. 31. *cap.* 159.

Ibid. tit. infirmit. ex 19.

acquieverint. *Aliud.* Quidam Frater, cùm á S. Bernardo ad mortem fortiter obeundam animatus, dixisset, se certò confidere, quòd ad cælum esset transportandus, prædictus sanctus eum ad pœnitentiam potiùs, & humilitatem animavit. Verùm quia is respondit, se propterea tantopere lætari ac confidere quòd à S. Patre regnum Cælorum obedientiæ virtute potissimùm obtineri audivisset, huic autem ipse singulariter semper studuisset, dixit S. Bernardus ad illum: Verè beatus es fili charissime, quia caro & sanguis non revelavit tibi sapientiam hanc, sed Pater cælestis ipse te docuit. Jam ergo securus egredere, quoniam patefacta est tibi janua vitæ. Defuncto itaquè Fratre venerabilis Pater sermonem ad Fratres habuit, dixitquè magis se super ejus obedientia lætatum fuisse, quàm si miracula fecisset. *Ibid tit. mors ex 12.*

Aliud. S. Franciscus Xaverius moribundis obversis in Cælum oculis identidem repetebat: Fili David miserere mei: O Mater DEI memento mei. *Aliud. P. Franciscus* Suarez in agone plenus gaudio cælesti, non putabam, inquiebat, tam suave esse, & tam dulce mori. *Vita to. de Angel: præfixa.*

IV. Mortis bonæ exempla profana in ruborem & confusionem Christianorum non benè morientium. 1. *Seneca* de se ipso dixit: Non me vixisse pœnitet, ut non frustra natum existimem, & ex vita sic discedo, tamquam ex hospitio, non tanquam domo; commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. 2 Socrates Critoni suadenti, ut si vitam ipse suam negligeret, saltèm liberis parceret & amicis ab ejus incolumitate pendentibus, respondit: Liberi, DEO, qui mihi eos dedit, curæ erunt: amicos hinc discedens vobis similes aut meliores inveniam, nè vestra quidem consvetudine diu cariturus, quandoquidem vos brevi eòdem estis migraturi. Idem advertens amicos ipsum in carcerem sequentes, lugere, dixit ad illos: quid hoc est? nonne me jam, ex quo genitus sum, morti adjudicatum scitis? si bona mihi, advenirent vitaquè præriperetur, enimverò mihi benevolisquè meis, lugendum foret: at malis impendentibus cùm diem obeam, annon potiùs lætari mecum, gratulariquè mihi convenit? Idem Platoni quærenti, an libenter more- *Sen. lib. de senect.* *Erasmus lib. 3. apoph.* *Xenophon. in Apol.* *Inchin. p. 1. c. 21.*

moreretur? respondit: in juventute bene vivere, in senectute bene mori laboravi, atque ita interiore dolore seu cruciatu non afficior, nec mori recuso: nam vita honesta fuit: mortem cum hilaritate exspecto.

In Praxi ad obtinendam felicem mortem hæc media ex Bibl. man. P. Lohner tit: mors sunt observanda. I. *Frequens memoria mortis*. Nam ut S. *Gregorius* sapienter advertit; sic mors ipsa, cùm venerit vincitur, si priùs, quàm veniat, semper timeatur. Habet se enim, ut *Gregorius Nyssenus ait*, sicut basiliscus, qui perimitur, si prius videatur; secus ipse perimit. Hinc Monachus quidam, teste *S. Maximo*, sciscitanti, quid maximum ad beatè moriendum haberet momenti? respondit, cogitare, ultimum sibi hunc diem fore.

S. Greg. in Hom. sint lumbi.

Greg. Nyss. in Dom. 15. post. Pentec. §. 2.

S. Max. f. 36.

II. *Præparatio quotidiana.* Sic enim suasit *Seneca* dicens: Nemo scit nostrûm, quàm propè versetur DEUS. Sic itaque formemus animum, tanquam ad extrema ventum sit. Venientem nemo hilaris mortem excipit, nisi qui ad illam diu sese composuerit.

Seneca Epist. 12.

III. *Vita bona.* Nam, teste *S. Augustino*, non potest malè mori, qui benè vixerit. Hinc non immeritò Mors Echo Vitæ vocatur. Unde & Poëta.

S. August. in lib. dis. Chrst. cap. 2.

Ut tibi mors felix contingat, vivere disce.
Ut felix possis vivere, disce mori.

IV. *Misericordiæ exercitium.* Uti *S. Hieronymus* suasit dicens: Non memini, me legisse, mala morte fuisse defunctum, qui libenter opera Charitatis exercuit.

V. *Amor B. Virginis.* Maximè si per salutationem Angelicam sæpè rogetur, ut in hora mortis non deserat; Sic enim ipsa non semel promisit se fideliter adfuturam: nec minus fideliter præstitit, quam promisit.

VI. *Desiderium moriendi.* Nam ut S. Augustinus ait: qui cupit dissolvi, & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, & delectabiliter moritur. Itaque ardens dissolutionis suæ, DEique videndi desiderium in se, aliisquè excitare studeat; hoc enim vel maximè DEUM ab amicis suis requirere, ex variis historiis patet, ex quibus habetur, aliquos idcirco duntaxat à Cæli ingressu fuisse suspensos, quòd ejusmodi in se excitare desiderium neglexerint.

VI.

VI. *Oratio pro finali perseverantia*, seu felici morte. De qua vide alibi sub Perseverantia.

VII. Precetur suum Patrem Spiritualem, ut se morti vicinum disponat; vel ille cui ex justitia seu charitate aliorum cura incumbit, eos ad felicem exitum præparet in eum modum, quem Concilium Nannetense porrigit dicens: Cùm sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quamcitius ad eum pergat, & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum, & per omne cubiculum aspergat cum Antiphona: *Asperges me Dommine*: &c. Et versu. *Exurgat DEVS*: Deinde dicat orationem: *DEVS qui sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti* &c. Deinde cantet septem psalmos pœnitentiales cum precibus pro infirmis. Post hæc omnes jubeat extra cubiculum secedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blandè leniterquè alloquatur, ut omnem spem suam in DEO ponat: ut flagellum DEI patienter toleret; ut hoc ad purgationem & castigationem suam provenire credat: ut peccata sua confiteatur: ut emendationem promittat, si Dominus vitam concesserit, pœnitentiam pro culpis promissis spondeat; ut substantiam suam dum adhuc sensus & ratio in eo vigent, disponat: ut peccata sua eleemosynis redimat; ut his qui in se peccaverunt, indulgeat: ut rectam fidem & credulitatem teneat: ut de DEI misericordia nunquam desperet. Cum his & ejusmodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata, datâ benedictione recedat sacerdos, non post multum reversus, detquè locum, ut ægrotus de peccatis suis possit cogitare. Circa quam quidem Concilii instructionem duo specialiter adhuc sunt notanda & observanda. *1mò.* Ut si quidem disponere de substantia sua in salutem animæ suæ voluerit, id per seipsum potiùs, quàm per alios faciat; nam ut sapienter S. Gregorius advertit, *S. Gregorius* tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse dum vivit, per se beatius quippe est, *lib. 4. Dial. c. 58.* liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere. *2dò.* Ut quandoquidem teste S. Joanne Climaco, diabolus homini sano persuadet, DEUM esse infinitè pium ac pronum ad indulgendum, quatenus homo parvipendat peccata, atque audentiùs

peccet; agonizanti autem persuadet interdum, DEUM esse rigorosissimum, & peccata sua esse plurima & gravissima, ut hâc ratione diffidat, ac desperet, idcirco arripiendum tunc S. Gregorii sciatur esse consilium, in hæc ferè verba datum: Sicut dum vivimus, debemus bona nostra à memoria repellere, nè extollant; ita appropinquante exitu ea plerumquè justè ad memoriam revocamus, ut fiduciam præbeant, & desperatum timorem premant.

Idem lib. 22. moral.

Palæst. pietatis c. 19.

Morte jam instante hæc ex *P. Joanne Morawski S. J. observa.* I. Intellecto mortis periculo, quàmprimum pete sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, ac etiam, si tantum est periculum Extremæ unctionis, nec non applicationem Indulgentiarum. Cum majori enim fructu sumuntur sacramenta ab homine, rationis usu, & integris viribus adhuc pollente. Juvat verò cum Sacerdote pactum facere, ut te sensibus destitutum, in supremo articulo vitæ absolvat.

II. Curet sibi infirmus prælegi passionem Domini nostri, item historiam mortis B. Virginis, & aliquorum Sanctorum, ut exemplo pretiosæ in conspectu Domini mortis Sanctorum, discat mori. Plurimùm autem ad hoc conducet Liber, cui titulus Pretiosæ morientium occupationes, à *P. Joanne Nadasi* Soc. JESU editus.

III. Suadet ibidem hic auctor cap. 8. ut moribundus faciat has intentiones, pro sua morte. *Volo mori, quia amo DEUM, & ideo volo illi ita statuenti obedire. Volo mori, ut nunquam DEUM deinceps offendam. Volo mori, ut DEUM coram videam & perfectiùs amem, cum B. Virgine, & SS. Patronis, ad quos aspiro. Volo mori, ut imiter JESUM & MARIAM morientes. Volo mori, ut mortem stipendium peccati accipiam, poenasquè dum pro peccatis meis Volo mori, ut immoler DEO, cui me tot modis debeo. Volo mori, ut vivam in Cælo in æternum.*

IV. Armetur æger in hoc supremo conflictu instrumentis pietatis, imagine Crucifixi, sacris Reliquiis, & imaginibus Sanctorum, quas identidem adoret & osculetur. Item cereo benedicto, quem manibus tenens, agat DEO gratias, quòd se vocaverit in admirabile lumen suum, dicatquè: *Tu illumina lucernam meam Domine, illumina tenebras meas. Illumina oculos meos, nè un-*

ne unquam obdormiam in morte, nèquando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum. Dum aquâ lustrali aspergitur, dicatur: *Exurgat DEUS & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.* Ita Joannes Berchmans moribundus, Crucifixum, Coronam, & Regulas, manu tenens dicebat; *Hæc sunt arma mea,* & his armatus obiit Romæ 13. Augusti, 1621. ætatis suæ 22. cum magna opinione Sanctitatis.

V. Faciat moribundus has & similes protestationes *Protestor, quòd morior verus Catholicus, in Fide, Spe, & Charitate in DEUM. Protestor, quòd volo mori mancipium JESU, & MARIÆ. Protestor, quòd ex nunc & pro reliquo vitæ tempore nolo consentire ulli tentationi dæmonis. Confirmo fidem datam DEO in Baptismo, & abrenuncio mundo, carni, sathanæ, mequè tibi conjungo Christe in tempore, & æternitate. Protestor, quòd libenter accepto omnem Divinam dispositionem, tam circa animam meam, quàm circa corpus, post mortem.*

VI. Breviter eliciat actus virtutum, præsertim Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, Desiderii videndi DEUM.

Credo Domine, Spero Domine, Amo Domine.

Credo & spero videre bona Domini in terra viventium.

DEUS meus misericordia mea.

In medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.

Educ de custodia animam meam, ad confitendum tibi, me expectant justi, donec retribuas mibi. Ita dicebat moribundus sanctus Franciscus.

Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?

Huc spectant, quæ sequuntur ex soliloquiis S. Augustini. *Ostende te mihi consolator meus. Videam te, lumen oculorum meorum. Veni gaudium spiritus mei. Videam te lætitia cordis mei. Amplectar te Bonum, sine quo nihil bonum. Fruar te optimo, sine quo nihil optimum. c. 1.*

O vita! cui omnia vivunt, vita quæ es mea vita, per quam vivo, sinè qua morior, vita vitalis, dulcis & amabilis, ubi quæso es? ubi te inveniam, ut in me deficiam & in te subsistam.

Eja Domine, moriar ut te videam, videam & hic moriar.

Mori desidero, ut videam Christum, vivere renuo, ut vivam cum Christo. Ibidem:

O Lux! sinè qua tenebræ, illuminare huic cæco, qui in tenebris, & in umbra mortis sedet, & dirige pedes ejus in viam pacis, per quam ingrediar in domum. cap. 4.

O *clavis David! aperi mihi ostium luminis tui, ut ingrediar & videam te.* cap. 7.

Adjuva Domine creaturam tuam. Non pereat in malitia, quod operata est bonitas tua. cap. 11.

Scio Domine & confiteor me indignum, ut intrem sub tectum tuum, sed fac propter honorem tuum, & nè confundas in te sperantem servum tuum. cap. 23.

O *Fons vitæ! vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ de terra deserta, invia & inaquosa.* cap. 30.

O *Dies præclara & pulchra! nesciens vesperum, non habens occasum, in qua audiam: Intra in gaudium Domini tui, ubi erit omne bonum, & non erit aliquod malum; ubi erit, quidquid voles, & non erit quidquid noles.*

Veni Domine & noli tardare, veni Domine JESU, & visita me in pace. Veni & educ vinctum è carcere &c. Vide plura cap. 35 & 36.

Ultimò colloquatur identidem moribundus, cum JESU & MARIA, per breves orationes jaculatorias.

JESU, MARIA amores mei, patiar, moriar, amore vestri.

O *JESU esto mihi JESUS & Salvator. JESU agonizans, morti tuæ mortem meam unio. JESU pro me mortue, mors tua sit vita mea. O bone JESU exaudi me, intra vulnera tua absconde me, & nè permittas me separari à te. Domine JESU suscipe spiritum meum. Tu es Christus Filius DEI vivi, Dominus meus & DEUS meus.*

MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ: Tu nos ab hoste protege: & horâ mortis suscipe. Monstra te esse MATREM.

Eja Advocata nostra illos tuos misericordes oculos, ad nos converte, & JESUM benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.

MATER DEI memento mei.
O MARIA sis mihi propitia.

SEC-

SECTIO VII.

De Oppositis Beatitudinis Viatorum.

OPposita hæc sunt 1mò. Falsa seu apparens Beatitudo. 2dò Pœnæ temporales hujus vitæ. Porrò hujus vitæ aliæ sunt corporales, aliæ spirituales .Spirituales quædam essentiali beatitudini, quædam accidentali opponuntur : de quibus in sequentibus.

SUBSECTIO I.

§ 1mus.

De Falsa & Apparenti Beatitudine.

APparentia dupliciter sumitur. Aut enim apparet seu repræsentatur aliquid esse tale prout est in rei veritate. Aut repræsentatur aliter, quàm sit in se, fallens potentiam. Beatitudo igitur relucens in possessione creaturarum vocatur secundo modo apparens Beatitudo : quia ad intellectum stultorum præsefert veram rationem beatitudinis, cùm tamen ea defacto careat. Et ita juxta Angelicum Doctorem. *Imò. Apparens est beatitudo, sita in possessione divitiarum.* Quia cùm de ratione beatitudinis sit, ut sit finis ultimus, & status omnium bonorum aggregatione perfectus: Pecuniæ verò obediunt omnia: hinc insipiens decipitur intellectus, adscribens veram rationem beatitudinis divitiis: cùm tamen aliter se res habeat : ac pecuniam non esse ultimum finem; ordinatur enim earum usus ad necessaria vitæ sustentandæ. Neque omnium bonorum pecuniâ fit assecutio: qualia bona sunt spiritualia. *Unde Proverbiorum 17.* dicitur: Quid prodest stulto divitias habere, cùm sapientiam emere non possit. *V. D. Thomam de hac beat. & sequ. 1.2. q. 2. ab a. 1. usque ad 8.*

2dò. Apparens est beatitudo, sita in adepto honore. Etenim licèt honor detur ab hominibus in præmium virtutis debeaturquè DEO, & personis excellentissimis, maximequè desideretur ab hominibus, quæ sunt quædam proprietates beatitudinis: non tamen ipsa est beatitudo: quia hæc debet esse in-

in beato, honor verò non est in honorato, sed magis in honorante. Deinde beatitudo intendi debet à virtute in suum præmium, non honor, alioquin erit ambitio. Ideo verò datur ab hominibus honor: quia cum virtuti debitum præmium dare nequeant nempe beatitudinem, dant id quod excellentissimum habent. Cùm verò honor sit testificatio alienæ excellentiæ, sequitur non ipsum, sed illam excellentiam facere excellentes. Desideratur autem summè honor non propter se, cùm & indignis exhibeatur, sed propter aliquam sui contestandam excellentiam. Quæ omnia sunt contra rationem beatitudinis.

3tiò. *Apparens est beatitudo sita in fama, seu humana gloria.* Quanquam enim gloria (quæ est clara notitia cum laude) & fama (quæ est eadem clara notitia cum laude sed pervulgata inter plures; cùm gloria possit esse etiam apud unum: & quandoquè etiam pro fama accipitur) participare videtur quasdam conditiones veræ beatitudinis: nempe quòd beatitudo est bonum perfectum, adeoque sit diffusivum sui, gloria verò vel fama est in eo ut diffundatur per notitiam, oraque plurium. Item beatitudo dicit perpetuitatem: immortale verò nomen, unde nisi per famam & gloriam habetur? Veruntamen fallax est ejusmodi beatitudo: quia notitia illa & laus debet esse alicujus boni præexistentis, adeoquè non ratione sui, sed ratione illius boni bona. Deinde fama facilè vulgi contrariá opinione & rumore labefactatur, & si stabilis persistit, id fit per accidens, beatitudo verò per se & semper est immutabilis. Hinc quantominus in falsa gloria, si in vera non est vera beatitudo?

4tò. *Apparens est beatitudo posita in potestate.* Licèt namque potestas sit quoddam bonum (in quo convenit cum beatitudine) utpote assimilativum homins DEO, tanquam suo primo principio, & ultimo fini, regitivum aliorum, expulsivum servitutis: Attamen est valde imperfectum ejusmodi bonum; quia eo malè uti homo potest, in quo DEO non assimilabitur; quodue sit contra rationem potestatis à natura intentam. Insuper ut *Boëthius 2da Cons* dicit: Potestas humana solicitudinum morsus expellere, formidinum aculeos vitare nequit: *Et postea*

postea: Potentem censes, cui satellites latus ambiunt? qui quos terret, ipse plus metuit. Quæ omnia procul à vera beatitudine absunt.

5tò. Apparens est beatitudo in bonis corporis. Qualia sunt sanitas bona, diuturnitas vitæ, eximium robur, agilitas, pulchritudo &c. Nam tametsi Esse humanum, adeoquè & bona ad illud Esse pertinentia maximè ab omnibus hominibus appetantur, quia natura omne refugit malum, finis verò ultimus est, quòd ab omnibus appetatur, quæ conditio est beatitudinis: Tamen ejusmodi universalis appetitus in humana creatura (ut sic conditio dicta beatitudinis aliquomodo participetur) existere debet non solius sui Esse, vivere, & intelligere, sed etiam beati sui Esse. Quia beatum Esse, est distinctum à bono Esse corporeo, cùm vera beatitudo sit in anima. Ad quam etiam tanquam ad suum finem bona corporis referuntur: in quibus bestiæ quoque superant homines, ut Leo fortitudine, Elephas vitæ diuturnitate, ceruus cursus velocitate; quæ omnia sunt contra rationem beatitudinis, ut ex suprà dictis patet.

6tò. Apparens est beatitudo in voluptate corporea. Quia licèt hæc maximè moveat appetitum, motus autem talis sit ultimi finis, qui est beatitudo; hoc tamen provenit non ideo quasi voluptas sit perfectum bonum, seu beatitudo potens maximè movere; sed quia obiecta bonorum sensibilia vivacius à sensibus apprehenduntur, & hæc per phantasmata ad notitiam perspicatiorem intellectûs deferuntur: quo verò perspicacius cognoscitur bonum, eò intensius movet appetitum. Deinde bonum cujusquè sensus corporei est singulare, bonum verò animæ est universale, continens in se infinita singularia: Unde illius ad istius bonum vix aliqua erit comparatio? Insuper *Boëthius 3. de Consol. ajt.* Tristes exitus esse voluptatum. Quæ etiam pecudibus sunt communes. *Et Sapiens*: Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur, adeoque & alii corporei sensus. Quæ omnia contrariantur essentiæ beatitudinis.

7timò. Apparens est beatitudo, posita in bonis Animæ, qualia sunt felicitas memoriæ, perspicacia intellectûs, scientiæ, artes.

Quia etsi in his aliqui suum posuerint finem, qui est de ratione beatitudinis v. g. Illi sapientes Græciæ in assecutione sapientiæ & notitiæ veritatis rerum; tamen ista, cùm sint bona particularia, vel aliqua horum referibilia ad ulteriorem finem, non attingunt ipsum Esse beatitudinis.

Apparens denique beatitudo est in omnibus bonis fortunæ, corporis, Animiq; simul sumptis seu in omni & quovis bono creato. Etenim licèt bonum creatum non sit minus, quam bonum, cujus est homo capax ut rei intrinsecæ & inhærentis; adeoquè ùt videtur, hac ex parte expletivum capacitatis appetitus humani, quod est proprium beatitudini: Est tamen totum bonum creatum minùs, quàm bonum, cujus est homo capax ùt objecti, quod est infinitum: quia bonum creatum est participatum adeoquè particulatum: Objectum autem intellectûs in ratione veri, & voluntatis in ratione boni est universale. Hinc quietari animus particularibus bonis nequit: cùm semper restat appetitus ad alia & alia, quod contrariatur beatitudini. Unde infertur solum DEUM esse, qui voluntatem hominis expleat, secundùm quod dicitur *in Psalmo* 102. Qui replet in bonis desiderium tuum; renovabitur ut aquilæ juventus tua. Cùm DEUS sit universale seu *Omne bonum*, ùt de seipso ad Moysen Exod. 33. loquitur. *Hactenus ex D. Thoma.*

§ 2dus.

Contra inanem & infelicem felicitatem Vitæ præsentis, militant fusè dicta de Contemptu mundi, honorum, divitiarum, deliciarum, & alibi. Modò verò audi breviter *mellifluum Doctorem*, qui ajt: Contritio & infelicitas in viis eorum: ut sit contritio in necessitate, infelicitas in cupiditate. Quomodo in cupiditate infelicitas? id est non felicitas, ùt putatur. Quid enim si cui videtur in terrenarum affluentia rerum felicitas arridere cupita? eò ipse infelicior est, quò vehementius ipsam pro felicitate amplectitur infelicitatem, aut magis immergitur ei, & absorbetur ab ea. Væ filiis hominum ab hac felicitate falsa atque fallaci! væ qui dicit: quia dives sum & nullius egeo, cùm pauper sit & nudus, & miser, & miserabilis. *Praxis* evitandi infelicem Felicitatem mundi, ibidem locis citatis traditur.

S. Bern. serm. 10 super psalm. Qui habitat.

SUB-

SUBSECTIO II.

De pœnis corporalibus, quatenus opponuntur Beatitudini Supernaturali vitæ præsentis.

IMò. Ad Pœnas Corporales referuntur etiam pœnæ in honore, fama, substantia, &c. inflictæ.

2dò. Corporales pœnæ, quatenus merè desinunt in punitione hominis, neque ipsi sunt occasio ad aliquod peccatum, vel impedimento majoris salutis æternæ, opponuntur alicui felicitati naturali, seu Gratiæ DEI naturali sitæ in Providentia DEI rerũ ad conservationem & melius Esse hominis naturale spectantium: quatenus autem vel inducunt ad peccatum, vel impediunt à majori profectu salutis, præter oppositionem gratiæ naturalium, etiam opponuntur parti cuipiam beatitudinis supernaturalis, seu Gratiæ DEI supernaturali, quæ vocatur Externæ protectionis. Si quæ verò pœna est majoris meriti & gratiæ causa, hæc non tam pœna, quàm specialis gratia dici debet. Ejusmodi pœnarum corporalium aliæ sunt publicæ, quæ Regnis, Provinciis, Communitatibus inferuntur: aliæ sunt privatæ alicujus in particulari personæ, uti morbi, paupertas, persecutiones &c. De quibus in sequentibus agendum.

§ Imus.

De pœnis corporalibus publicis.

EJusmodi pœnarum rationem & modum ex *Lessio* accipe, qui ait: Divinæ justitiæ specimen elucet in ordinariis & quotidianis castigationibus, quæ secundùm communem rerum cursum à Divina Providentia directum inferuntur; nimirum peste, fame, bello, latrociniis, ferarum & noxiarum bestiolarum populationibus, ventorum procellis, aquarum eluvionibus, terræ motibus, imbribus, siccitatibus, incendiis, naufragiis, aliisquè modis plurimis. Plenus est mundus calamitatibus per istas causas irrogatis, quas à manu Divinæ justitiæ provenire putandum est. Isa. 45. *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & cre-*

Leonar. Lessius de Perfect. Divin. de justitia cap. 9.

ans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Ubi *malum* vocat omnem calamitatem & afflictionem. *Amos* 3. *Si erit malum in Civitate, quod Dominus non fecerit?* quasi dicat, Minimè: unde scitote, omnem afflictionem quæ vobis obvenerit, esse à DEO, qui vestra peccata castigat. Et quidem quòd bellorum clades Divinæ sint imputandæ justitiæ, docet passim scriptura: Hoc enim flagello DEUS Judæorum peccata plerumquè vindicavit, usus ad hoc operâ Regum vel populorum vicinorum, vel Chaldæorum, vel Ægyptiorum, vel Romanorum, per quos extremis cladibus sæpè affecti fuêre. Sic decem tribus postquam à Regibus Syriæ multis calamitatibus attritæ fuissent, & nihilominus in sua pravitate persisterent, tandem justo DEI judicio ab Assyriis penitus sunt excisæ, omnibus vel interfectis, vel in perpetuam servitutem abductis. Sic tribus Juda & Beniamin, quæ solæ ex duodecim supererant, à Chaldæis postea vastatæ sunt, & in Chaldæam translatæ, ubi septuaginta annis duram servitutem pertulêre. Quâ pœnâ pro præteritis peccatis depensa, DEI beneficio liberi in Patriam sunt remissi, & rursus in magnum populum & regnum crevêre, opibus & deliciis affluentes. Verùm cùm rursus se peccatis dedissent, nihil nisi terrena sapientes, & cælestem Messiæ doctrinam aspernati, ipsum discipulosquè ejus interemissent; tandem traditi sunt Romanis excindendi. Quantis autem calamitatibus per multos annos ab illis fuerint affecti, vix animo comprehendi potest. Cùm enim extra Judæam plurimis locis habitarent, ubiquè expositi fuêre furori populari, ubiquè cædebantur impunè, spoliabantur bonis, impetebantur sordibus & saxis, omnibus exosi, omnibus ludibrio; nec quemquam capiebat eorum miseratio. In ipsa verò Judæa affligebantur à Præfectis & milite Romano, qui maximas illis clades inferebant. Cumque hujusmodi miserias longo tempore variis locis essent perpessi, tandem obsessa est Jerosolyma: quo tempore vastati agri, abacta pecora, exustæ villæ, invecta fames gravissima dirâ peste comitata, adeo ut & domus & plateæ cadaveribus replerentur, deficientibus vivis ad officium sepulturæ. Flos iuventutis variis dimicationibus concisus, Virgines & matronæ militari licentiæ expositæ; deniquè ferro & flammâ vastata omnia, tot palatiis

Philo in Flaccum, & in legatione ad Cajum.

palatiis & augustissimo templo, solo æquatis, & civibus qui supererant cum uxoribus & liberis vel interfectis vario mortis genere, vel in servitutem morte acerbiorem abreptis, vel sub hasta venditis, vel ad triumphum & spectacula reservatis. In sola urbe Jerosolyma per tempus obsidionis mortui aut cæsi decies centena millia, capti nonaginta septem millia. Omitto numerum eorum qui antea variis locis vel per tumultum popularem, vel per Romanorum Præfectos interempti. Porrò, sicut Judæos propter sua peccata bellorum calamitatibus afflixit: ita etiam Ægyptios, Tyrios, Idumæos, Moabitas, Syros, Assyrios, Chaldæos, ut clarissimè scriptura docet: ut hinc intelligamus, omnia bella, omnesquè seditiones nihil esse aliud, quàm iræ Divinæ flagella: opibus enim & deliciis, quas longa pax & prosperitas adducit, mens humana corrumpitur, & Divini Numinis oblita, in omnem vitiorum turpitudinem diffluit. Itaquè DEUS bellum immittit, cujus acerbitate & præterita peccata castigentur, & futuris fomenta subtrahantur, & DEi notitia ac timor mortalibus inseratur, ut ad ipsum confugere, vitamquè emendare compellantur. Deniquè hac ratione quoque impeditur, nè numerus impiorum invalescat: nam cùm longa prosperitate genus humanum excrescat ultra modum, & veluti arbor in opimo solo, inutilium & impiorum hominum multitudine tanquam frondibus & stolonibus luxuriet, DEUS hac falce bellorum, ut peritus frondator, noxiam fruticum silvam resecat, frondemquè inutilem distringit, luxurie castigata; ut quod superest, non opprimatur, sed iniquo liberatum onere, idoneum fructum proferat. In hunc finem excitavit subinde magna quædam imperia & Monarchias, quæ sine maximis bellis & gentium cladibus nec constitui poterant, nec conservari; ut Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum. Quæ tamen ipsa rursus propter peccata tum Principum qui ea tenebant, tum populorum quibus ea constabant, deleta sunt. Assyriorum enim eversum est à Persis, Persarum à Græcis, Græcorum à Romanis, Romanorum (excepta porticuncula quæ superest) partim à barbaris, partim à subditis sese in libertatem vindicantibus.. Cùm enim aliqua Monarchia diu continuatur, qui præsunt, nimium attollunt animos, intole-

Isaias c. 13. usque 15. item cap. 45. & 46. Jerem. c. 46. & seq. Ezech. cap. 25. & seq. Amos. Nathan.

Dan. 7. Zachar. 6.

intolerandâ superbiâ suum statum & potentiam non Divinæ providentiæ sed suæ & majorum suorum prudentiæ & virtuti assignantes. Unde in omnem licentiam effusi, pro sua libidine, tanquam nemini rationem reddituri, gerunt omnia. Populi quoque subjecti, longa pace corrupti, peccata peccatis accumulant. Itaquè DEUS vult Monarchiam in una natione non esse perpetuam, sed subinde mutari, & ex una in aliam transferri. Quo fit, ut quædam gentes olim bellicosissimæ, & quæ bonam orbis partem subegerunt, iam sint imbelles, & aliorum prædæ expositæ, ut intelligant, non sua virtute, sed Divina ordinatione se aliquando magnum imperium tenuisse.

Porrò sicut bellorum cladibus DEUS humanum genus castigat, & effusam ejus luxuriem compescit; ita etiam, fame, incendiis, naufragiis, & aliis modis his vel similibus, sed maximè peste, quâ brevi tempore interdum Oppida & Regna ita exhaurit, ut vix quarta pars hominum supersit, punit Salutaris omninò falx, ad superfluam & noxiam frondem ac fruticem resecandum. Manifestiùs autem, istæ plagæ à Divina providentia inferuntur, quàm bellorum clades: DEUS enim ista flagella directè potest velle, & per se immittere, quia per causas naturales absque culpæ interventu inferri possunt. Bella autem pleraquè, nimirum quæ injustè suscipiuntur, etsi absque peculiari Divinæ providentiæ permissu non gerantur, non tamen directè à DEO sunt volita aut decreta, sed permissa tantùm in vindictam peccatorum. Omnes enim dæmones & impii Reges sunt veluti feri quidam Leones, parati genus humanum perdere, vel suæ tyrannidi subjicere. Verùm ita virtute Divina continentur, ut nihil nocumenti cuiquam inferre possint, nisi DEO annuente, & veluti habenas quibus coërcentur, remittente. Cùm ergo DEUS aliquod Regnum propter peccata vult punire, vim illorum compressam relaxat, quantum & quamdiu ipsi videtur, sinitquè illos veluti turbines quosdam Regnum illud invadere, eiquè bellum inferre, & simul illud Regnum pristina protectione destituit, ut se tueri non valeat. Cùm autem satis pœnarum dederit, rursus habenas sensim contrahit, & vim adversariam magis magisquè coërcet, & simul prote-
ctionis

ctionis suæ dexteram ad illud Regnum extendit, res omnes ita disponens, ut calamitas finem capiat, & pax desiderata subsequatur. Hujus rei apertissima exempla habemus in scripturis, præsertim in libris Judicum, Regum, Paralipomenon, deniquè pleni sunt libri Prophetarum, hunc esse Divinæ justitiæ morem. *Hæc Lessius.*

§ 2dus.

De Praxi vitandi pœnas publicas corporales.

Hujusmodi Praxis melior dari nequit, quàm vitare omnibus modis peccata. Etenim posita certâ mensurâ peccatorum, DEUS infligit dictas pœnas. De quo pulchra differentem audi *Lessium*: Nunc considerandum est, quando DEUS vindictam inferre soleat: non enim commisso peccato statim punire consuevit; alioquin iam pridem exhaustum esset humanum genus, & paucissimi salutem consequerentur. Differt itaque sæpè in longum tempus, ut pœnitentiam agant, & supplicium impendens auertat. Imò multis in hac vita gravem aliquam afflictionem non immittit, etsi sceleribus infinitis ipsum offenderint, sed totum reservat in futurum, sinens illos interea thesaurizare sibi iram in diem iræ. Brevis enim admodum est vita humana, ac proinde ultio non potest multùm differri. Verùm Regna, Provinciæ, Urbes, & magni hominum Conventus (ob assiduam eorum qui gignuntur, & morientibus substituuntur, accessionem) non intercidunt, sed plurimis seculis perseverant. Itaquè consentaneum est Divinæ justitiæ, ut subinde peccatis eorum valde excrescentibus, in hac vita communi aliquo calamitatum flagello castigentur, tum nè nimis diuturna impunitate, peccandi licentia in immensum augeatur, & ad alias quoque nationes horum exemplo serpat; tum ut omnibus timor Divini Numinis, ac cura vitæ emendandæ injiciatur.

De Perfect. Divin. de justitia cap. 11.

Rom. 2.

Constituit itaque Divina justitia singulis Regnis & Provinciis certam quandam mensuram certo peccatorum numero & gravitate definitam, quam ubi peccando impleverint, gravem aliquam vindictam generatim infert, sive bello, sive peste, sive fame, sive aliis modis, uno vel pluribus, prout ipsi placuerit, & pec-

catorum magnitudo poſtulaverit. Colligimus hoc ex ſcripturis: *Gen. 15. Generatione quarta revertentur huc, necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum* ; nimirum ut exſcindantur, & ſemen tuum eorum regionem obtineat. Hoc enim factum eſt poſt quadringentos annos, tunc enim & illorum & cæterarum gentiũ Chanaan completa eſt menſura iniquitatis, & Jſraëlitis traditi ſunt vaſtandi. *Matth. 23. Et vos implete menſuram Patrum veſtrorum.* Quaſi dicat, Illi occiderunt Prophetas, quos DEUS ad eos mittebat, & ſic magnum impietatis cumulum ſibi ſtruxerunt: vos occidite (per conceſſionem dictum intellige) Dominum Prophetarum, ut menſuram eorum impleatis, quâ impletâ ſequetur vindicta, per quam & illorum & veſtra impietas puniatur, quod inſinuant illa verba ſequentia. *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel juſti usque ad ſangvinem Zachariæ Filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Sanguis juſtus*, hoc eſt, pœna & ſupplicium, pro effuſione ſanguinis juſtorum, nempe Prophetarum quos ipſi vel Patres eorum occiderant. Sic cùm eſſet impleta menſura, quæ decreto Divinæ juſtitiæ primævo mundo erat conſtituta, inductum eſt diluvium, quod ſignificat ſcriptura cùm ajt, *Gen. 6. Cumquè vidiſſet DEUS terram eſſe corruptam (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram) dixit ad Noë: Finis uniuerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra.* Ideo nimirum venit *finis* & excidium primi Orbis, quia menſura ejus impleta erat: quæ menſura ſita erat in univerſali omnium (exceptis paucisſimis) corruptione per omnia vitiorum genera, maximè per libidines, crudelitatem, ſuperbiam, & (ut valde credibile eſt) per idololatriam. Similiter finis & excidium generale ſecundi Orbis erit, quando menſura impietatis ejus erit impleta; quæ conſiſtet in univerſali corruptione (ſi puſillum fidelium gregem, qui tunc reperietur, excipias) per eadem vitia, ſed maximè per hæreſes, atheiſmum & Numinis contemptum. Sic impleta menſura Sodomorum & Gomorrhæorum, Dominus eos delevit, quod ſignificatur illis verbis. Gen. 18. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis: deſcendam & videbo*

videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam. Gravia peccata vindictam clamant, quæ dum multiplicantur crescit clamor, tandemquè fit intolerabilis auribus Divinæ justitiæ, nempè quando ad eam mensuram pervenerunt, ultra quam DEUS non ampliùs sibi tolerandum ab æterno statuit. Sæpè tamen etiam completâ mensurâ non statim ad vindictam prorumpit, sed lentè procedit, tanquam invitus pœnam irroget, præsertim quando de extremo exitio agitur. Quod insinuant ea verba; *descendam & videbo* &c. quibus etiam instruit Judices, gravia crimina quæ fama defert, non esse statim credenda, nec vindicanda, nisi rei veritate bene explorata; ut pulchrè docet S. Gregorius lib. 19. moral. c. 23. Deniquè hæc mensura indicatur omnibus illis scripturæ locis, quibus prædicitur instare excidium alicujus Nationis: ut cùm dicitur onus Babylonis, onus Moab, onus Damasci, onus Ægypti, onus Tyri, & similia, quibus pleni sunt Prophetarum libri.

Quæ autem cuiquè Regno vel Provinciæ mensura constituta sit, latet in inscrutabili Divinorum Iudiciorum abysso, neque alicui creaturæ nisi per revelationem innotescere potest: nulla enim est certa lex aut regula, unde id possit conjici. Supremus ille Orbis moderator pro suo arbitrio statuit, usque ad quem gradum & quamdiu peccata cujusque Nationis sint toleranda; quando & quomodo vindicanda. Et quidem plerumquè minus tolerat peccata fidelium quàm infidelium. Primò, quia fidelium peccata plerumquè sunt graviora, partim ob majorem Divinæ voluntatis, futuræquè mercedis & vindictæ cognitionem, partim ob majorem in DEUM ingratitudinem. Secundò, quia castigatio fidelium non est ad perditionem, sed ad emendationem & salutem. Plurimi enim per hujusmodi communes afflictiones à peccatis & æterno exitio, in quod ruebant, avocantur, & salutem assequuntur, qui alioquin in prosperitate erant perituri. Unde potius est paterna correptio, quàm judicialis punitio, & κόλασις potiùs quàm τιμωρία, juxta Aristotelis doctrinam. At infidelium castigatio magis tendit ad perditionem: etsi enim DEUS illam irroget ut vitam emendent; tamen cùm vera fide sint destituti, non norunt

runt eâ uti ad salutem: itaque parum illis adfert commodi. Tertiò, quia cùm ipsi post hanc vitam æternâ pœnâ sunt plectendi, DEUS sinit illos diutiùs frui hujus vitæ commodis, & magis cum illis, quàm cum fidelibus dissimulat; præsertim si omnem honestatem & pudorem penitus non abjecerint. Deniquè infideles & hæretici sunt plerumquè instrumenta, quibus DEUS fideles castigat, unde tolerat illos etiam in hunc finem, & permittit crescere in magnam potentiam. Habent tamen hi quoque suam mensuram & terminum, cùm satis diu fideles afflixerint, & peccata peccatis fine fine, sine metu Numinis, cumulaverint; tunc & ipsis flagellum imminet, quo vel omnes, vel bona pars eorum dispereat. Sic cum Assyrii & Chaldæi Populum DEI & alias nationes sæpiùs aflixissent, tandem & ipsorum Regna cum maxima mortalium strage eversa sunt. Idem Vandalis, Hunnis, Arianis, & aliis hujusmodi Ecclesiæ flagellis ac pestibus accidit. Idem nostris quoque hæreticis eveniet, qui modo ad castigandam superbiam, jactantiam, luxuriam, acediam, aliaquè Catholicorum peccata, ad tantam assurgere potentiam permisi sunt. Cùm enim DEUS eorum malitia & viribus satis usus fuerit ad fidelium castigationem, & mensura peccatorum fuerit impleta, etiam exscindentur, & in ignem æternum tanquàm palmites præcisi & omnino inutiles projicientur. Ambulat itaque Divinæ justitiæ flagellum in orbem, & transit de Regno ad Regnum, prout cujusquè mensura completur, nec unquam fere à peccatorum ultione conquiescit. Nullum enim est tempus, quo non in aliquo populo aut provincia grassetur & sæviat, Unde Psalm. 74. *Dixi iniquis: Nolite iniquè agere, & delinquentibus: Nolite exaltare cornu: nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui adversus DEUM iniquitatem: quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus* (tibi exspectandum auxilium) *quoniam DEUS Judex est. Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto: & inclinavit ex hoc in hoc; verumtamen fæx ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Calix iste* est flagellum Divinæ justitiæ, quod cuiquè infligitur, cùm mensura peccatorum ejus impleta fuerit. Sicut enim calix plenus fortissimo vino, non diluto, sed multis rebus calidissimis

Vide Isaiam c. 13. usque ad 23. Jerem. c. 50. & 51. Ezech. c. 38. & 39. & alios.

ſimis & venenis mixto, gravisſimos viſceribus & capiti dolores adfert: ita calix iræ DEI omne genus calamitatis continens, acerrimos cruciatus excitabit. Hunc *calicem* nunc huic genti, nunc illi inclinat, & volentes & nolentes bibere cogit ad ſatietatem & vomitum. Verùm fæx & ſedimentum reſervatur in finem, quia calix æternæ damnationis, quem omnes peccatores ultimò haurient, erit omnium acerbisſimus. *Vide Jerem. 25. a. v. 15. uſquè ad 30.*

Ad menſuram peccatorum cujusquè Regni, primò & maximè pertinent peccata Communitatis, in quæ nimirum ipſa Reſpublica, ut corpus quoddam politicum, conſentit: hæc enim propriè ſunt peccata ipſius corporis, ut cùm Reſpublica conſentit in admisſionem hæreſeos, in expulſionem ſacerdotum, in bella injuſta. Eodem referenda, quæ Principes vel Magiſtratus authoritate publica fulti committunt: hæc enim ipſa Reſpublica, cujus iſti ſunt veluti Commiſſarii aut Officiales authoritatem à Republica habentes, committere cenſetur. Deinde quæ pasſim ab omnibus, vel ſaltèm à majore populi parte impunè committuntur. Quod enim à majore parte Reipublicæ agitur, ab ipſa Republica fieri cenſetur, etiamſi à ſingulis ſeorſim, & non ut conſtituunt unum corpus, fiat, ut cùm populus majori ex parte deditus eſt ebrietati, libidini, lucris injuſtis, cùm parum curat res ſacras, & quæ ad ſalutem animæ pertinent, terrenis totus immerſus. Deniquè etiam, peccata cujusquè in particulari aliquo modo ad hanc menſuram referuntur. Sicut enim quisque eſt membrum Reipublicæ, & conjunctus cum aliis conſtituit ipſum corpus Reipublicæ; ita peccata cujusquè privati pertinent ad communem cumulum, eumquè, aliorum peccatis conjuncta, conſtituunt & augent. Hinc fit ut interdum propter unius peccatum totus populus puniatur, nimirum cùm alicujus peccatum menſuram communitatis explet. Sicut enim in numeris quælibet ſpecies accedente unitate ultima conſtituitur, ita quælibet peccatorum menſura à DEO definita ultimo aliquo peccato veluti termino intrinſeco completur. Sic propter peccatum Davidis populum numerari jubentis, punitus fuit univerſus Iſraël à Dan uſque Berſabee, occiſis peſte intra triduum ſeptuaginta millibus hominum. Et propter peccatum Achan, qui *2. Reg. 24. Joſue 7.*

qui contra præceptum Divinum aliquid de anathemate uſurpârat, punitus fuit exercitus, & in fugam actus, cæſis triginta ſex viris: nec potuiſſet exercitus iſte quidquam inpoſterum efficere, aut hoſtibus ſuis reſiſtere, niſi auctor facinoris ſublatus fuiſſet, ut ibidem habetur. In hujusmodi tamen eventis, non ſolùm illud peccatum ultimum illius hominis; ſed etiam præcedentia tum ejusdem, tum aliorum illius populi punita fuêre. Non enim ob ſolum peccatum Davidis DEUS tot millia hominum ſuſtulit; ſed per hanc cladem, etiam populi peccata vindicata fuêre, quæ jam ita accumulata erant, ut vindictam celerem mererentur. Permiſit itaquè DEUS Davidem incidere in iſtud peccatum ſuperbiæ, quo menſura Iſraëlis erat implenda & vindicta irroganda. Significat id ſcriptura cum ait:
2. *Reg.* 24. *Et addidit furor Domini iraſci contra Iſrael*, (*commovitquè* commoveri permiſit à diabolo) *David in eu dicentem: Vade, numera Iſrael & Judam.* Sæpè enim Dominus propter peccata populi permittit flagitia Principum, quibus vel tyrannicè populus ipſe gubernatur, vel in bella & ſeditiones conjicitur, vel menſura peccatorum ejus impletur, ut ultio Divina ſubſequatur. Pari modo
Job. 34. *Iſai.* 3. propter peccata populi facit regnare hominem hypocritam; & dat Principes inſipientes, imbelles, effœminatos, qui nec ſciant, nec posſint populum regere, vel adverſus hoſtes tueri. Exempla plurima habemus in ſcripturis, & hiſtoriis humanis.

Ex his perſpicuum eſt, qua ratione non ſit iniquum, totam multitudinem propter unius peccatum puniri. Non enim hæc ita ob unius peccatum plectitur, quaſi ipſa per ſe (ſaltèm pro majori parte) tali pœna ratione ſuorum peccatorum digna non ſit (id enim non eſſet Divinæ juſtitiæ conſentaneum) ſed quia unius peccatum (nimirum quo communis menſura impletur) eſt cauſa, cur hoc tempore potiùs quàm alio pœna communitati debita irrogetur, & non in aliud tempus differatur. Sæpè tamen fit ut aliqui in ea communitate tali ſupplicio per ſe non ſint digni, qui tamen communi malo propter conjunctionem vitæ & habitationis involvuntur. Sicut enim in corpore naturali membrum quodlibet eſt particeps commodorum ipſius corporis; ita in corpore politico quodlibet membrum, etiamſi cauſam cum

aliis non dederit, communis prosperitatis & calamitatis est consors. Nequè aliter juxta ordinariam rerum legem fieri potest ob commorationem justorum cum iniquis, quibus sunt permixti, & in quorum medio degunt. Itaquè respectu talium, illa afflictio non tam est pœna, quâ eorum peccata vindicentur, quàm exercitatio virtutis & patientiæ ad majorem gloriam. Nemo tamen facilè in animum inducat; se talem afflictionem non esse commeritum: hoc enim est quod Dominus graviter in S. Job reprehendit; qui tantam se calamitatem non commeruisse contendebat. Nemo enim animi sui statum, utrùm amore an odio dignus sit, plenè novit, nemo peccatorum pondera & mensuras, quantumquè pœnarum respondeat singulis cognoscit. *Delicta* inquit Propheta *quis intelligit? ab occultis meis munda me.* *Psalm.* 18. Quamvis enim DEUS hanc calamitatem non immittat tibi ad peccatorum vindictam, sed ad patientiæ probationem: non tamen hinc efficitur, te illam non esse promeritum, aut DEUM non potuisse illam justè pro peccatis tuis irrogare: nam etiam quædam venialia ad hoc sufficiunt. Si enim post hanc vitam nonnulla venialia gravissimis & diuturnis purgatorii ignis suppliciis justè puniuntur, cur non in hac vita quibusvis calamitatibus, quæ pœnis purgatorii longè sunt mitiores, vindicari possint.

Hoc quoque dignissimum est consideratione, quòd quo plures sunt impii homines in aliqua Republica Christiana qui impunè peccant, eo celeriùs impletur mensura, & gravior velociorquè illi exspectanda vindicta: hi enim maledictionem sibi debitam secum ad Rempublicam, cujus fiunt membra, deferunt, ejusquè illam faciunt participem. Deinde sicut Princeps aliquis non potest bene affici erga Civitatem quæ propter aliquod lucellum recipit & juvat ejus hostes, qui ipsum contumeliâ afficiunt: ita DEUS omnium Princeps & Dominus non potest amare Rempublicam, quæ solius commodi temporalis causâ, nulla habita ratione injuriarum quæ ipsi inferuntur, aut periculi contagionis quod civibus impendet, hostes ipsius admittit & fovet. Itaque multas & graves calamitates non solùm spirituales, sed etiam temporales illi imminere non est dubi-

dubitandum. Econtrario, quò plures sunt justi & Sancti in Republica, eò tardiùs mensura impletur, & longiùs punitio differtur. Benedictio enim & favor cælestis qui ipsis debetur, in Rempublicam quæ eos fovet, redundat, parcitquè DEUS toti corpori intuitu aliquot nobilium membrorum, quæ ipsi chara sunt, & propter aliquot bonos benefacit plurimis malis. Etsi enim major pars Reipublicæ sit prava, & iram celerem mereatur, tamen DEUS manum sustinet, & ultionem suspendit: partim nè simul cum impiis justos, quorum ipsi vita est accepta, tollat è medio: partim justorum flexus humilitate, & deprecatione: denique quia justorum labore & studio sperandus est fructus, & multorum ex illa iniquorum colluvie conversio. Confirmari hæc possunt exemplis. Si enim in Sodomis vel decem justi reperti fuissent, ipsorum gratiâ DEUS
Gen. 15. 32. toti illi multitudini pepercisset. Si Moyses sæpè Dominum
Num. 16. v. non exorâsset, & iram ejus in populum accensam avertisset,
46. 47. longè plures & graviores clades populus in deserto accepisset.
Psalm. 150 Sic in parabola Evangelica precibus & sponsione agricolæ ar-
Luc. 13. bor infructuosa etiam succidenda, servata est in alterum annum. Omitto alia innumera huc pertinentia, quibus declaratur, maxima commoda, etiam temporalia, justorum causâ indignis collata, & maximas calamitates his impendentes aversas. Itaque viri iusti & sancti, veluti columnæ quædam, suâ præsentiâ sustentant Respublicas & Regna, quæ jam olim pondere peccatorum suorum concidissent, nisi hujusmodi fulcra intra se habuissent. Imò jam pridem Mundus periisset, nisi iustorum meritis, & orationibus, & exspectatione fructûs, qui ipsorum
Eccl. 16. operâ ex impiis colligendus est, conservaretur. *Melior est*, & pluris à DEO æstimatur *unus justus, quàm mille impii.* qui nihil sunt nisi stipula, palea, zizania, ignis æterni pabulum: Nam
Eccl. 21. ùt Ecclesiasticus inquit: *Stuppa collecta Synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis.* Hactenus Lessius.

SUB-

SUBSECTIO III.

De Pœnis Spiritualibus, oppositis essentialis Beatitudinis hujus vitæ.

POenæ Spirituales aliæ sunt quæ opponuntur essentiali Beatitudini, aliæ quæ accidentali. Essentiali Beatitudini contrariantur tanquam ejus fundamento sive principio habituali pœna privationis gratiæ sanctificantis, & puritatis, ornatusquè virtutum, ac donorum Spiritus Sancti; tum pœna privationis actualis contemplationis & amoris DEI unitivi, fruitivi, transformativi. Pœna privationis gratiæ sanctificantis &c. quàm horrendum & ineffabile sit malum, patet ex dictis suprà de Gratia, Virtutibus, & Donis. Ac quantum illa sit bonum, ut proinde damnum tanti boni totius mundi bonorum damnis est prorsus incomparabile. Deinde privationem gratiæ & virtutum consequens macula, cæteræquè proprietates & effectus peccati, quàm enormia hæc sint mala, & ipsius gehennæ tormentis, præcisè in se spectatis intolerabiliora, similiter collige ex suprà allatis de peccatis. Quod verò concernit pœnam privationis actualis contemplationis & amoris DEI, & hæc pœna similis est pœnæ illi, quæ vocatur pœna damni, ut illam damnati in inferno meritò præferant omni atrocissimo igni & cruciatui pœnæ sensus, idquè ipsum colligi potest ex dictis de contemplatione, charitate, gaudio Spiritus Sancti, & pace &c. Quanquam qui minimè gustârunt, minimè quoque viderunt quàm suavis sit Dominus; aut post gustum hunc cælestem reprobi facti sunt ad sapores & fœtores suæ carnis & illecebrarum mundi, præfatam pœnam non apprehendunt, nec curant. Deinde mille acerbitates & corrosiones à verme conscientiæ in peccatoribus; & etiam in justis quæsitio veræ requiei & consolationis adeoque beatitudinis in omnibus rebus licitis, nec inventio; Quid aliud sunt nisi opposita veræ beatitudinis & pœna consequens privationem actualis contemplationis, amoris, indequè manantis veri gaudii & pacis?

Praxis evadendi pœnam ſpiritualem privationis gratiæ juſtificantis, habituum infuſorum & Donorum Spiritus S. eſt Pœnitentia præteritorum peccatorum, & Mortificatio vitiorum.

Praxis præcavendi pœnam privationis actualis contemplationis, & Amoris DEI eſt potisſimùm conſervare Puritatem & Humilitatem, ac ferventer aſpirare & conari ad Perfectionem.

SUBSECTIO IV.

De Pœnis Spiritualibus oppoſitis Beatitudinis accidentalis vitæ præſentis,

§ imus.

GRatias Actuales eſſe neceſſarias ad Beatitudinem accidentalem vitæ præſentis patet ex alibi dictis, patebitquè ex dicendis. Unde oppoſita earundem gratiarum ſpectant ad infelicitatem & pœnam hujus lachrymarum vallis; ſed antequam in ſpecie de pœnis ſpiritualibus diſſeramus, operæ pretium eſt aliqua de iisdem in genere præmittere: Et potisſimùm; Pœnam ſpiritualem ſæpè non condonari cum aliis pœnis, quod etiam in peccatis venialibus, imò & in Imperfectionibus locum habere certum eſt. De quo placet *Leſſius* ita diſcurrens: De pœna ſpirituali, tria valde ſunt notanda. Primum eſt, DEUM, etſi præſentibus ſemper remittat culpam & pœnam æternam, & ſæpè etiam temporalem, in quam æterna fuit commutata, præſertim interveniente debitâ ſatisfactione, vel Indulgentiarum beneficio; non tamen ſemper condonare pœnam ſpiritualem conſtitutam in aliqua particularium auxiliorum denegatione, vel afflictionum internarum permisſione: ſed ſæpe intuitu præcedentium peccatorum, nimirum ut ea vindicet, hujusmodi pœnâ uti. Idem dico de permisſione pœnæ corporalis & afflictionis externæ. Etſi enim directè hanc pœnam non infligat, ſæpè tamen ob præcedentia peccata (quamvis alias condonata)

Leonardus Leſſius de perfect. & moribus Divin. de juſt. DEI, c. 15.

nata) permittit afflictiones corporales, quas alioquin avertisset, si talia peccata olim à nobis patrata non fuissent. Exemplum habemus in Davide, cui etsi adulterium cum Bethsabeo, & cædes Uriæ, quoad culpam & pœnam directè debitam, fuisset condonata (præsertim post insignem illam pœnitentiam) ita ut nec Purgatorii quidem ulla pœna deberetur; tamdiu postea ipse ob illud peccatum à DEO punitus fuit rebellione Absolon, & nefando incestu, quo ille uxores patris sui coram omni populo incestavit. Hæc enim DEUS permisit in illius peccati vindictam, ut apertè ei Nathan prædixerat. Sicut ergo DEUS illud peccatum qostquam omnino remissum erat (si culpam & pœnam directè infligendam spectes) adhuc tam graviter punivit, pœnâ ut ita dicam permissivâ; ita sæpè post similem condonationem & satisfactionem, qua non solùm culpa sed etiam debitum Pœnæ exhaustum est, punit peccata indirectè aliqua pœna spirituali, nimirum subtrahendo, seu non impertiendo tantum protectionis, vel excitationis, vel directionis auxilium, quantum alioquin præbere constituerat, si hoc peccatum non commisisset; permittendo etiam aliquas tentationes, & afflictiones interiores, vel scrupulos, quos alioquin non permisisset. Aliud enim est condonare culpam, & pœnam directè debitam, aliud impertiri omnes pristinos favores, omnia beneficia quæ antè animo conceperat, omnemquè familiaritatem. Itaquè illud sine hoc facilè potest consistere, estquè id etiam moribus hominum sapientissimorum conforme. Etsi enim Princeps subdito qui graviter offendit, omnem pœnam condonet, eumquè ad suam amicitiam admittat; tamen sæpè fit, ut non tanta benevolentiæ signa ei exhibeat, nec tantis beneficiis eum afficiat, quantis statuerat illum ornare, si non offendisset. Idem sæpè accidit inter amicos. Manet enim alta mente reposita offensionis indignitas, etsi non ad odium, & ad malum aliquod rependendum (quo sensu intellige illud Ezechielis 18. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor*; nimirum ad damnationem, ut verba sequentia indicant) at certè ad minuendam curam commodorum illius, & beneficentiæ fontes nonnihil cohibendos.

2. Reg. 12.

bendos.

bendos. Unde vel ob hanc causam sapientissimè dictum est à Sapiente: *De propitiato peccato* (περὶ ἐξιλασμοῦ) *noli esse sine metu.* Eccl. 5. Etsi enim constaret esse ita condonatum, ut nihil amplius tibi pœnæ restet luendum; tamen non constat, te propter illud non puniendum pœnâ permissivâ vel negativâ, ex qua grande malum potest provenire: hæc enim pœna sæpè est occasio damnationis. Innumeri enim cùm majoribus auxiliis pervenissent ad salutem, qui cum minoribus excidêre: quibus fortè majora illa præparata erant & conferenda fuissent, nisi peccata aliqua gravia intervenissent, per quæ prima illa dispositio fuisset mutata & inversa. Idem dico de tentationibus. Plurimi enim salvati fuissent, nisi certis quibusdam tentationibus DEUS eos pulsari permisisset, per quas fuère ad interitum pellecti, quas ille tentationes non permisisset, nisi id prioribus peccatis meruissent.

2. Corinth. 7. Nemo itaque securum se putet, sed *cum timore ac tremore*, ut Apostolus monet, *salutem suam operetur*, pristinas negligentias novo feruore redimens, & priora peccata quibus DEUM offendit, magnis pro gloria DEI & salute proximi officiis compensans, & assiduis precibus veniam & misericordiam flagitans. Sicut enim peccatis meruit, ut DEUS ei peculiaria quædam auxilia sabtraheret, & tentationes aliquas, spiritualesquè afflictiones obvenire sineret: ita studio bonorum operum, & orationis assiduitate obtinere potest, ut noxiæ tentationes avertantur, & majora auxilia, quibus ad salutem dirigatur, aptissimè conferantur.

Hæc pœna non est ordinaria, nec certa aliqua lege statuta, sed arbitraria. Non enim DEUS cum omnibus eâ utitur, sed adhibet illam ubi & quando vult, & prout ipsi placuerit. Quibusdam enim post maxima peccata statim confert majora auxilia, ut ubi abundavit iniquitas; ibi abundet gratia; nec sinit illos magnis tentationibus concuti. Aliis confert auxilia minora, & multis tentationibus premi sinit. Aliis verò non minuit auxilia, sed permittit graves tentationes, vel scrupulos molestissimos, vel alias afflictiones, variosquè dolores & angores. Et hæc omnia propter peccata præcedentia iam condonata.

Imò quod magis mirum eſt, propter peccata parentum ſæpè hujusmodi pœnis afficit poſteros, vel minora illis gratiæ auxilia largiendo, vel variis afflictionibus & tentationibus exponendo Exempla habemus in filiis Judæorum ad fidem converſis, etſi in perfidia paterna non fuerint inſtituti, & in filiis pesſimorum Hæreticorum, præſertim Miniſtrorum. Sæpè enim DEUS ob immania ſcelera parentum ita eſt offenſus, ut erga eorum poſteros minùs videatur eſſe liberalis & beneficus, non tanta illis impertiens gratiæ munera, quanta aliàs impertiret; vel in varias tentationes & calamitates incidere permittens, ut hìc quoque verum ſit, DEUM *viſitare peccata patrum in filios, usque in tertiam & quartam generationem* : & meritò oraverit Tobias : *Nè reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum.* Sic propter peccata patrum *cæcitas eſt in Iſraël, uſque dum plenitudo gentium intraverit.* Nec obſtat quod apud Ezechielem Dominus vetet illud proverbium : *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt*, expreſſè dicat : *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Agitur enim ibi de morte ſpiritali, & pœna æterna, ut patet ex toto illo capite, & ex illis verbis : *Ecce omnes animæ, meæ ſunt, ut anima patris, ita anima filii mea eſt : anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Qua de re vide Gabrielem Vaſquetz 1. 2. diſput. 135. cap. 2. Judæi enim per illud proverbium non tantùm ſignificabant, DEUM propter peccata parentum punire filios privatione vitæ & felicitatis temporalis, quod verum eſt, ſed etiam privatione vitæ ſpiritalis, & felicitatis futuræ; quod hìc falſum eſſe oſtenditur : pœnam enim quæ peccato propriè debita (qualis eſt mors ſpiritalis, & damnatio) ſolùm infligi ipſi peccatori, non filiis aut parentibus.

Exod. 20. *Num.* 14. *Tobiæ* 3. *Iſaiæ* 6. *Joan.* 12. *Rom.* 11. *Ezech.* 18.

Aliud conſideratione dignum eſt, non ſolùm mortifera, ſed etiam venialia peccata ſæpè à DEO puniri peculiarium auxiliorum ſubtractione, & variarum tentationum afflictionumquè internarum & externarum permisſione. Qui enim negligenter DEO ſervit, nec eſt ſolicitus ut omnes ejus offenſiunculas, quantùm per fragilitatem humanam licèt caveat; meretur ut DEUS vicisſim non tantam ejus curam gerat, non tantis eum beneficiis foveat. Æquum enim eſt, ut ita ſe DEUS gerat

rat erga nos, postquam illius notitiam adepti sumus, sicut nos gerimus erga illum, juxta illud Psalm. 17. *Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* Idem cernitur inter homines. Multæ enim parvæ offensiunculæ amici in Principem, animum ejus ab amico alienum reddunt, & efficiunt ut minora beneficia & rariùs conferat. Hinc peccatis venialibus duo tribuuntur effectus, nimirum quòd charitatis fervorem minuant, & ad mortifera disponant, sicut passim Theologi docent. Nam fervorem minuunt, tum quia abundantiora auxilia, quibus ad fervidos actus virtutum opus est, subtrahunt; tum quia difficultatem, quam mens patitur cùm se ad Divina erigere conatur, augent. Crescit enim hæc difficultas partim auxiliorum imminutione, partim inordinata affectus nostri ad terrena adhæsione. Disponunt ad mortifera triplici ratione. Primò, quia auxilia per illa minuuntur. Secundò, quia tentationes increscere sinuntur, Tertiò, quia consuetudo in parvis ad majora disponit. Qui sæpè committit furta parva, incitatur ut oblatâ occasione tandem furtum committat magnum: qui voluptates illicitas sectatur parvas, proniorem se reddit ad magnas. Actuum enim repetitio auget pravam inclinationem, & tollit sensim metum offensionis, unde oblato objecto gravi, in quo major species utilitatis aut voluptatis appareat, facillimè trahitur. Magna itaquè est habenda venialium cura, à quibus tantum mali impendet. Pulchrè S. Augustinus libro de decem chordis cap. 11. *Non est* (peccatum veniale) *bestia sicut Leo, ut uno morsu guttur frangat; sed bestiæ plerumquè minutæ, si multæ sunt, necant. Si projiciatur quispiam in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? Quàm minuta sunt grana arenæ? si arena amplius in navi mittatur, mergit illam ut pereat. Quàm minutæ sunt guttæ pluviæ? nonne flumina implent, & domos dejiciunt? Ergo ista nolite contemnere.* Hæc intellige ratione dispositionis modo jam explicato.

S. Thom. 1. 2. q. 88. art. 3.

Tertium consideratione dignum est, non solùm ob peccata, sed etiam ob teporem & neglectum quendam Divinarum inspirationum, qui tamen per se non fit peccatum, Divina auxilia plerumquè minui. Cui enim DEUS magna auxilia offert,

fert,

fert, & rés magnas inſpirat; ſi ille vel anguſtiâ animi, vel affectu commodioris vitæ negligat, & eo nomine quòd non ſint præcepta, nolit conſentire Divinæ vocationi; meretur in poſterum hujusmodi deſtitui, & minoribus duntaxat juvari: meretur ut DEUS non tantâ illum curâ tueatur, non tantis præveniat excitamentis, non tantis dirigat ſucceſsibus. Hinc multæ tentationes, multæ afflictiones corporales & ſpirituales, multaquè ſalutis pericula. Unde magni rerum ſpiritualium Magiſtri periculoſum cenſent neglectum Divinarum inſpirationum, & teporem in progreſſu ſpiritus, eoquè referunt minas illas Spiritus Sancti Apocal. 3. *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus; incipiam te evomere ex ore meo.* Et illud Pſalm. 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Et illud Proverbiorum 1. *Quia vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui reſpiceret, &c. Ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Hæc Leſſius.

§ 2dus.

Præmiſsis in genere de pœnis ſpiritualibus, nunc eas ſpecificemus, oppoſitas gratiæ actuali internæ & externæ requiſitæ ad beatitudinem accidentalem vitæ hujus animadvertamus ex *Leſſio*, qui hæc profert: Cernitur Divina Severitas in punitione ſpirituali: quæ etſi vulgò non ita æſtimetur, quia ſenſibus non percipitur; tamen longè magis eſt metuenda quàm omnis afflictio corporalis. Sicut enim bona ſpiritualia incomparabiliter ſunt præſtantiora bonis omnibus quæ ſub ſenſum cadunt; ita illorum damna longè pluris ſunt æſtimanda, quàm omnia bonorum corporalium detrimenta. Accedit quòd hæc pœna ad pœnam æternam ſit proxima diſpoſitio. Sicut enim ſalus æterna pendet ex bonis ſpiritualibus, quæ in hac vita obtinentur; ita miſeria æterna ſequitur ex horum bonorum inopia & amisſione.

Leſſius de Juſtitia DEI c. 12. lib. perfect. DEI.

Conſiſtit autem hæc pœna ſpiritualis potisſimùm in quatuor malis. *Primò*, In ſubtractione gratiæ juſtificantis, & totius boni quod hanc gratiam conſequitur. *Secundò*, In ſubtractione auxilii interni. *Tertiò*, In ſubtractione auxilii externi. *Quartò* In excæcatione & obduratione. *De Primo diximus ſuprà, ubi de*

peccato mortali & ejus effectibus. De cæteris dicendum hoc loco. Secundum ergo malum erat, Subtractio auxilii interni ad salutem opportuni, in subtractione etiam imminutionem intelligo: non enim confertim & tota simul fit hæc subtractio, sed sensim, peccatis sensim crescentibus. Cùm homo est justus, debitum est ei hoc auxilium, & DEUS largè illi tanquam amico & filio suppeditat, ut commodè possit Divinam hereditatem consequi. Amissâ autem justitiâ, per peccatum, non debetur ei hoc auxilium ampliùs, cùm ius omne ad vitam æternam, ad quam hoc auxilium perducit, amiserit, sitquè reus æternæ mortis, & possit statim in barathrum præcipitari. Unde DEUS ordinariè incipit consvetam curam & opem, quam antea ei impendebat, subtrahere; nam justitiæ ordo postulat, ut non tanta sit ei cura de salute hominis, cum ipsi post tot beneficia factus est ingratus, inobediens & inimicus; quanta fuit cùm erat amicus, & obediens. Hinc fit ut qui semel mortiferè peccat, sæpè in eo peccato diu maneat, & in idem sæpiùs vel in alia labatur, priusquam resurgat: quia nimirum Divina opitulatio per peccatum est imminuta. Quod etiam magis constabit, si explicuerimus quidnam nomine auxilii interni intelligatur.

Tria hoc nomine continentur: Excitatio, Directio, Protectio. *Excitatio* sita est in tribus; in illuminatione mentis; in applicatione phantasiæ ad cogitanda salutaria, ut assiduè animo obversentur; & in affectione pia voluntatis. Animus humanus etiam in fidelibus & justis magnas in rebus spiritualibus patitur tenebras, & obscuro confusoquè modo eas apprehendit. Itaque ut possit eas sic concipere, & informare animum ut affectus moveatur, sæpè opus inspiratione Divina, quâ mens illustretur, ad eas congruenti & illustri modo concipiendas. Verùm non satis est hanc illustrationem semel atque iterum esse factam; quia mens statim suo pondere ad terrena cogitanda devoluitur. Cùm enim à sensibus functio ejus pendeat, solùm ea, quæ sub sensum cadunt (quibus natura consueverit) sponte suâ cogitat, & intus secum familiariter versat. Hinc fit ut nisi fere assiduè iuvetur, difficultates in spiritualibus cogitandis & tædia sentiat, nec diu in illis versari possit: sunt enim illa supra

ejus

ejus naturalem captum & consvetudinem. Unde opus est auxilio quo ejus phantasia corroboretur, elevetur, & applicetur ad ea quæ Divina illustratione rectè cognovit, facilè & congruenter ad affectum imaginanda, ut quasi assiduè menti obversentur, vel saltem exiguo conatu illa in promptu habeat. Nam affectus noster rebus spiritualibus non movetur, nisi illæ congruo modo sint apprehensæ: non possunt autem facilè sic apprehendi, nisi Divina illustratione accedente; nec ea apprehensio diu potest durare, nec esse nobis facilis & expedita, nisi adsit Divina opitulatio, quâ phantasia ad hoc applicetur & juvetur. Hoc auxilio suppeditante, facilè est terrena contemnere, cælestia sectari, & heroica virtutum opera capescere, ut in Apostolis est videre. Sicut enim qui assiduè terrena animo volvunt, ut honores, opes, voluptates, tanquam res eximias & amabiles ea concipientes, & imaginantes, non possunt ea non amare & persequi; ita etiam qui bona spiritualia cognoscunt, & crebrò eorum excellentiam considerant, phantasia ad hoc promptè & facilè obsecundante, non possunt ea non amare, & contemptis terrenis omni studio ambire. Sanè apprehensio & consideratio vilitatis rerum temporalium, & præstantia spiritualium, est fons omnis perfectionis; & cui ea est vehemens & quotidiana, is nullam & exiguam in via spirituali difficultatem sentiet. Amor enim vehemens qui ex tali apprehensione nascitur, facilè omnes difficultates superat, earumquè acerbitatem sua dulcedine temperat vel etiam obruit. Sic econtrario apprehensio illa, quâ mens cæca mortalium, res temporales concipit tanquam dulces, magnas, splendidas, amabiles, est causa omis mali & perditionis. Ex quibus patet, quanti hæc excitatio sit momenti, cùm tota ferè perfectio, & omnis profectus spiritalis hinc pendeat. Sicut enim Protectio tuetur nos à peccatis, ita Excitatio promovet in bono, & adducit ad perfectionem.

Alterum est *Directio.* Hoc nomen accipitur dupliciter. Primò, Respectu salutis æternæ; & sic omne DEI auxilium est directio: nam per omne auxilium dirigimur ad salutem. Secundò, Respectu executionis alicujus boni propositi, quomo-

 do hic

do hic accipimus: estquè solum illud auxilium, quod ad executionem dirigit & juvat. Cùm enim executio à multis rebus externis sæpè pendeat, quæ non sunt in hominis potestate, maximè ad eam opus est Divino auxilio, quod directionem propriè vocamus. Ratione hujus auxilii dicitur Ieremiæ 10. *Scio Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, & dirigat gressus suos.* Et Proverb. 16. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* Hæc directio potissimùm in tribus sita est: in amotione impedimentorum, in oblatione occasionum exequendi, & in consilii salubris inspiratione. Verbi gratiâ in proposito Religionis ingrediendæ, vel alterius rei arduæ ad DEI gloriam conficiendæ, varia impedimenta obiici solent, quæ humano consilio sæpè non possunt amoveri vel pervinci. DEUS itaque res ita disponit, ut ista impedimenta tollantur, & ut occasiones se offerant, facilè & suaviter rem conficiendi, & in rebus perplexis, utile consilium per se, vel per homines aut Angelos suggerit, viasquè suaviter exequendi ostendit.

Protectio ad multa se extendit. Primò, Ut præservemur à peccatis, præsertim mortiferis. Secundò, Ut custodiatur in nobis semen Sanctæ inspirationis. Tertiò, Ut bonum propositum. non evertatur. Quartò, Ut executio non impediatur. Deniquè, Ut multa hujus vitæ pericula evitentur. Itaque hæc reliquas gratias, totamquè animæ salutem, & ipsam quoquè vitam corporalem tuetur. Consistit autem potissimùm in tribus. Primò, In compressione potentiæ diabolicæ, nè ipse nos tentet supra vires, ut ex Apostolo 1. Corinth. 10. Vers. 13. colligitur. Facile enim illi esset, totum mundum omnesquè iustos pervertere, si totam vim suam artesquè omnes exprimere concederetur: *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei.* (*Job. 41.*) Unde novissimis temporibus cùm solutior erit, ita grassabitur, ut nisi tempus persecutionis succideretur, etiam electi sint pervertendi, & pauci vel nulli salvandi: ut ex verbis Domini Matth 24. constat. Secundò, In aversione variarum occasionum & tentationum; quæ nobis à diabolo, mundo, vel carne obvenirent, quibus DEUS videt nos negligentiâ nostrâ

succu-

ſuccubituros, ſi permitteret nos illis involvi. Jtaquè eas benignè ſubmovet, res ita diſponens ut non eveniant, vel ſi evenerint, aliquid aliud intercurrat, quod earum progreſſum impediat, vel cogitationes noſtras aliò transferat. Tertiò, In auxilio opportunè exhibito, ad eas cùm inciderint vincendas. Ita enim juvat Protectio, ut nihil damni ab inſidiis hoſtium aliisquè cauſis ad malum allicientibus patiamur, ſed in omni conflictu perſtemus illæſi.

Quanta verò ſit Divinæ Protectionis neceſſitas, perſpicuum eſt, conſiderata tum noſtra tum hoſtium noſtrorum conditione. Magna enim eſt noſtra ad bonum imbecillitas, ad malum proclivitas, magna ignorantia, magna negligentia: infinitis ad vitam rebus eſt opus, quibus conquirendis aſſiduè ſumus intenti, non adeò interim de ſalute ſoliciti. E contrariò, maxima eſt diaboli potentia, maxima aſtutia & induſtria, maxima vigilantia; & his omnibus ad nihil aliud incumbit, niſi ad noſtrum exitium. Infinitæ quoque ſunt carnis & mundi ad malum illecebræ. Quanta igitur nobis opus eſt protectione, ut illius vim & inſidias, horum laqueos & decipulas evadamus? hinc Eccleſia paſſim ſuis in precibus Divinam protectionem tam ſedulò implorat, orans cum Propheta: *Cuſtodi nos Domine ut pupillam oculi, ſub umbra alarum tuarum protege nos.* Et: *Familiam tuam quæſumus Domine, continuâ pietete cuſtodi, ut quæ in ſola ſpe gratiæ cæleſtis innititur, tua ſemper protectione muniatur*: aliisquè modis plurimis Deniquè nihil æquè ac iſta protectio eſt nobis neceſſarium, nam debet hoc protectionis auxilium eſſe aſſiduum. Sicut enim parvulus vel infirmus per loca ſalebroſa incedens, ſemper eſt in periculo cadendi, niſi aſſiduè aliquis ei adſit qui eum cuſtodiat & ſuſtentet: ita homo etiam juſtificatus, ob infirmitatem & multas peccatorum occaſiones, ac inſidias diaboli, ſemper eſt in periculo peccandi, niſi Divinitus cuſtodiatur. Itaquè hoc auxilium etiam ſingula bona opera noſtra antecedere, & comitari, & ſubſequi debet, ut & illa facere, & facta conſervare poſſimus. Ex quibus conſtat, quanti hæc Protectio ſit momenti, & quantum periculi nobis ejus imminutio adferat.

Hoc triplex auxilium in omnibus Sanctis & maximè in Apostolis enituit, eosquè ad culmen perfectionis evexit, & ut res maximas feliciter conficerent, effecit. *Protectio* enim, à peccatis aliisquè multis periculis servavit, & reliquas gratias ac dona Divina in ipsis est tutata. *Excitatio* animos ad Divina extulit, & in iis ita corroboravit, ut multis non minùs facilè fuerit vivere supra se in spiritu juxta celsitudinem gratiæ, & habere conversationem suam in cælis, quàm nobis facile est vivere politicè juxta rationem humanam inter homines: Assistebat enim illis virtus Divina, mentem ad cælestia elevans, & phantasiam corroborans, ut illustri & vivido modo Divina conciperent, & magna facilitate absque tædio in illorum consideratione versarentur. Ex illa autem valida mentis & phantasiæ impressione, sponte sequebatur in voluntate & appetitu inferiore vehemens commotio ad opera heroica præstanda, difficultatesquè omnes superandas. *Directio* effecit, ut res maximas DEI gloriam & salutem animorum spectantes ad felicem exitum perducerent.

Voco hæc auxilia interna, non quòd omnia homini inhæreant (nam compressio diaboli, impedimentorum sublatio, occasionum ingestio sæpè extra hominem fiunt) sed quia occulta sunt, & invisibili modo exhibentur, & sæpè interiùs intra hominem administrantur; unde meritò dicuntur interna, maximè comparatione facta ad alia quæ exteriùs & visibiliter exhibentur, de quibus statim dicemus.

His explicatis, dico triplex auxilium internum, quod tanti est momenti, per peccatum justo DEI judicio sensim subtrahi & imminui. Crescentibus enim peccatis, minuitur Divina *Protectio*, neque DEO ita curæ est, ut eum à peccatis in posterum custodiat. Unde non ita dæmonem coërcet, sed sinit variis modis hominem tentari, & ab aliis quoque rebus varias peccatorum occasiones ingeri, neque tantas in pugna vires suggerit: hinc fit ut majores difficultates homo in resistendo indies sentiat, & in alia ac alia peccata miser corruat, novis accessionibus quotidie suum onus cumulans. Imminuitur etiam *Excitatio*: rariores enim sunt Divinæ inspirationes, rariores & langvidiores bonæ cogitationes, & piæ commotiones. Evanescit

omne

omne bonum spiritale, & mens tota rebus terrenis immersa volutatur in cœno carnalium voluptatum; & nisi singularis DEI miseratio præveniat, necesse est illum semper in pejus ruere. Denique minuitur *Directio*, vel potiùs tota tollitur. Ubi enim nullum est bonum propositum, non habet locum auxilium quo dirigatur ad executionem. His tamen addiderim, nunquàm ita subtrahi omne auxilium internum Divinæ protectionis vel excitationis, quin homo, si faciat quod in se est, per præsentem dispositionem quam habet, vel quam DEUS ei in necessitate confert, possit tentationi occurrenti resistere, ita ut non necessariò ei consentiat. Si enim non posset ullo modo resistere, neque auxilium ad resistendum petere & obtinere, non peccaret illo consensu, ut modò suppono: de quo alibi jam dictum est. Verùm multis peccatoribus hæc resistentia est adeò difficilis, ut re ipsa nunquàm eam sint præstituri, nisi copiosior gratia eos prævenerit; quia nolunt sibi vim inferre, nec extremum virium suarum impendere ut tentationibus resistant.

Ex his satis constat, quomodo auxilium internum propter peccata justo DEI judicio subtrahatur, & quanti hæc pœna in negotio salutis sit momenti.

§. 3tus.

Tertia pœna spiritualis est, subtractio auxilii externi. Hoc auxilium potissimùm in sex rebus situm est: *In prædicatione verbi Divini sanæque doctrinæ, in Sacramentorum usu, in sacrificio Missæ, in precibus Sanctorum ac piorum, in bonis monitoribus & consiliariis*, denique in *tribulationibus & flagellis*. His ferè modis & adminiculis externis DEUS utitur ad homines à peccatis abstrahendos, & ad salutem perducendos. Sed inter hæc tria priora maximam vim habent, adeò ut tota pœnè salus ex illis pendeat. Fides enim (quæ est totius boni spiritualis & salutis fundamentum) nascitur ex auditu verbi DEI: Justificatio perficitur, augetur & conservatur Sacramentorum usu: Sacrificio ira Divina mundo placatur, flagella impendentia avertuntur, pœnæ peccatorum relaxantur, interna gratiæ auxilia obtinentur, & dæ-

Lessius de Perfect. Iustit. Divin. cap 13.

monum impetus coërcentur. Ex quibus patet, quanti hæc bona sunt momenti. DEUS tamen propter peccata Christianorum sæpè ista subtrahit, & Oppida, Provincias, ac Regna præsidiis istis destituit, dum justo judicio permittit ut in hæreticorum redigantur potestatem, qui ministros Ecclesiæ, & unà cum ipsis sanam doctrinam, usum Sacramentorum, Sacrificium Sacrosanctum, omnemquè Religionem ac veram pietatem exterminant, inæstimabili profectò damno. Millies præoptanda erat fortunarum jactura, liberorum orbitas, perpetua servitus, & patriæ totius eversio. Et tamen ea est mortalium vecordia, ut hæc detrimenta parui faciant, modò temporali pace & vilibus hujus vitæ bonis frui sinantur. Meretur sanè hujusmodi punitionem Catholicorum tepor & oscitantia, qui ita terrenis sunt addicti, ut de cælestibus istis donis parum sint soliciti. Hanc pœnam minatur Dominus Matth. 21. cùm ait, *Auferetur à vobis Regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Et Amos 8. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi Verbum Domini.* Hæc fames est apud hæreticos, quia est summa veritatis inopia, cùm tamen omnes dicant se eam sitire & quærere. Præter hæc, interdum DEUS subtrahit Sanctorum preces, vel eas statuit non exaudire. Ieremiæ 7. *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Similia habentur Ieremiæ 15. & Ezech. 14. Deinde bonos consiliarios & monitores: Ieremiæ 51. *Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus ergo eam, quia pervenit usque ad Cælum judicium ejus.* Et Isaiæ 3. *Ecce Dominator Dominus exercituum auferet à Jerusalem & à Juda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, prophetam & ariolum, consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquii mystici.* Deniquè aufert tribulationes & flagella, quibus homines resipiscerent, & permittit eos frui prosperitate præsenti ad breve tempus, tanquam à cura sua repulsos, & quasi desperatos. Osee 4. *Non visitabo super filias vestras cùm fornicatæ fuerint, neque super nurus vestras cum adulteraverint.* Psalm. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua* &c. innumerabiles enim prosperitate pereunt, qui flagellis salvarentur. *Hucusque Lessius.* Sub

SUBSECTIO V.

De Pœna mortis pessimæ peccatorum, opposita morti pretiosæ Justorum, requisitæ ad supernaturalem Beatitudinem accidentalem Viatorum.

MOrs peccatorum plerumque & ordinariè includit & pœnas corporales & spirituales, quanquam subinde caret corporalibus angustiis, ut v. g. qui subitaneâ morte intereunt: Et licèt plurimi justorum, & Sanctorum gravibus cruciatibus moribundi affligantur, tamen hoc ipsis cedit in depurationem suorum delictorum, majusquè meritum gloriosæ æternitatis: peccatoribus autem minimè, quin imò iam prægustare incipiunt hìc amaritudines gehennales.

Motiva præcavendi infelicem pœnam mortis hominum peccatorum. I. *Agag* Rex perimendus, exclamavit: Siccine separat amara mors? *Psalm*: Mors peccatorum pessima. Et illud ex *Psalmo* verè ingeminare peccator moribundus potest: Circumdederunt me dolores mortis; & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis. *Eccl.* O mors quam amara est memoria tui, homini pacem habenti in substantiis suis. *Sapien*: Nationis iniquæ diræ sunt consummationes. *Eccl.* Væ vobis viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi. Etsi nati fueritis, in maledictione nascemini: etsi mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. *Machab*: A verbis peccatoris nè timueritis, quia gloria ejus stercus & vermis est. Hodie extollitur, & cras non invenietur, quia conversus est in terram suam, & cogitatio ejus periit. *S. Augustinus*: Vix benè moritur, qui malè vixit. *S. Gregorius*: Antiquus hostis ad rapiendas peccatorum animas tempore mortis crudeli effrænatur violentiâ, ut quos viventes blanditiis deceperat, morientes securiùs rapiat. *S. Bernardus*: Mors peccatorum pessima, quorum & nativitas mala, & vita pejor. *Idem*: Mors peccatorum pessima:

1. Reg. 15.
Psalm. 33.
Psalm. 17.
Eccli. 41.
Sap. 3.
Eccl. 41.
Machab. 2.
S. August. de doct. Christi.
S. Gregor. in moral.
S. Bernardus de transf. 5.
Malach.
Idem in Epist

pessima: mala siquidem in mundi amissione, pejor in carnis
S. August. S. 3. separatione, pessima in vermis ignisquè duplici contritione. *S.*
de SS Innoc. *Augustinus*: Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens
S. Gregorius oblivìscatur sui, qui dum viveret oblitus est DEI. *S Gregorius.*
24. mor. cap. 17 In morte tantò timor fit acrior, quantò retributio vicinior: & quantò vicinius judicium tangitur, tantò vehementiùs formidatur: inveniet enim homo post pusillum quod in æternum
S. Bernardus non poterit vitare. *S. Bernardus*: Anima mea, quis erit ille pa-
apud Inchin. p. vor, cùm dimissis omnibus, quorum tibi præsentia jucunda e-
1. c. 7. rat, sola ingredieris, ignotam penitus regionem, ubi occurentia catervatim teterrima monstra videbis? quis tibi in die tantæ necessitatis succurret? quis tuebitur à rugientibus præparatis ad
2. Machab. escam? quis consolabitur? quis te deducet? Antiochus Rex
c. 9. ob nimiam in Judæos exercitam crudelitatem tam gravi infirmitate à DEO punitus est, ut ex corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus diffluerent, ipsequè foetorem tolerare non posset; quousque tandem homicida & blasphemus pessimè percussus, ut ait sacer textus, in montibus
Baron. tom. 6. peregrè miserabili obitu vitâ functus est. *Aliud.* Hunnericus
ann. 476. & Vandalorum Rex cùm iamiam de Christianis, quos extremè
484. persequebatur, triumphum agere pararet, subitò à DEO immissis in corpus vermibus tam graviter tortus & corrosus est, ut præ fœtore & dolore ipsemet membra sua dentibus laniaret, & tandem inter hos cruciatus animam infelicem evomeret.

Subinde exempla habentur malæ mortis impiorum sub variis vitiis suprà positis.

Affectus Timoris DEI & aliarum virtutum ex meditatione mortis vide suprà sub titulo de Meditatione ejusquè Praxi.

Praxis præcavendi pessimam mortem peccatorum fit per assecutionem pretiosæ mortis justorum, de qua suprà.

SECTIO VIII.

De Supernaturali Beatitudine Patriæ.

Finis ultimus Cujus in Patria concernens ipsam Personam hominis, ejusquè proximum, est *Gloria seu Beatitudo & felicitas perennis*

perennis in Cælo homini conveniens. In ordine enim ad ipsam homo conditus, redemptus, justificatus est. Unde *Lessius* supra illa verba Christi Matth. 25. Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; ait; Ubi indicatur, mundum esse conditum propter gloriam Sanctorum, ut ipsi in æternum sint beati in cælo, & participes bonorum Divinorum. Porrò tribus modis paratum est Sanctis Regnum: Primò, ab æterno in prædestinatione Divina, ideo enim Sanctissima Trinitas ab æterno in Divino & arcano suo consistorio consilium cepit condendi mundi, & homines in mundo, ut eos faceret participes suæ beatitudinis, & omnium suorum bonorum & gaudiorum in cælo. Secundò, in Creatione, quando non solùm iste mundus inferior, sed etiam cælum supremum, quod Empyreum vocatur, & sedes est beatorum, conditum est. Tertiò, per mortem Domini, per quam cælum usque ad illud tempus clausum, est patefactum, juxta illud Joannis 14. Vado parare vobis locum. *Ita Lessius.* Porrò Apostolus. Non habemus hìc manentem Civitatem, sed futuram inquirimus. Et Princeps Apostolorum: Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum. Quæ autem hæc salus animæ & finis nisi ille qui dicit: Ego sum Alpha & Omega, principium & finis? Quare coronatus Propheta inquit: Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum. Et *S. Augustinus*: Fecisti nos Domine ad Te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in Te.

Lessius de perfect. Div. lib. 13. de iust. c. 25.

Hebr. 13.

1. Pet. 1.

Apoc. 1.

Psalm. 72.

S. August. lib. 1. Confess. c. 1.

Porrò cælestis *Beatitudo, est status omnium Bonorum aggregatione perfectus.* Ita Boëtius. Vel: *Beatitudo est consecutio ultimi ac supremi Boni, quod ab homine desiderari potest, & in quo cætera virtute continentur, seu ad illud referuntur.* Ita Suarez ex communi consensu omnium, qui de beatitudine loquuntur. In quibus descriptionibus Beatitudo objectiva, & formalis, essentialis, & accidentalis, exponitur, ut patet. Jam verò, quia essentialem beatitudinem Patriæ, accidentalis beatitudo alia antecedit, alia concomitatur, ideo de ipsis eodem ordine agendum. Ubi ad antecedentem beatitudinem reducimus favorabilius judicium particulare & generale, tum carentiam purgatorii; quis enim

Suarez de Beat. Disp. 4. sect. 1.

 hæc

hæc ad felicitatem hominis non videt spectare, sicut ad miseriam, eorum Opposita?

SUBSECTIO I.

De Judicio particulari & generali Justorum, ut requisito accidentalis Beatitudinis eorum.

PArticulare judicium cujusque post mortem institui affirmat Apostolus dicens: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Ast quàm favorabile, & in gloriam cedens judicandorum justorum quis edisserat? Justorum inquam illorum, qui obtentâ plenâ peccatorum veniâ, & congruâ satisfactione in vita præsenti factâ, absque macula, & ullo debito justitiæ Divinæ exsolvendo; quin potiùs virtutum gloriâ conspicui, & præclari apparent in conspectu Domini. Talium fit judicium; non ut reddant rationem malè gestorum, vel justitiæ eorum in dubium vocentur, sed quatenus his undequaquè depuratis, & sicut fulgore solis ac omni virtutum decore radiantissimis, testimonium & ultimam sententiam accipiant ex ore æternæ Veritatis dicentis: *Euge serve bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Et fiat ipsis, quod promisit Christus: *Omnis quicunquè confessus fuerit me coram hominibus: & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis DEI.*

Hebr. 9.
Matth. 25.
Luc. 12.

Porrò Judicium universale futurum sacra scriptura maximè deprædicat, unde Apostolus: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisquè propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum.* Ex cujus judicii & diei extremæ memoria, Sancti & pii magna in suis tribulationibus & laboribus percipiunt solatia, utpote principio plenæ & perfectæ beatitudinis. Hinc imo Job inquit: *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEUM meum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius, reposita est hæc spes mea in*

1. Cor. 1.
Job. 19. v. 25.

ſinu meo. Et Chriſtus præmonet ſuos: *His autem fieri incipientibus* (nimirum præambulis novisſimæ diei) *reſpicite & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Similiter Apoſtolus: *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Si enim credimus quòd JESUS mortuus eſt & reſurrexit: ita & DEUS eos qui dormierunt per JESUM adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in juſſu & in voce Archangeli, & in tuba DEI, deſcendet de cælo: & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur: ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus. Itaque conſolamini invicem in verbis iſtis.* Cæterum eodem Apoſtolo teſte: *Sicut eſt alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Item inquit: *Nolite ante tempus judicare: quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuiquè à DEO.* Idem: *In reliquo, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus Judex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus.*

Luc. 21. *1. Theſſ. 4.* *1. Cor. 15. v. 41.* *1. Cor. 4. v. 5.* *2. Timoth. 4. v. 8.*

2dò. S. Bernardus: *O ſi fortè guſtare dulcedinem hanc, ſi fortè gloriam iſtam valeas æſtimare! Mira enim dicturus ſum, ſed tamen vera & omnino indubitata fidelibus. Ipſe Dominus Sabaoth, Dominus virtutum, & Rex gloriæ, ipſe deſcendet ad reformanda corpora noſtra, & configuranda corpori claritatis ſuæ. Quanta erit illa gloria, quàm ineffabilis exultatio, quando Creator univerſitatis, qui pro animabus juſtificandis humilis ante venerat & occultus, pro te glorificanda, miſera caro ſublimis veniet, & manifeſtus non jam in infirmitate, ſed in gloria & majeſtate ſua? Quis cogitabit diem adventus illius, quando deſcendet cum plenitudine luminis, præcurrentibus Angelis, & tubæ concentu excitantibus de pulvere corpus inops, & rapientibus illud obviam Chriſto in aera?* Idem: *Tunc inquit unicuiquè laus erit. A quo? à DEO. Magnus laudator & vehementer ambienda omnium Sanctorum.*

S. Bern. ſerm. 6. de tripl. adventu. *S. Bernardus ſerm. 5. in feſto omnium Sanctorum.*

ambienda laudatio. Felix commutatio laudis, ubi & laudare beatum est, & laudari. Porrò Electi non tam judicandi quàm judicaturi Christo assidebunt, quod maximè Apostolis, eorumquè & Christi sequacibus promisit Salvator dicens: *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* Ubi secundùm *Bedam* per duodecim sedes intelliguntur omnes imitatores Christi, Judices cum eo venturi: sicut etiam nomine duodecim tribuum intelligitur omne mortalium genus esse judicandum.)) Et Apostolus: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia?* Deniquè justi illam optatissimam audituri sunt sententiam: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* S. Hieronymus: *Veniet dies illa; veniet, in qua corruptum hoc & mortale induat incorruptionem, & immortalitatem. Beatus ille servus, quem invenerit Dominus vigilantem. Tunc ad vocem tubæ pavebit terra cum populis, tu gaudebis. Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur tunc cum prole sua igneus Jupiter, adducetur cum suis stultus Plato discipulis, Aristoteli argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus & pauper exultabis & dices: Ecce judex, qui involutus pannis in præsepio vagiit, hic est operarii & quæstuariæ filius, hic qui Matris gestatus sinu, DEUS homo fugit in Ægyptum, hic vestitus coccino, hic pungentibus spinis coronatus, hic magus dæmonium habens & Samaritanus. Cerne manus Judæe quas fixeras: cerne latus Romane quod foderas, videte corpus an idem sit, quod ducebatis.* S. Gregorius: *Extremo die judicii, cùm apertis cælis, ministrantibus Angelis, consedentibus Apostolis in sede Majestatis suæ Christus apparebit, omnes hunc electi pariter & reprobi videbunt, ut & justi de munere retributionis sine fine gaudeant, & injusti de ultione supplicii in perpetuum gemant.* S. Bernardus: *Veniet dies illa, in qua plus valebunt pura corda, quam astuta verba; plus conscientia bona, quàm marsupia plena; quandoquidem judex ille non falletur verbis, nec flectetur donis.* Thomas à Kempis: *Esto modo solicitus & dolens, pro peccatis tuis; ut in die judicii, securus sis cum beatis. Tunc enim justi stabunt, in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & depresserunt. Tunc stabit*

Marginalia: Matth. 19. — Homil. in Nativ. S. Benedicti. — 1. Cor. 6. — S. Hieronymus ad Heliod. — S. Greg. hom. 25. — S. Bernardus 1. Epist. — Thom. à Kempis. lib. 1. c. 24. — Sapien. 5.

stabit ad judicandum qui modò se subjicit humiliter judiciis hominum. Tunc magnam fiduciam habebit pauper & humilis, & pavebit undiquè superbus. Tunc videbitur Sapiens in hoc mundo fuisse, qui pro Christo didicit stultus & despectus esse. Tunc placebit omnis tribulatio patienter perpessa, & omnis iniquitas oppilabit os suum. Tunc gaudebit omnis devotus, & moerebit omnis irreligiosus. Tunc plus exultabit caro afflicta, quàm si in deliciis fuisset semper nutrita. Tunc splendebit habitus vilis, & obtenebrescet vestis subtilis. Tunc plus laudabitur pauperrimum domicilium, quàm deauratum palatium Tunc plus juvabit constans patientia, quàm omnis mundi potentia. Tunc ampliùs exaltabitur simplex obedientia, quàm omnis secularis astutia. Tunc plus lætificabit pura & bona Conscientia, quàm docta philosophia. Tunc plus ponderabit contemptus divitiarum, quàm totus thesaurus terrigenarum. Tunc magis consolaberis super devota oratione, quàm super delicata comestione. Tunc potiùs gaudebis de servato silentio, quàm de longa fabulatione. Tunc plus valebunt sancta opera, quàm multa pulchra verba. Tunc plus placebit stricta vita & ardua poenitentia, quàm omnis delectatio terrena. Disce nunc in modico pati, ut tunc à gravioribus valeas liberari.

Psalm. 106.

1. Cor. 4.

3tio. Gloria & Beatitudo in generali judicio apparebit. I. Christi, qui hæc ait: *Et tunc parebit signum* (Crucis) *Filii hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & Majestate.* II. Apparebit Virgo Beatissima coram toto Universo, eo in honore & gloria, quæ decet Matrem DEI, Reginam cæli & terræ. III. Sancti Apostoli, & eorum imitatores assessores tribunalis Christi, judices Orbis futuri: de quibus venerabilis Beda inquit: *Justa prorsus retributio, ut qui hìc pro Christo humanæ gloriam celsitudinis neglexerunt, illic à Christo Judices glorificati singulariter cum eo assideant, qui à sequendis ejus vestigiis nulla ratione poterant avelli.* Deinde qui proximos suos exemplo, doctrinâ, oratione ad cælum juverunt, singularem recipient gloriam. Sicut S. Paulus Apostolus ejus spei erat scribens ad Thessalonicenses: *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut Corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum JESUM Christum estis in adventu ejus? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.* Deniquè quisque justorum eo splendidior, gloriosior, beatior coram tota Universitate Angelorum, Sanctorum, & dæmonum, hominum electorum & repro-

Matth. 24.

Venerabilis Beda homil. in natal. S. Benedicti.

1. Theſſ. 2.

reproborum apparebit quo, hic in mundo fuit ex virtute magis operans, afflictus, despectus in DEI gloriam.

In Praxi ad evitandum severius particulare & generale Judicium DEI, & favorabilius consequendum, hæc media *ex Biblioth. man. P. Lobner tit. Judicium* assumenda sunt.

S. Gregorius homil. 1. in Evang. I. *Timor Judicii.* Nam, teste S. Gregorio, adventum æterni Judicis tantò securiores quandoquè videbimus, quanto nunc districtionem illius timendo prævenimus.)) Quem timorem Judicii sciat fructuosè usurpare, & per eundem se ad perfectionem exstimulare. Qui quidem fructus in duobus præcipuè consistit. *Primò*: Ut non existimet, sibi timorem hunc ideo deponendum, quòd viam purgativam superârit, sed potiùs meminerit doctrinæ, quam *S. Gregorius* hac in parte dedit dicens: *S. Gregorius lib. 24. Dial. c. 7.* Quantò quis Sanctiùs vivit, tantò cautiùs expendit, quàm districtus adveniat æternus Judex. Ita suum ipse terminum quotidie prospicit, & ante severitatem tantæ justitiæ, quas rationes vitæ sit positurus, attendit. *Secundò*: Ut noverit aptè miseri- *S. August. in Psalm. 100.* cordiæ & justitiæ considerationem miscere juxta *S. Augustini* consilium dicentis: Nemo ad impunitatem sibi de misericordia DEI blandiatur, quia est judicium. Et nemo in melius commutatus exhorreat Judicium DEI, quia præcedit misericordia DEI.

II. *Examinis frequens usus.* Sic enim *Siracides* monet, di- *Eccl. 18. v. 29.* cens: Ante Judicium interroga teipsum, & in conspectu DEI *1. Cor. 11. v. 31.* invenies propitiationem. Et confirmans idipsum *S. Paulus* ait: Quodsi nos ipsos dijudicaremus, non utiquè judicaremur. Pec- *S. Augustinus sent. 210.* cata enim, ait *S. Augustinus*, sive parva, sive magna, impunita esse non possunt; quia aut homine pœnitente, aut in judicio DEO puniente plectuntur, cessat autem vindicta Divina, si conversio præcurrat humana, amat enim DEUS confitentibus parcere, & eos, qui semetipsos judicant, non judicare.

S. Gregorius homil. 10. in Evang. III. *Poenitentia seria.* Nam à paradisi gaudiis per oblectamenta discessimus, ad hæc per lamenta revocamur. Unde necesse est, ut semper pavidi, semperquè suspecti, ponamus ante oculos cordis, hinc culpas operis, illinc judicium extremæ districtionis.

IV. Non

IV. *Non judicare alios.* Nam sic ipse Christus suasit: Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Expertus est hujus medii efficaciam Monachus, qui alioqui non admodũ Religiosus, hoc uno tamẽ charitatis actu instructus lætus mortem obiit, omniaquè sua peccata à duobus Juvenibus venustissimis paulò antè à se conspectis deleta dixit. *Luc. 6. v. 17.* *Baron an. 599. v. 20.*

V. *Misericordiæ exercitium.* Beati enim misericordes, quoniàm misericordiam consequentur. Etenim eleemosyna, teste *Chrysostomo*, Christi adstat tribunali, non tantum patrocinans, verùm & ipsi judici persvadens, ut reo patrocinium præstet, & pro eo ferat sententiam. *Matth. 5.* *S. Chrysost. hom. 33. ad pop.*

VI. *Fiducia erga Christum passum.* Sic enim Elzearius expertus est, qui cùm ad ultimam luctam ungeretur, ter repetiit illa verba: Per Crucem & Passionem tuam, libera me Domine: addiditquè; hæc est sola spes mea, in ea emori certum est. *Surius 27. Sept.*

VII. *Amor sincerus B. Virginis.* Nam ideo ipsa ab æterno DEI Mater prælecta est, teste S. Chrysostomo, ut, quem DEUS salvare non potest per suam merissimam justitiam, ipsa per suam pietatem & misericordiam salvaret. *S. Chrysostomus hom in hypap. Domini.*

VIII. *Sanctorum constans veneratio* Hi enim sunt amici, quos conciliare nobis, Christus hortatus est. Sic Andreas nobilis Romanus S. Cæsarii precibus misericordiam in judicio expertus, vitæquè restitutus est. *Surius 4. Dec.*

IX. *Paupertas voluntaria.* De qua sic S. Bernardus: Felix paupertas voluntaria omnia relinquentium, & sequentium Te Domine JESU. Felix planè, quæ tam securos, imò gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, & in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum. *S. Bernardus Serm. 8. in Psalm. 90.*

SUBSECTIO II.

De Carentia Purgatorii ut requisito accidentalis Beatitudinis Justorum.

Soluto per mortem corpore, sine ullo obstaculo & remora triumphantem & gloriosum mox introire Regna Cælorum,

pars felicitatis non exigua eſt. *1mò.* Quia anima tunc clariùs cognoſcens DEUM, ſummo impetu tanquam in ſuum finem & centrum fertur, ſicut ignis ſui juris factus, niſi detineatur à materia prævalente, vel obice interjacente, in alta ad ſuam ſphæram velocisſimè & impetuoſisſimè evolat. Unde ſuum appetitum innatum (qualis eſt in igne) vel elicitum (qualis eſt in libera animæ voluntate) non impediri, ſed ad quietam ſui loci & Boni poſſesſionem promoveri, maximè optabile eſt. *2dò.* Carere horrendo tormento, & cruciatu Purgatorii (de quo alibi) quid hoc boni ſit, intelligit; qui licèt minoribus pœnis in vita præſenti afflictus, eis liberatur, ut lætabundus dicat:

Pſalm. 65. *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* *3tiò.* Summus honor & gloria coram DEO & tota Curia cæleſti, de medio cæni & fœtoris peccatorum mundi hujus egredi, & progredi ſine balneo purgatorii, introire incoinquinatum in illam ſanctam Civitatem Jeruſalem, audire DEUM ſibi dicen-

Cant. 4. tem: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te; veni de Libano, veni, coronaberis.* Non unus Sanctorum purgandus ob aliquos nævos detentus fuit à conſortio Divinitatis, ſuſpenditquè expectationem Curiæ cæleſtis ac triumphum de ſuo adventu. Te verò poſſe recto tramite, hinc inde ut fumus cedentibus monſtris tartareis, ad Creatorem tuum pervenire, equidem plena res gloriæ, felicitatis, tripudii eſt. Unde rectè inquit

Opuſc. de profec. in virt. c. 1. gra. 1. *Lancicius*: Magnum DEI beneficium eſt, in hac vita pro omnibus DEO ſatisfacere peccatis. Hinc cùm Dominus dixiſſet Angelo: *Qualem miſericordiam petis ſponſa mea* (ſcilicet S. Brigittæ)

L. 1. rev. c. 36. *Ille inquit, animæ & corporis: ut quidquid hìc deliquerit, in mundo emendet, & nullum peccatum ejus veniat in judicium tuum. Reſpondit Dominus: Fiat ſecundùm voluntatem tuam.*

In Praxi ad abolendam ex toto, vel ex parte, propriam pœnam purgatorii, hæc media aſſumenda ſunt.

S. Auguſtinus ſent. 210. I. *Dignos fructus poenitentiæ facere.* Unde *S. Auguſtinus.* Ceſſat vindicta Divina, ſi converſio præcurrat humana)) Juſti-

Cantip. lib. 2. cap. 51. p. 2. tia enim DEI non punit bis in idipſum. Legitur de quodam Germaniæ Comite, qui pauperum ſpoliator ex miſericordisſima pietate Divina, gravi infirmitate eſt correptus, & amaris-

ſimè

simè contritus omnia ad restitutionem posuit quæ habebat,& irremediabilibus lachrymis quotidie lectum rigans, Angelos & Sanctos DEI ad impetrandam sibi misericordiam invocabat. Decumbens verò toti corpori suo tantum supplicium ingerebat, ut talos pedum & crura fricaret ad lignum; & cutem & carnem ac neruos violenta assiduitate divelleret, aquam frigidam hyeme tanquam ad bibendum acceptam clàm pectori superfundebat, ut ex hoc glaciali frigore torqueretur. Nec diu post hæc, positus in agonia, tanto Spiritu repletus est, ut sicut Christus de Publicano Evangelistam, ita de isto faceret Prophetam. De seipso enim prædixit, quòd sine purgatorio ad requiem evolaret, & eo mortuo, ac Henrico Rege defuncto tota Thuringia maximis calamitatibus subiaceret; quod ita etiam factum vidimus.

II. *Indulgentiarum lucrandarum studium.* Defectus enim satisfactionis pro pœnis meritis suppletur ex thesauro meritorum Christi, & Sanctorum, per congruam applicationem Indulgentiarum. De qua vide *suprà* sub satisfactione, tertia parte pœnitentiæ.

III. *Cultus Passionis Christi.* Ita quidam Religiosus Priori suo apparens dixit: Domine cum licentia vestra vado. Et ille; quo vadis? Respondit Conversus: Ad DEUM vado, quia mortuus sum hac horâ. Et Prior: Cùm multi perfecti viri transeant per Purgatorium, quid est, quia tu tam absolutè dicis te statim iturum ad DEUM? Ad quod ille respondit: Habebam consvetudinem, ut quoties transirem coram Crucifixo, hanc dicerem Orationem; *Domine per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in Cruce, maximè quando anima tua egressa est* (seu egrediebatur) *de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo.* Et exaudivit orationem meam Dominus, meiquè misertus est. Et dixit Prior: Quomodo fuit tibi morienti? Respondit: Videbatur mihi in agonia, quòd totus mundus esset lapis unus, & premeret pectus meum.

Cæsarius lib. 12. c. 51.

Sequentia media ex Bibl. man. P. Lohner tit. Purgatorium.

IV. *In virtute Profectus.* Sic enim B. V. Godefrido Monacho nuntiari iussit, ut de virtute in virtutem proficeret; sic enim

Lanciz opusc. 6. n. 462.

enim futurum, ut verus Monachus, servusquè suus, & Filii, dici queat; nec permissuram se ut anima illius in Purgatorium veniat, sed ipsam suscepturam & Filio oblaturam.

S. Gregorius lib. 4. Dial. cap. ult. V. *Victoria sui, & abnegatio voluntatis propriæ.* Quod medium S. Gregorius sequentibus verbis præscripsit: Audenter dico, quia salutari hostiâ post mortem non indigebimus, si ante mortem DEO hostia ipsi fuerimus. Et Christus S. Birgittæ dixit: Qui propriam voluntatem relinquit, mihi DEO suo obediens, habebit Cælum sine pœna.

Lib. 5. revel. apud Lanciz. lib. c.

Ibid. VI. *Pura intentio.* Uti Christus S. Mariæ Magdalenæ de Pazz suasit, dum petens, quæ optima esset præparatio ad pœnas purgatorii evadendas; alta voce in raptu dixit: Oportet spoliari totaliter nobis, & vestiri Te, ò Domine mi, oportet ambulare cum pura, munda, & sincera intentione. Hinc illa assiduò inculcabat Monialibus, ut si fieri posset, etiam ictus oculorum, & minimos motus membrorum ad DEI gloriam dirigerent; sic enim rectà ad cælum ituras.

Cantip. l. 2. apum c. 5. VII. *Fervor Spiritus pro majori DEI gloria susceptus:* Uti S. Bernardus indicavit, dum fratrem quendam sedulo laborantem conspicatus dixit illi: Eja, Frater age, quod agis: nullum aliud post hanc vitam Purgatorium sustinebis.

VIII. *Misericordia.* S. Gertrudis cùm vidisset animam, quæ communibus Ecclesiæ suffragiis juvari non poterat ob quoddam impedimentum, petiit à DEO, eam ut doceret, quibus posset obtinere, ut anima cujuslibet defuncti liberetur ab hoc terribili pondere, quod est impedimentum suffragiorum Ecclesiæ. Cui Dominus respondit: per talem effectum amoris, qualem tu in hac hora sensisti, non per orationes. Et sicut hoc nullus homo potest per se habere, nisi ego dederim, sic etiam tale auxilium nulli animæ præstari potest post mortem, nisi quæ speciali gratia hoc promeretur in vita. Scias, tamen, hoc ipsum intolerabile gravamen processu temporis relevari quibuslibet orationibus, sive laboribus Amicorum, fideli intentione peractis. Et ita citiùs vel tardiùs liberantur, secundum quod conatus Fidelium pro eis affectuosiori instat devotione, & secundum etiam quod in vita promeruerunt. Ex qua revela-

revelatione, facilè patet, præ aliis ad evitandas Purgatorii pœnas efficax esse remedium, misericordiam animabus præstitam; hæc enim facit, ut & ipsæ animæ liberatæ pro nobis efficaciter orent, & nos digni efficiamur, similem illi quam exhibuimus, misericordiam experiendi. Denique Christus promisit dicens: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth. 5.*

IX. *Generosorum actuum exercitium.* Ita enim habes suprà sub Remissione injuriarum, quomodo quidam Fratris sui occisori veniam donans amore Christi, ejusdem Fratris sui, & Patris animas liberavit propter hoc ex Purgatorio, & ipse octavo die sanctè mortuus est. *Daurol. c. 2. Catech. hist. tit. 2. 5. ex 12.*

X. Martyrium prorsus immunem à pœna directè ducit in Cælum: de quo suprà vide ibidem.

Alia Praxis juvandi animas è Purgatorio fit specialissimè, per sanctissimum Missæ sacrificium, & sacram Communionem, per applicationem Indulgentiarum (de quibus vide Iacobum Marchantium in Horto Pastor: de spe tract. 5. lect. 5.) per Orationes, Eleemosynas, jejunia, & alia pia opera ac virtutum exercitia defunctis per modum impetrationis vel satisfactionis applicata, ut fert praxis Ecclesiæ. Hinc *mellifluus Doctor* inquit: Surgam ergo in adjutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari; si fortè videat Dominus & judicet, ut laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim & hujusmodi officiis potest eorum pœnitentia resecari, finiri labor, destrui pœna. *S. Bernardus serm. 42. de quinque Negotiationibus.*

SUBSECTIO III.

De Essentiali Beatitudine in Patria.

B*Eatitudo Patriæ essentialiter consistit in clara DEI visione, & amore, consequenter verò & integraliter in gaudio & delectatione de eo æternùm possidendo.* Quoad intuitivam DEI visionem, hæc non erit oculorum corporis, sed oculorum mentis seu intellectûs: quia

quia DEUS non est sensibile, sed intelligibile Objectum. Porro visio ista seu cognitio DEI, oritur tum ab intellectu Beati, tum à Lumine gloriæ, quod definitur esse *qualitas supernaturalis, inhærens permanenter, & elevans intellectum, tum eum complens in ratione speciei DEI impressæ, quæ est virtualis similitudo ac repræsentatio DEI, in ordine ad producendam formalem DEI visionem, necnon, disponens intellectum ad recipiendam eandem visionem.* De hoc

Psalm. 35. lumine gloriæ Psalmista canit. *In lumine tuo* (nempè lumine gloriæ creato) *videbimus* Te DEUM infinitum & incircumscriptum Lumen.

I. Joan. 3. Dicitur in descriptione: *In clara & intuitiva* &c. Unde

I. Cor. 13. Joan. ait: *Videbimus eum sicuti est.* Et Apostolus: *Nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Itaque 1mò videbimus DEUM in ratione objecti, ut summum Verum, & summum Bonum, continens in se formaliter aut eminenter omnes possibiles Perfectiones & Bonitates, cum infinito earum excessu & intensione. Quia nisi talem in modum potest implere & exsatiare capacitatem nostri intellectus & voluntatis.

2dò Videbimus ipsam Sanctissimam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: & quomodo licèt Divinæ Personæ inter se sint realiter distinctæ, cum DEItate tamen sint idem realiter. Quia DEUS Trinus & Unus est primum principium nostrum, ad cujus imaginem facti sumus. Ergo est & ultimus finis noster. Jam verò Beatitudo nostra sita est in consecutione ultimi finis, estquè perfectio magna attingere suum principium, & in illo quiescere.

3tiò Videbimus creaturas in Verbo: id est in Sapientia & Scientia DEI visa, quæ attributa appropriantur Verbo Divino; Sicut Bonitas & Amor Spiritui S. In Verbo itaque videbimus creaturas, quatenus Beatus videt tum ipsam Scientiam DEI quam habet de creaturis, tum ipsum Verbum Divinum, quod est repræsentatio & scientia omnium. Ejusmodi visionem seu cognitionem creaturarum affirmat communis sententia: & D.

Lib. 4. de Gen. ad liter. cap. 21. Augustinus, dum distingvit *Cognitionem creaturarum quam habent beati, in matutinam, & vespertinam*; Prior est, quâ creaturas beati clarè vident in DEO seu in Verbo, posterior, quâ vident eas in

seipsis;

seipsis; quæ cognitio, ex quo est obscurior, vespertina dicitur: Atque ita beati omnia vident perspicacissimè in DEO, quæ crediderunt in via secundùm illud Psalm. *Sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Domini Virtutum.* Item vident ordinem Universi, necnon omnes species rerum existentium, rationesquè & virtutes earum, id asserente D. Thoma hic. Quippe homo quatenus pars Universi appetit naturaliter scire spectantia ad perfectionem Universi. Item: Moderatores Regnorum vident ea quæ ad gubernationem suorum Regnorum specialiter pertinent. Sancti Fundatores Religionum vident ea, quæ in suis Ordinibus fiunt. SS. Tutelares suorum Clientum desideria & orationes cernunt &c. *Ratio* dictorum est, quia horum objectorum cognitio ad statum beatorum connaturaliter pertinet, jam verò connaturale est statui beatifico debere insuper perfectè nôsse ea, quæ illum concernunt: multa autem sunt ejusmodi, quæ vel titulo alicujus connexionis, vel respectu officii quondam in via habiti, vel respectu fidei circa varia objecta elicitæ ad beatum pertinent.

Psalm. 47. *Quæst.* 12. *a.* 1. 8. *ad* 4.

Cæterum tamen non omnia existentia beati vident in DEO. Quia id soli adscribitur Christo, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ DEI.* Et S. Dionysius docet Angelos inferiores à superioribus purgari ab ignorantia. Tum quia Sancti Patres potissimùm Hieronymus & Chrysostomus docent *multa beatos Spiritus didicisse ab Ecclesia, quæ antè ignorabant.* Quare autem inæqualiter beati vident creaturas in DEO, sed alii plures, alii pauciores, inde est, quia concursus DEI determinat intellectum beatorum ad habendam visionem tot & non plurium objectorum. Unde à S. Ambrosio aliisquè Patribus vocatur DEUS *Speculum voluntarium creaturarum*, ad differentiam speculi materialis, quod non liberè sed necessariò videnti repræsentat omnia objecta, quorum species in illo reflectuntur. Et hoc modo quoque beati non vident omnia libera decreta DEI in ipso: quia id pertinet ad perfectionem Naturæ intellectualis & liberæ, non omnia secreta sua posse sciri ab aliis, sed quæ, & quibus, & quando voluerit revelare. *Ejusmodi itaque visio DEI est de essentia Beatitudinis* Quod

Coloss. 2. *Cælest. Hier. c.* 7

Joann. 17. Christus insinuat dicens: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te, so-*
Psalm. 16. *lum DEUM verum, & quem misisti JESUM Christum.* Et Pro-
Nyss. lib. de pheta Regius: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Nyssenus circa
beatitud. in 6. illam promissionem, *Quoniam ipsi DEUM videbunt*, inquit: Promissio tanta est, ut superet extremum terminum beatitudinis, quid enim aliquis potest ejusmodi boni aliud desiderare, cùm habentur in eo, quem videt? Nam videre in usu scripturæ Sa-
Psalm. 127. cræ idem significat, quod habere. Psalm: Ut videam bona Jerusalem: Ergo, inquit, qui DEUM videt, quidquid in bonis numeratur, per hoc, quod videt, adeptus est.)) Porrò Amorem non alium quam amicitiæ, quo diligimus DEUM super omnia propter se, esse de essentia beatitudinis probatur: Quia juxta
Suar. de beatit. Suarez citantem D. Thomam; Actus intensi Charitatis habent
disp. 7. sect. 1 rationem finis, quia ultimus finis hominis sistit in hoc, quòd a-
Psal. 72. nima DEO inhæreat juxta illum Psalmum. *Mihi autem DEO*
Timoth. 1. *adhærere bonum est.* Deinde: *Finis præcepti Charitas.* Et: *DEUS*
Joan. 4. *Charitas est, & qui manet in Charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* Ratio autem est, quia si visio seu scientia DEI est de ratione beatitudinis, multò magis id verum est de amore: sicut Seraphim ardentes seu incendentes amore, sunt proximiores DEO, & altiores Cherubim, qui plenitudo scientiæ vocantur. Hæc autem visio & amor DEI beatificus dicitur aliàs comprehensio ut
1 Cor. 9. Apostolus ait: *Sic currite, ut comprehendatis.* Unde & *Comprehensores* Beati in Patria appellantur. Est enim hæc comprehensio, non quòd Beatus ita DEUM per visionem comprehendat, ut v. g. etiam omnes ejus actus liberos, vel omnes respectus Sapientiæ & Omnipotentiæ Divinæ ad possibiles creaturas videat, vel ita DEUM clarè cernat, uti DEUS seipsum cernit & comprehendit: sed quòd DEUM in se simpliciter intueatur, ut est. Perfectè enim absolutum cernitur, licèt non videantur suæ relationes. Voluntas autem dicitur comprehendere DEUM, quatenus eum in re præsentem per amorem unitum tenet, ad quem quasi absentem per spem tendebat.

10. Ethic. cap. 7. Dicitur *Beatitudinem consequenter & integraliter statui in gaudio & delectatione* Quia ut Aristoteles inquit: *Arbitramur vo-*
Suarez de bea- *luptatem felicitati admixtam esse oportere.* Quæ voluptas seu dele-
tit. disp. 7. ctatio & gaudium consequitur visionem DEI & amorem, seu
sect. 1. resul-

resultat ex ipsis tanquam eorum proprietas. Operationes enim videndi & amandi DEUM sunt in natura sua jucundissimæ. De hoc beatifico gaudio illud accipe, quod Christus suis promisit servis: *Euge serve bone & fidelis &c. intra in gaudium Domini tui.* Et Psalmista inquit: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hæc autem delectatio & perfectum gaudium de DEO vocatur aliàs *Fruitio DEI.* De qua Christus: *Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Quod beatificum gaudium, præter illud gaudium & voluptatem resultantem ex visione & amore DEI, ut immediatè insinuavimus, aliud est procedens ex amore amicitiæ, estquè ipse actus amicitiæ, quo beatus gaudet de bonis DEI, ut in Apocal. legimus: *Quoniam regnavit Dominus DEUS noster omnipotens, gaudeamus & exultemus.* Aliud gaudium est concupiscentiæ, quo proprium bonum amatur. De quo Psalm: insinuatur. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem.*

Matth. 25.
Psalm. 35.
Suarez Ibidem sect. 3.
Joan. 15.
Suarez de beatit. disp. 9. sect. 3. & disp. 7. sect. 1.
Apoc. 19.
Psalm. 15.

Porrò alia essentialis proprietas seu conditio potissima beatitudinis est, *ut duret perpetùo*; quia de ratione beatitudinis est plenè exsatiare appetitum, quod non fit nisi tollatur timor, & eum consequens tristitia de amissione illius. S. enim *Thomas* ait naturaliter hominem desiderare semper bonum retinere quod habet; quæst. 5 art. 4. De quibus omnibus audi Seraphicum Doctorem, qui ait. *Quamvis revera inæstimabile sit illud gaudium & ineffabile, æstimo tamen quòd de tribus proveniat, & triplex gaudium illos beatos Spiritus lætificat & delectat. Gaudent enim delectabiliter in perfecta & clarissima Divinæ claritatis contemplatione; gaudent dulciter in melliflua, & suavissima Divinæ bonitatis degustatione: gaudent sempiternaliter in tranquilla & securissima Divinæ Majestatis tentione: scis enim ô anima, quòd tribus viribus naturalibus præemines in tua substantia? habes enim vim rationalem, quæ non perfectè illuminatur, nisi per summæ Veritatis apertam cognitionem; & vim concupiscibilem, quæ non satiatur, nisi per summæ Bonitatis perfectam dilectionem; vim quoque irascibilem, quæ non quietatur, nisi per æternæ Majestatis securam comprehensionem* Et B Justinianus inquit: *Quæ autem mens non ferveat desiderio, non elongveat charitate, non repleatur exultatione, si recogitet diligenter delicias perparadisi*

D. Bonaven. in soliloq. c. 4.
B. Laurent. Justin lib. de discipl. & perf. mon.

paradisi, si humani spiritus futuram gloriam assiduè meditetur? Magna quippe est & immensa, atque Angelorum beatitudini per omnia coæquanda. Divinis namque splendoribus & perpetua claritate fulgebit rationalis potentia. Incomprehensibili lumine, veritate perspicua, serenitate lucidissima, & jucunda visione, illustrabitur. Nam foecunda DEI Verbo, & clara ei inhærens visione, inscrutabilia secretorum DEI judicia, & ineffabilia sapientiæ ipsius arcana, vero percipiet cognitionis intuitu. Videbit DEUM in seipso, videbit se in DEO, & DEUM in se, videbit in creaturis, & creaturas in DEO, sicquè ineffabili luce decorabitur. Lumine nempè gloriæ circumfusa, æternum ab æterno æternaliter Genitum contuebitur, atque meridiano splendore illustrata sine differente vel obnubilante medio DEI essentiam contemplabitur. Videbit DEUM sicuti est, tantò perspicatiùs, quantò ardentiùs eum in præsenti vita dilexit. Ibidem: *Concupiscibilis quoque potentia, & ipsa plenissima atquè perfecta abundabit Charitate. Tota etenim in DEUM tendens, tota DEO plena, DEUM ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus diliget; suprà quàm dici potest, exuberabit gaudio præ multitudine amoris. Per Charitatis quippe excessum, & sobriam ebrietatem extra se rapietur: ac supra se evecta, & in DEUM posita, atque DEO unita, non aliunde quàm de DEI gloria, de ipsius bonitate, immensitate, æternitate, virtute, & sapientia beata erit.*

Ibidem.

Hujus perennis visionis, gaudii DEIfici præcipuus effectus erit *Laudare DEUM.* Hinc B. Justinianus ait: *In DEI clara visione absorpti, præ admiratione, præ satietate, præ gaudio, præ delectatione, præ amoris ardore Divina præconia laudesquè ipsius DEI omnino tacere nequibunt in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Inhærendo etenim DEO, & cum ipso unum effecti, nîl aliud quàm DEUM laudare valebunt.* Porrò quanta, quàm indicibilis sit hæc Beatitudo essentialis Patriæ conjicere licet ex dictis suprà de Contemplatione, & Amore, Gaudio, Pace.

Ibidem.

§ 2dus.

De Accidentali Beatitudine in Patria.

QUòd detur, affirmat Suarez dicens: *Est certum præter Essentialem beatitudinem esse in animabus beatis aliqua accidentaria præmia,*

Suarez de beat. disp. 11. sect. 2. n. 4.

præmia, quæ nomine beatitudinis accidentalis significari solent. Sic omnes Theologi, & habent fundamentum in scriptura sacra: nam Luc. 15. dicitur. *Ita gaudium erit in cælo super uno peccatore.* Et infrà. *Gaudium erit coram* Angelis DEI; *ubi sine dubio est sermo de novo gaudio, & extra visionem beatam: de quo intelligi potest illud* Psalm. 149. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exultationes* DEI *in gutture eorum. Facit etiam illud* Sap. 3. *Fulgebunt justi &c. his enim verbis significantur perfectiones & honores distincti à visione beata.* Deniquè *de hujusmodi accidentali præmio communiter intelliguntur verba Christi* Matth. 19. *Vos qui reliquistis omnia &c. sedebitis super sedes judicantes &c.* Ratione *declarari potest: Quia nulla est essentia creata, quæ non indigeat aliquo accidenti ad complementum suæ perfectionis: formalis autem beatitudo essentialis creatum quid est, & formaliter non continet omnem perfectionem beati: Ergo &c.* Quid autem sit hæc beatitudo accidentalis, idem respondet *Author* inquiens: *Propriè & generaliter loquendo, beatitudo accidentalis est quælibet perfectio Beati, quæ versatur extra objectum beatificum, quod est DEUS, prout beatificum est, id est, prout est clarè visus: loquor autem de perfectione supernaturali.* Cujus rationem dat ibidem num. 9. *Quia sicut in aliis rebus præter proprietates omnino extrinsecas, quæ consequuntur specificam rationem essentialem, sunt quædam accidentia intrinseca, quæ reperiuntur in omnibus individuis cum aliqua varietate pro diversitate illorum: alia verò sunt accidentia magis extrinseca, & contingentia: ita in beatitudine præter essentiam beatitudinis & gaudium beatificum sunt multæ perfectiones, accidentales quidem: tamen ita intrinsecæ, ut vel ex natura rei, vel ex lege* DEI *consentanea ipsis rebus, semper sint conjunctæ cum essentiali beatitudine: ut sunt perfectiones intellectuales, & gaudia de bonis creatis. Et ad hunc ordinem spectant quædam bona extrinseca; ut est mutua amicitia & familiaritas justorum, honor mutuus, qui ab aliis exhibetur, habitatio in tali loco. Et huc pertinent etiam omnes perfectiones corporis: quæ omnia dicimus radicaliter contineri in essentiali beatitudine. Aliæ verò sunt perfectiones singulares, datæ ex speciali* DEI *providentia, ut sunt aureolæ, cujusmodi esse possunt aliquæ extraordinariæ revelationes, & gaudia, quæ illas concomitantur, quæ aut ex speciali privilegio, vel officio, aut statu, aut certè ex* DEI *liberalitate conceduntur.* De cujus multiplicis

Suarez de beat. disp. 1. sect. 2.

plicis accidentalis beatitudinis potioribus aliquantum fusiùs sequentibus differere libuit.

De Beatitudine seu Dotibus Corporis gloriosi.

Matth. 13 PRima Dos, erit *Claritas*. Quare *Christus*: Tunc justi fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum.

Apoc. 21. *2da Dos, Impassibilitas*. Hinc *Apoc.* promittitur. Et absterget DEUS omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. *Et Ecclesia canit*: Sanctorum sicut Aquilæ juventus renovabitur; florebunt sicut lilium in Civitate Domini.

3tia Dos, Agilitas. Quam ad humanum sensum scriptura exprimit comparatione facta ad velocitatem aquilarum & cer-

Isai. 40. vorum unde *Isaias*: Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non la-

Habac. 3. borabunt; ambulabunt & non deficient. Et *Habacuc*: DEUS Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum, & super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem.

1. Cor. 15. *4ta Dos, Subtilitas*. Quam sicut & alias dotes insinuat *Apostolus*: Seminatur (corpus) in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.)) Ut spiritûs instar ubiquè penetret etiam crassissima obstacula, tanquam radius solaris vitrum.

B. Laur Just. l. de discipl. & perfecti. Monast. Confirmantur dicta de dotibus Corporis à B. Laurentio Justiniano qui sic ait: *Caro humana in cælestem provehenda gloriam, semper hilaris, jucunda erit: quia erit de æternitate secura. Nimia quoque claritate fulgebit, ita ut solis septies transcendat splendorem. Non autem lumine suo intuentium se reverberabit aspectum, sed eum ineffabili quodam modo confortabit, clarificabitquè. Erit tota ejus substantia corporis oculis visibilis: adeò ut viscerum cæterorumquè membrorum harmonia Conditoris declaret magisterium admirandum. Tanta insuper agilitate erit prædita, ut in momento in omnibus obtemperet imperio spiritus præsidentis; absque retardatione, & sine ulla gravedine eò se divertet, quò impetus spiritûs diriget ipsam. Deniquè cum in hac*

vitâ degit & peregrinatur à Domino, animalis naturæ est: post verò resurrectionis gloriam tota spiritualis efficietur, ita ut omne solidum ei fit pervium. Non Claustris teneri poterit inclusa, non vinculis religata, non restricta custodibus: sed liberam ingrediendi & egrediendi ubique recipiet facultatem. Nunc quoque quum sit passibilis, & variis ægritudinibus, diversis casibus subiecta videatur, in tantum ut non prætereat temporis momentum, in quo propria non flagelletur necessitate, vel fragilitate: tunc certè omni fatigatione semota, incorruptibilitate vestietur. Tunc quodam ineffabili, repleta gaudio cantabit. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors stimulus tuus? Gloriâ quippe & honore, & immortalitate, & æternitate circumamicta, suo inhærebit Authori. Sine deformitate, sine læsione & absque macula resurget in mensura ætatis plenitudinis Christi, reformataquè per omnes suos sensus, multimodis exuberabit deliciis.

De Beatitudine quinque ſenſuum Corporis.

BEatitudo oculorum provenit 1mò ex visione immensæ vastitatis & pulchritudinis Regni cælorum. Cujus magnitudinem admirans Propheta exclamat: *O Israel! quàm magna est domus DEI, & ingens locus possessionis ejus? Magnus est & non habet finem, excelsus & immensus.* Cælum Empyreum distat à terra mille septingentis nonaginta myriadibus, nongentis viginti quinque millibus, & quingentis milliariis. Nam juxta Clavium Cælum Lunæ distat 120630. milliariis; Cælum Solis 4013923. Firmamentum autem 161884945. Unde si lapis molaris è firmamento decideret, cadendo consumeret 1500. annos solares: Licet quotidie cadendo conficeret 32780. milliaria: & singulis horis 1300. Magnitudo vero hujus Cæli est prope immensa, cùm minima stella magnitudine terram decies octies superare dicatur. Venustas autem hujus Divini habitaculi utcunquè adumbratur in Apocalypsi, ubi S. Joannes inquit: *Et ostendit mihi Civitatem Sanctam Jerusalem &c: habentem claritatem DEI, & lumen ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidi sicut crystallum. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim, & in portis Angelos duodecim &c. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide: ipsa verò Civitas*

Baruch. cap. 3.

Clavius in sphæra Joannis de sacro bosco c. 1.

Apoc. 21.

vitas aurum mundum simile vitro mundo. Et fundamenta muri Civitatis omni lapide precioso ornata &c. Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis, & platea Civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum. Et Tobias canit: *Jerusalem Civitas DEI &c. Luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te.* Unde Psalmista: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

Tob. 13. *Psalm. 30.*

2dò. Beatificantur oculi ex contemplatione ordinatissimæ dispositionis Curiæ cælestis in suas Hierarchias, & Ordines, distinctæ; ut aliqua similitudine ductâ, & tu cum Balaam cernente castra Israelitarum exclamare de ordinatione illarum beatarum mansionum possis. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël, ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.*

Num. 24.

3tiò. Si beati oculi dicebantur, qui viderunt Christum etsi in carne passibili: imò in Transfiguratione Christi, licèt vix particula quæpiam gloriæ ejus apparuerit, tamen montem Thabor ferè in Empyreum Cælum mutatum essePetrus existimavit. Et quid erit videre Christum speciosum præ filiis hominum, candidum & rubicundum, electum ex millibus, Regem in decore suo, amictum lumine sicut vestimento, sed lumine excedente in summum, omnem simul pulchritudinem & lucem omnium simul Beatorum? Quisnam erit aspectus ille jucundissimus, cernere DEIparam Reginam à dextris Christi in vestitu deaurato, circumdatam varietate, sub cujus pedibus luna, corona capitis ejus stellarum duodecim, amictam sole tot vicibus lucidiori, quot animæ electorum? Quid erit videre turbam magnam Beatorum, quam dinumerare nemo potest, ex omnibus gentibus, tribubus, & linguis, stantes ante Thronum DEI, & in conspectu Agni, amictos stolis albis, & palmæ in manibus eorum, fulgentes singulos ad minimum sicut sol in Regno Patris eorum, cum illorum plures multò sole lucidiores sint in gloria compariturí? Quàm dulce est oculis videre vitæ hujus lumen & quanta voluptas erit videre confortatis Divinitus oculis tam immensum lumen?

4tò

4*tò.* Cernere sibi exhibitos honores &c. & quidem dignos tanto honoratore DEO, ac Sanctis ejus, & audire: Sic honorabitur; quemcunque Rex voluerit honorare? quantum inde futurum est gaudium? Nec invidia de majori vel minori gloria & honore inter Cælites orietur: Quia ut B. Justinianus loquitur: *Præ nimio Charitatis ardore communem omnium proprium, singularem existimabunt honorem.* Deniquè videre sibi amantissimos omnes Cæli cives, & potissimùm familiaritate frui Christi Domini, Beatissimæ Virginis, prorsus est ineffabile gaudium. Ut proinde meritò dicturus sit: *Sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Domini Virtutum; in Civitate DEI nostri.* — *Lib. de disc. & perfect. monast.* — *Psalm.* 47.

Hanc Felicitatem oculorum, sicut & aliorum sensuum describit Laurentius Justinianus dicens: *Delectabitur oculus in amabili Redemptoris aspectu: quando videbit Regem in decore suo gloriâ ornatum, ac diademate redimitum, quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis illius; quando Cælum mirabiliter solis, lunæ, stellarumquè splendore rutilans intuebitur. Harmonia cælorum, melodica Cantica Civium supernorum non mediocriter mulcebunt auditum. Super muros namque Jerusalem custodes constituti sunt, qui die noctuquè nomen Domini laudare non cessant. Sed, & per vicos, & plateas illius, à cunctis infatigabiliter Alleluja cantatur. Fragrans quoquè suavitas cælestium odoramentorum mira liquefactione resperget odoratum. Hos prælibaverat (tenuiter tamen) qui dicebat: Odor tuus ô Domine, excitavit in me concupiscentias æternas. Indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium, melliflua quadam, & iucunda satietate, oris fagi...bit palatum. Nec mirum: Nam exultationes DEI in gutture eorum erunt, & misericordias Domini in æternum Sancti cantabunt. Ipse demum tactus sibi congruis abundabit deliciis. Fas etenim non est, ut in illa Cælorum gloria quicquam vacet à DEI laude: quin potiùs iustum, ut cuncta corporis membra suum modo proprio efferant Conditorem, quatenus sicut ab ipso sumpsère principium, ita & in illo deducant suæ beatitudinis finem, ut sit DEUS omnia in omnibus.* — *B. Laurent. Just. lib. de disc. & perfect. monast.*

De Beatitudine accidentali Aureolarum.

S*Varez* de Aureolis hæc docet: *imò* Beatitudinis præmium solet in scriptura sacra Coronæ nomine significari 1. ad Corinth. — *De beatit. disp.* 11. *sect.* 3.

Corinth. 9. & 4. Iacob 1. 1. Petri 6. nam Corona est signum victoriæ, & dignitatis regiæ: Beati autem, & cum Christo regnant, & de inimicis ejus victoriam reportârunt: illa autem Corona, quantùm ad essentiale præmium spectat, aurea dicitur, Apoc. 4. & 19. propter ejus eximiam perfectionem, & excellentiam: atque hinc quoddam accidentale præmium aliquorum Beatorum Corona aureola dicitur ab omnibus scholasticis in 4. d. 49. qui hanc vocem sumpserunt ex glossa super 25. Exodi, ubi fit mentio coronæ aureolæ, quæ in mensa templi præcipiebatur supponi coronæ aureæ, quam per anagogem accommodat beatis, & sumpsit ex Beda 1. de Tabernac: cap. 6. De quibus legatur D. Thom. d. 49. quæst. 5. quem transcripsit Sot. quæstion 5. & Richard. late articul. 5. per totum, supplem.

2dò. Conveniunt omnes has Aureolas esse tres, Martyrum, Virginum, & Doctorum: quas inprimis sumunt ex scriptura sacra. Nam de aureolis Virginum intelligunt Beda, & alii illud Apocal. 14. *Cantabant Canticum novum, & nemo poterat dicere Canticum &c.* Ubi specialis prærogativa Virginibus tribuitur: de quibus etiam dicitur, quòd *sequuntur Agnum quocunque ierit*; & quòd habent *nomen Agni, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.* De Martyribus intelligunt illud Apoc. 7. *Amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*: & subditur: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione &c.* Etsi probabile sit, ibi sermonem esse de omnibus Beatis: lege Franciscum Ribeyram circa utrumquè locum: significatur etiam aureola Martyrum illis verbis Christi Matth. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus &c.* De Doctoribus est expressus locus Daniel. 11. *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates*: quem sic intelligit Hieronym. & latè Perera lib. 15. in Danielem: facit etiam illud Matth. 5. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur.* Rationem reddit D. Thomas: quia corona respondet victoriæ, & ideo tribus insignioribus victoriis tres respondent aureolæ Coronæ: tres enim sunt præcipui hostes Christi, Mundus, de quo triumphant Martyres: Caro, de qua Virgines: dæmon, contra quem Doctores, & contra ejus insidias gregem

Christi

Christi tuentur, & ideo his tribus vincendi ordinibus tres aureolæ respondent. *Et paulò infrà Suarez*: Etsi plures aureolas dari in uno sensu sit verum, quatenùs aureola significare potest quamcunquè accidentalem perfectionem additam Coronæ aureæ: tamen specialiter accommodatum esse volunt illud nomen ad significanda propria præmia, quæ respondent tribus illis insignioribus victoriis. Quia verò hoc gaudium non tam videtur esse speciale præmium, quàm quid consequens ex natura rei ad essentiam beatitudinis, & ad rectitudinem voluntatis Beatorum, ideo addendum videtur præter illud gaudium, quod per se sequitur ex his principiis, conferri à DEO his Sanctis aliquos speciales honores propter dictos speciales titulos, ut veri simile est conferri Doctoribus majorem aliquam Divinarum rerum intelligentiam, & Virginibus significatur dicto loco Apoc: dari specialis conjunctio cum Christo, seu quod specialiter deputatæ sunt ad laudes ejus canendas, & de Martyribus similiter. Tamen in hoc sensu etiam objicitur, quia etiam Apostolis, vel Pauperibus voluntariis videtur promissus specialis honor, habent ergo etiam aureolam, sunt ergo plures: Et fortè idem est de aliis Sanctis habentibus speciales dignitates. Ad quod dicendum ex D. Thom. non esse inconveniens aliis etiam dari specialia præmia, tamen illa tria in hoc genere esse potissima, & ideo singulariter numerari.

SECTIO IX.

De Oppositis Beatitudinis Patriæ.

HÆc Opposita sunt alia Accidentalis Beatitudinis alia Essentialis: Accidentali, (quæ scilicet præcedit Essentialem) opponitur severius judicium particulare, cui adjungo propter similitudinem materiæ & universale. Item opponitur Pœna Purgatorii. Essentiali beatitudini, & eam comitanti Accidentali opponitur Pœna inferni. De quibus agendum in sequentibus.

SUBSECTIO I.

De Pœna ſeverioris Judicii particularis & generalis peccatorum, quatenus oppoſiti judicio ſpectanti ad accidentalem Beatitudinem Juſtorum.

MOtiva evadendi tremendum Judicium DEI particulare & generale ex ſequentibus eruuntur. *Quoad Judicium particulare.* Hoc ſeverum ſubibunt illi, qui in gratia DEI quidem obierunt, ſed negligentiis & defectibus variis obnoxii. Deinde id ipſum ſeveriſſimum experientur damnandi in gehennam. Itaquè præcavendi ejusmodi judicium ſit motivum *1mum.* Quanta pœna & ignominia erit peccatrici animæ inſtar fœdisſimi peccatis, & horribilisſimi monſtri, aliàs ex natura ſua nobilisſimam creaturam ac generoſisſimam, ab infernalibus illis beſtiis, cum irriſionibus & exprobrationibus pertrahi anteTribunal iratiDEI, in conſpectu tot millium Angelorum & Sanctorum! & revelari ac proponi omnes ejus nequitias, & obſcœnitates, tantò execrabiliores tunc apparituras, quantò proximiores ad puritatem illius immenſæ Lucis! Equidem gravior eſt hæc futura pœna, quàm atrocisſimi cruciatus inferni. Unde mallet millies talis anima mox è corpore in profundum gehennæ præcipitari, quàm in illo Judicio tam probroſa apparere. Colligere id licet ex dedecore omni morte graviori, quo aliqua nobilisſima perſona ſqualentibus & ſordidis veſtibus induta, data in manus carnificis & ſuorum ſatellitum, præſentaretur coram Rege & Senatoribus, in apparentia multa ſuorum Conſangvineorum, & Nobilium, innumeræquè multitudinis populorum. O quantum hoc tormentum! qui id penetrat, intelligit quæ dico.

2dum. Chriſtum Judicem ſuam ingratitudinem exprobrantem audire; Angelos & Sanctos contra ſua ſcelera videre nimis indignari; deniquè ultimam ſententiam intonantem; Eas maledicte in ignem æternum, percipere: heu! heu! heu! quàm intolerabilia hæc mala! O quàm eſſet ſibi optabilius rectà cadere in infernum, quàm adeo probroſum & omni indi-

gnatione

gnatione plenum illuc transire! Unde *Job* quanquam Justus formidans Judicis æterni iram ait: Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me donec pertranseat furor tuus? Porrò de Judicio particulari malorum hæc accipe. Eccl. dicitur: *Lætare ergo Juvenis in adolescentia, & in bono sit cor tuum in diebus Juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito quòd pro omnibus his adducet te DEUS in judicium.* Malach. *Accedam ad vos in Judicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, & humiliant viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum; nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* Jacobus Apost. *Ecce Judex ante januam assistit.* Apoc: *Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua* (id est gratiæ & virtutum) *nè nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* S. Gregorius. *Sic DEUS vias nostras considerat, & gressus dinumerat, ut nè minimæ quidem cogitationes ac verba minutissima, quæ apud nos usu viguerunt, ejus judicio indiscussa remaneant.* Idem. *Quid faciet de injustis iudiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit, & qui cuiquè merita sua recitabit?*

Job. 14. *Eccl.* 11. *Malach.* 3. *Jacob.* 5. *Apoc.* 16. S. *Gregor. lib.* 21. *Moral.* *Idem in Epist.*

Quòd concernit Judicium universale reproborum, illud evadendi hæc Motiva sunt.

PRimum. Enoch citatus à S. Iuda Apostolo inquit: *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere Judicium contra omnes, & arguere omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt.* Apocalyp. *Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ* Ioel. *Ante faciem ejus ignis vorans, & post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis coram eo, & post eum solitudo deserti: neque est qui effugiat eum.* Ibidem. *Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt lumen suum.* Ibidem. *Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum?* Sophonias: *Iuxta est dies Domini magnus, juxta est, velox nimis: Vox diei Domini amara, turpiter ejulabit ibi fortis, dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super Civitates*

S. Judas in Epist. *Apoc.* 1. *Joel.* 3. *Ibid.* *Ibid.* *Soph.* 1.

Malach. 4. *tates munitas, & super turres excelsas.* Malach. *Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi & facientes impietatem quasi stipula. Et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, adeo ut non relinquatur eis radix neque ramus.* Petrus. *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo Cæli magno impetu transient, elementa verò calore solventur; terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Cùm hæc igitur omnia dissolvenda sunt, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus, exspectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem Cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent?* Isaias. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravis ad portandum? labia ejus repleta sunt indignatione, & lingua ejus, quasi ignis devorans. Spiritus ejus, velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes.* Petrus: *Etsi justus quidem vix salvabitur, impius & peccator ubi comparebunt?* Eccl: *Et impiis & peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in die vindictæ.* Quæ vindicta nisi illa quam Judex æternus ultimo decreto vibrabit in omnes impios? Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Et tunc dehiscens terra absorbebit in abyssum infernalem æternùm cruciandos omnes homines & dæmones nunquam inde ampliùs egressuros.

2. Pet. 3. *Isa. 30.* *1. Pet. 4.* *Eccl. 12.* *Matth. 25.*

S. Hieronymus super Matth. 2dum. S. Hieronymus: *Sive comedam, sive bibam, sive aliquid aliud faciam, semper vox illa videtur sonare in auribus meis: Surgite mortui, & venite ad Judicium. Quoties diem Judicii cogito, totus corde & corpore contremisco. Si qua præsentis vitæ est lætitia, ita agenda est, ut nunquam amaritudo futuri iudicii recedat à memoria. Non est nostrum nôsse tempora, id est, non expedit nobis diem judicii nôsse: sed semper incerti de adventu Judicis, sic quotidie vivamus, quasi die altera judicandi simus. In die judicii Sol & Luna obscurabuntur, non diminutione luminis, sed comparatione veri luminis. Alioquin legimus solem habiturum septuplum luminis sed comparatione veræ lucis omnia tenebrosa erunt.* Joann. Chrys: *Verè vox magna, vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, portas æreas frangit, vincula mortuorum dirumpit, & de profundo abyssi animas liberatas corporibus suis assignat. Hæc autem omnia citiùs consummat in opere quàm sagitta transit in aëre, dicente Apostolo: In momento, in ictu*

S. Joan. Chrys. super 1. ad Cor. 15.

sæculi. Idem: *In illo die nihil est quod respondeamus, ubi cælum & terra, aër & aqua, & totus mundus stabit adversus nos in testimonium peccatorum nostrorum, & si omnia taceant, ipsæ cogitationes nostræ, & ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros, nos ante DEUM accusantes.* S. Anselmus: *A dextris erunt peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper Judex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens. Ibi vix Justus salvabitur. Heu miser peccator! sic deprehensus quo fugies? latere enim erit impossibile, apparere intolerabile.*

Idem super Matth.

S. Ansel. de similitud. mund.

Praxim evadendi severius Judicium DEI vide suprà de judicio Bonorum. Actus & Affectus Timoris DEI & aliarum Virtutum ex occasione & motivo terribilis judicii DEI habes suprà sub meditatione in parte 1. 2. tra. 1. Theol. spirit.

SUBSECTIO II.

De Pœna Purgatorii opposita ejus Carentiæ, requisitæ ad Beatitudinem accidentalem Justorum.

IN hac Materia egregium & sufficientem porrigo discursum ex *Lessio* qui ait: Cernitur Divinæ justitiæ severitas in pœnis purgatoriis, quibus post hanc vitam pro suis peccatis, etiam quoad culpam & pœnam æternam condonatis, animæ justorum castigantur; nisi fortè antea per lachrymas & opera pœnitentiæ DEO plenè satisfecerint. Verùm paucorum est ea puritas. Itaquè mox ut à corpore sunt egressæ, rapiuntur sub terram, longissimo tractu viarum, per loca tetra & tenebrosa ad pœnalem specum igne sulphureo æstuantem, animarum rearum carcerem & ergastulum. Hìc miris exercentur pœnis, & luunt præteritæ vitæ delicias, millecuplo ampliùs dolorum & amaritudinis sustinentes, quàm ex rebus hujus seculi voluptatis, ac dulcedinis unquam perceperunt. Sunt enim illius ignis tormenta omnibus illis quæ homo mortalis in hac vita sustinere potest graviora, & sæpè ad multos annos producuntur.

Lessius de moribus & perfect. Divin. de just. DEI c. 17.

De

De gravitate testatur S. Augustinus in Psalm. 37. v. 1. *In hac vita purges me & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non sit opus.* Et infrà: *Dicitur enim, ipse salvus erit; sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur salvus erit, contemnitur ille ignis: ita planè quamvis salvus per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.* Idem penè iisdem verbis docet Ruffinus. In eundem Psalmum. S. Gregorius versiculum illum primum Psalm 37. (qui est tertius inter pœnitentiales) explicans, sic ait: *Quasi dicat: scio futurum esse, ut post hujus vitæ exitum alii flammis expientur purgatoriis, alii sententiam subeant æternæ damnationis: sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem: non solùm in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari.* Beda in eundem Versicul: *Nec immeritò tantùm timet hanc correptionem* (purgatorii ignis) *quia attendit eam esse graviorem, quàm quidquid unquam passi sunt latrones, vel Sancti Martyres.* Eucherius Lugdunensis Hom. 3. de Epiphania & passim Patres Latini, qui veros & acerrimos ignes ibi ponunt.

De diuturnitate dubitandum non est, plurimos ibi ad multos annos detineri; cùm anniversaria defunctorum in Ecclesia institui perpetua videamus, & sacrificia quotidie offerri pro iis qui ante aliquot secula defuncti. Legimus etiam in probatis revelationibus, quosdam usque ad diem Judicii ibidem detinendos: quod sanè admodum horrendum est. Omnium pœnarum quas humana natura experiri hactenus potuit, gravissima est pœna ignis. Verùm non potest in hac vita esse diuturna; statim enim dissoluit corporis temperamentum, & harmoniam qualitatum, vitæ conservandæ necessariam; quo facto, anima tanquam vinculis soluta evolat, & corpus manet absque dolore & omni sensu. Post hanc vitam poterit esse diuturna, & etiam sempiterna, tam in anima separata, quàm corpori vincta. Cùm enim ipsa anima non possit mori, utpote simplex spiritus per se subsistens, nec amittere sensus sui vigorem & vivacitatem; potest quantumvis magnam pœnam, & quantumvis longo tempore sustinere.

Tormentum ignis in hac vita tantos adfert dolores, ut

etiamsi ad brevissimum tempus, ad horæ quadrantem duret, summam apud omnes excitet commiserationem, quamvis qui illud patiuntur, suis sceleribus commeriti sint, ùt videmus, cùm tales publicè in foro tota Civitate spectante comburuntur. Quidsi ergo duraret hoc supplicium aliquot horas, vel diem integrum, quidsi mensem, vel annum ? quidsi decem vel centum annos, DEO animam in corpore retinente, nec permittente corpus dissolvi ? Non est dubium, quin tale spectaculum toti orbi incuteret horrorem, & omnes ad commiserationem commoveret: nec quisquam facilè reperiretur, qui auderet aliquid comittere, propter quod vidisset & sciret tanto tempore pœnam ignis sustinendam. At post hanc vitam non solùm erit diuturnior, sed etiam in plurimis longè acrior & vehementior, quàm possit esse in corpore mortali. Potest enim Divinâ potentiâ augeri in duplum, & quadruplum, in decuplum, in centuplum, & sic deinceps sine termino, pro gravitate vel multitudine delictorum, quorum pœnæ restant luendæ. Quæ consideratio ingentem omnibus terrorem incuteret, si altè in mentem demitteretur. Si enim simplex ignis dolor intolerabilis est, quantò intolerabilior erit, si in decuplum vel centuplum actus fuerit ? Denique tempus breve in gravissimis doloribus videtur esse longissimum. Testis ille miles, qui cùm horam tantùm unicam fuisset in Purgatorio, putavit se ibi fuisse annos plurimos: de quo S. Antoninus 4. parte titul. 14. cap. 10 § 4.

His accedit, quòd tormenta in hac vita si continuentur, paulatim mitescant, minùs sentiantur. Primo aggressu sentiuntur maximè & dolor est vehementissimus, sed paulòpòst incipiunt dissipari spiritus animales (qui necessarii sunt ut anima in corpore sentiat) & temperamentum corporis dissolvi : atque ita dolor minùs sentitur. In altera vita non mitescunt continuatione, nec doloris sensus ulla ex parte minuitur, quia anima nuda non eget spirituum ope ut sentiat dolores, sed ipsa per se immediatè omnem vim tormentorum excipit, DEO singulari modo cum ipsis causis concurrente.

Itaquè triplici ex capite ibi dolores sunt longè majores quàm in hac vita, nimirum ratione *durationis*, ratione *acrimoniæ*,

seu *intensionis*, & ratione *perseverantiæ* in eodem statu, seu æqualis perceptionis ipsius animæ. Quare meritò dicunt Sancti Patres, tormenta illa esse graviora quàm ea, quæ vel latrones vel Martyres passi sunt, vel quisquam mortalium in hac vita pati queat.

Quanta ergo est illa DEI severitas, quâ in suos amicos, in suos filios, & Regni sui heredes ita sævit, in loca teterrima illos procul à suo conspectu ablegans, & tanto tempore tantis cruciatibus subjiciens? Quis unquam ita suos tractavit hostes? quis inimici sui etiam juratissimi non moveatur misericordiâ, si eum vel ad quadrantem horæ in medio ignis colligatum tenuerit, flammis undiquè corpus ejus usque ad viscera depascentibus? sed alia sunt judicia DEI, alia hominum. Sicut ejus misericordia est infinita, ita etiam justitia est infinita: sed in hoc seculo est locus misericordiæ, in futuro soli justitiæ. Hìc facilè DEUS nostris afflictionibus vel sponte susceptis, vel patienter toleratis, commovetur ad ignoscendum, & millesima parte soluti debiti acquiescit, reliquam summam liberaliter expungens: ibi verò durus exactor novissimum extorquet quadrantem; nec magis suppliciis miserorum commovetur, quàm si viscera sint ei ferrea. Et meritò: Nam qui oblatam misericordiam, & facilem redimendæ pœnæ rationem hìc neglexerunt, digni sunt, ut sentiant rigorem justitiæ, suæ fatuitati assignent, quod in hanc calamitatem devenerunt. Accedit, quòd hac ratione intelligant quantum intersit inter id quod debetur peccato secundùm legem justitiæ, & id per quod DEO hìc possumus satisfacere interventu misericordiæ.

Porrò duplici affliguntur pœnâ, sensûs & damni. *Pœna sensûs est* ab igne, qui ut Divinæ justitiæ est instrumentum, potest affligere animas corpore exutas, non minùs quàm corpori inclusas. Anima enim est quæ sentit, dolet, affligitur, non corpus, etsi ipsa sit in corpore. Si ergo corpore vestita, igne affligi potest, cur non etiam nuda, præsertim cum sic immediatiùs ab igne tangatur? verùm de hoc infrà pluribus sequenti subs.

Pœna damni consistit in eo, quòd ob culpam eorum Regni possessio differatur, quodquè magnos æternæ gloriæ thesauros,

quos

quos facilè consequi potuissent, neglexerint. Si aliquis adoptatus à Rege, in ipso puncto quo aditurus est Regni possessionem, ejiceretur ob aliquam culpam in exilium, donec illam variis suppliciis plenè luisset; quantum inde conciperet dolorem? quantum ingemisceret se culpam illam admisisse, & pro ea tempestivè non satisfecisse? ita animæ justorum cum se à gloria parata eo momento quo conferenda erat, vident repelli, & in teterrimum exilium ablegari, donec pro antiquis culpis integrè satisfaciant, incredibili sauciantur dolore. Quantus enim ille sit dolor, ex eo conjici potest, quòd ex quadruplici consideratione nascatur. *Primò*, quòd videant se tanto privari Bono, idquè eo tempore, quo illud fruendum erat, apprehendunt acerrimè illius Boni immensitatem, & simul illud ardentissimè desiderant. *Secundò*. Quòd videant id fieri ob suam culpam. *Tertiò*. Quòd neglexerint pro illa culpa suo tempore satisfacere, cùm facillimo negotio redimi poterat, & tantas nunc cogantur sustinere calamitates: id enim non parum incendit doloris acerbitatem. *Quartò*. Quod ingentes æternorum bonorum thesauros, & cælestis gloriæ gradus quos facilè consequi potuissent, suâ culpâ & tepore neglexerint. Hæc omnia vivacissimo modo apprehensa, ingentem dolorem excitant, ut etiam in damnis humanis experimur, cùm ista quatuor concurrunt. Itaquè credibile est, illum animi dolorem longè esse majorem, quàm homines in hac vita ex damnis temporalibus concipere possint: quia Bonum illud longè est excellentius, & apprehensio acrior, & desiderium ardentius; & hæc omnia assidua, nunquam interpellata, noctes diesquè urgentia. In doloribus hujus vitæ crebra interruptio, per somnum, per colloquia amicorum, per varias mentis distractiones. Accedit quòd Divina justitia de industria faciat, ut damna sua etiam acriùs apprehendant, quàm per se facerent, ut majori dolore urantur. Ideo enim fit hæc dilatio, & hoc tempore exilium, ut ejus dolore purgentur, & pœnas pristinarum culparum luant. Secus erat in Patribus antiquis Limbo detentis; non enim ibi ob culpam aliquam personalem detinebantur gloriæ exortes, sed ob conditionem naturæ, pro cujus debito pretium nondum erat exhibitum, unde

nondum venerat tempus, quo gloria illis esset debita. *Hactenus Lessius.*

Quàm verò severè Divina Justitia purgatoriis pœnis animadvertat in defectus, qui videntur in oculis hominum leviores, patuit sufficienter ex alibi dictis sub peccato veniali.

Praxis evitandi vel minuendi pœnas purgatorii data est suprà de carentia purgatorii sect. 8. subs. 2.

SUBSECTIO III.

De æterna Inferni Pœna, Opposita perpetuæ Beatitudini in Patria.

§ imus.

Leonard. Less. de moribus & perf divin. l. 13. cap. 24.

INfelicem perennis miseriæ & omnis calamitatis statum placuit ore & methodo *Lessii* (etsi multis omissis) proponere, qui ita discurrit: Infernum vocamus locum damnatorum, in quo pœnas pro suis peccatis in corpore & anima sunt daturi. De quo tria nobis tractanda. Primò ubi sit. Secundò, quanta ejus amplitudo & capacitas. Tertiò, quæ sunt ibi pœnarum genera. *De primo* certùm est infernum esse sub terra. Est communis fidelium sensus. Idem senserunt Philosophi antiqui & Poëtæ, qui hujus rei meminerunt. Probatur ex scripturis, Numerorum 16. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos, descenderuntquè vivi in infernum, operti humo.* Psalm. 105. *Aperta est terra, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron.* Psalm. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes.* Deinde sicut domicilium Beatorum erit in supremo & nobilissimo loco; ita carcer damnatorum debet esse in infimo & ignobilissimo, ut longissimè absint à cælo. Unde ulteriùs sequi videtur, esse in centro mundi. Infimum enim terræ est centrum mundi: nisi enim ponatur in centro, non aberit undiquè longissimè à cælo; quod tamen ipsa ratio postulare videtur. Quod non ita intelligas, quasi infernus sit in puncto isto, quod dicitur centrum: sed quòd

ſit in medio terræ, ita ut centrum terræ & mundi ſit centrum inferni. Idem apertè colligitur ex Patribus: Nam Chryſoſtomus ait *Chriſtum deſcendiſſe ad infimas partes terræ, poſt quas non eſt aliquid aliud.* Deſcendit ergo ad ſpecum illam quæ eſt in medio; nam poſt ſeu infra medium terræ nihil eſt aliud. Nec obſtat, quòd Chriſtus non deſcenderit ad infernum damnatorum, ſed ad Limbum Patrum, qui *inferioribus abyſſis*, id eſt inferno damnatorum, eſt *ſuperſtructus*; ut Tertullianus inquit, & communiter tradunt Scholaſtici Doctores: quia iſtæ cavitates cùm vicinæ ſint, inſtar unius reputantur, & communi nomine *inferni* vocantur, qui dicuntur eſſe in medio, ratione majoris & celebrioris partis. Idem colligitur ex teſtimonio Hieronymi in caput 2. Jonæ qui dicit: *Infernum eſſe in medio terræ, ſicut cor eſt in medio animalis.* Atqui cor verè eſt in medio animalis, quantùm fieri poteſt. Huic ſententiæ etiam favet modus loquendi ſcripturæ, cùm ait Chriſtum fore *in corde terræ*, ſicut Jonas in ventre ceti: atqui Jonas erat in infima cavitate ceti, ergo &c. Item, cùm deſcenſum Chriſti opponit aſcenſui per extremos terminos: nam Chriſtus ita aſcendit ſuper omnia, ut congruè ulteriùs non poſſet: Ergo ita deſcendit infra omnia, ut ulteriùs non poſſet. Denique nulla eſt ratio in contrarium, quæ urgeat. Juxta hanc ſententiam cogitandum eſt, terram in ſui medio habere vaſtisſimam cavitatem, cujus centrum ſit centrum terræ & mundi, & hanc cavitatem eſſe carcerem infernalem.

Habemus ubi ſit infernus, nunc dicendum de ejus *capacitate.* Certum eſt hanc debere eſſe tantam, ut posſit capere innumerabilem multitudinem damnatorum, quæ facta ſupputatione hominum qui ſimul vivunt in mundo, & habita conſideratione ſexaginta ſeculorum, quibus mundus putatur duraturus, facilè aſcendit ad vicies vel tricies mille milliones; quæ ſanè multitudo exiguo loco concludi nequit, præſertim, cùm ibi quoque ſit magna copia ignis ſulphurei, ut infrà oſtendemus. Itaque quod magnitudinem illius cavitatis attinet, ſi diameter ejus eſſet ſolùm unius leucæ, ſeu quatuor milliarium Italicorum, hoc eſt pedum viginti millium, ſatis capax eſſet, non ſo-

lùm ad omnia damnatorum corpora excipienda, ſed etiam ad multitudinem decuplo majorem: nam etiamſi ſingulis corporibus damnatorum demus ſex pedes quadratos (qui abundè ſufficiunt) tamen una leuca (id eſt menſura viginti millium pedum) cubicata ſeu cubice multiplicata capere poterit plus quàm octingenta millia millionum corporum: cùm tamen certum videatur, facta ſubductione, non futuros centies mille milliones. Itaque tanta cavitas abundè ſufficeret corporibus damnatorum, & adhuc ſupereſſet magna vacuitas. Verùm quia ibi quoque ingens ſtagnum ignis & ſulphuris, & dæmones nes ignitis corporibus includentur fortaſſe erit capacior. Sit ergo diameter duarum leucarum, ſeu octo milliarium Italicorum, tunc ſuperficies concava terræ ambiens infernum erit ſex leucarum. Unde facilè poterit cavitas inferni in medio ſui continere ſtagnum, cujus profunditas ſit undiq; unius mediæ leucæ, quanta vix usquam eſt profunditas maris, & ſupererit adhuc media leuca vacua inter concavam ſuperficiem terræ, & ſuperficiem ſtagni. Sanè hoc ſpatium ſufficiens erit, etiamſi multitudo damnandorum centuplo major foret. Unde credibile eſt, ſpatium inferorum minus fore. Nec obſtat locus Apocalypſis: quia illa mille ſexcenta ſtadia referri poſſunt ad ſpatium, quod impii occupabunt tempore judicii, quando pœna æterna per ſententiam Iudicis illis irrogabitur, tantum enim ſpatium ſatis erit ad tricies mille milliones hominum in terræ ſolo conſiſtentium excipiendos, ut ex ſupputatione conſtat. Hæc de loci amplitudine.

§ 2dus.

Nunc dicendum de pœnis & inſtrumentis pœnarum Porrò Doctores duplicem pœnam in damnatos ſtatuunt, ſenſûs & damni. POENAM SENSUS vocant eam, quæ à cauſis extrinſecis infertur, ut à loci conditione, ab igne ſulphureo, tenebris, odore teterrimo, horriſono planctu, dæmonum immanitate. Omnes iſti dolores & afflictiones ab iſtis cauſis immediate provenientes, ſive in corpore, ſive in natura ſpirituali, ad

pœnam sensûs pertinent. Similiter tristitia animi immensa, quæ ex consideratione istorum malorum nascetur, dum assiduè cogitabunt ista fore æterna, nec ullam esse spem aliquando evadendi. *POENA DAMNI*, dicitur privatio æternæ gloriæ, & omnium bonorum, quibus Beati in æternum fruentur. Prius dicemus de iis quæ ad pœnam sensus pertinent, postea de pœna damni. Unde primò quæritur, utrum ibi sit verus ignis. Secundò, utrùm veri vermes corporales. Tertiò, utrum tenebræ, fumus, fletus, stridor dentium. Quartò, quomodo damnati sint dispositi apud inferos. Quintò de Societate damnatorum. Sextò de pœna omnium sensuum.

1mò. Dicendum, certum esse ibi fore verum & corporalem ignem. Ubiquè enim sacra scriptura de pœnis inferorum loquens, meminit ignis, ignem inculcat & minatur, & in ipsa sententia Judicis, pœna ignis exprimitur, quod apertum est signum esse ibi verum ignem. Quando enim aliquid metaphoricè dicitur, non semper eodem modo exprimitur, nec iisdem verbis, sed quod uno loco dicitur per metaphoram, alibi propriis exprimitur verbis. Deinde hoc igne corpora sunt urenda: nulla ergo est ratio, cur non de vero & corporali igne loca Scripturæ intelligantur. Probatur hæc sententia ex Scripturis. Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum; qui paratus est diabolo & angelis ejus.*

Dices: Diabolus est incorporeus, ignis qui ipsi paratus est, debet esse incorporeus. *Respondeo*: Negando consequentiam, quia non datur aliqua substantia incorporea instituta ad urendos Spiritus, sicut datur ignis corporeus ad urenda corpora. Omnis enim substantia hoc ipso quòd est incorporea, est intelligens, & naturæ Angelicæ. Ignis autem corporeus etiam ad puniendos Spiritus est aptissimus, quia Divinitus potest illi Spiritus alligari, & pati dolores ex ejus præsentia, sicut anima dum est in corpore ut infrà dicemus: Unde meritò ignis corporeus etiam dæmonibus præparatus est. *Confirmatur*: Quia homines qui in illum mittentur, corpore constabunt, ac proinde ipse quoque ignis corporeus esse debet; ignis enim incorporeus corporibus non congruit. Sic Matth. 3. dicitur: *Omnis arbor*

quæ

quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur. Et infrà; *Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Rursum Matth. 13. Dominus idipsum confirmat,adhibita quadruplici parabola; Primò Zizaniorum. *Sicut* inquit, *colliguntur Zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione seculi. Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.* Per scandala intelliguntur omnes illi, qui aliis sunt causa peccandi, vel imperio, ut Tyranni; vel doctrinâ, ut hæretici; vel consilio, ut mali consiliarii; vel exemplo, ut illi qui suo facto alios ad malum excitant, vel animant. Per eos *qui operantur iniquitatem*, intelliguntur cæteri peccatores, qui non aliis sed sibi tantùm causa fuêre: hi omnes tanquàm Zizania in fasciculos collecti, in ignem æternum mittentur. Secundò, idipsum confirmat proposita parabola sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis. Sicut enim piscatores, pertractâ sagenâ in littus, seligunt bonos pisces à malis, & bonos colligunt in vasa, malos abiiciunt: *Sic erit* inquit *in consummatione seculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.* Marci 9. *Si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam, bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Idem repetit bis, agens de pede & oculo. *Gehennam* explicat per *ignem inextinguibilem*: & statim repetit, *ubi ignis eorum non extinguitur*; ut intelligamus esse verum ignem, qui nunquam possit extingui, sed semper ardeat & urat. Addit in fine: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.* Apocalypsis 14. *Siquis adoraverit bestiam*, (id est, si quis consenserit Antichristo) *cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum, & ante conspectum Agni: & fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum.* Et cap. 20. *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Cap. 21. *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Ejus-

Ejusdem ignis sæpè mentio fit in veteri Testamento Deuteronomii 23 *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitquè terram cum germine suo, & montium fundamenta cumburet.* Judith 16. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque insempiternum.* Similis locus est Ecclesiastici 7. *Humilia valde Spiritum tuum; quoniam vindicta carnis impii, ignis & vermis.* Psalm. 10. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur: & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Et Psalm. 20. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.* S. Augustinus lib. 21. de Civit: cap. 10. etsi dubitet de illa flamma, de qua Lucæ 26. dicitur, *Crucior in hac flamma:* tamen absolutè definit, ignem inferni esse corporeum. *At in gehenna,* inquit *quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum.* S Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 20. *Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.*

Ex his aliisquè locis plurimis tum scripturæ sacræ tum sanctorum Patrum, luce meridianâ clarius est, *Primò* apud inferos esse verum ignem corporeum, qualis est apud nos (etsi alias quasdam proprietates Divina virtute sit habiturus) quo impii cruciabuntur. *Secundò*, Ibidem quoque esse sulphur, & ignem sulphureum, patet Psalm. 10. Jsaiæ 30. Apocalypsis 14. 20. & 21. Idem confirmatur ex eo, quod Sodoma & finitimæ Civitates igne sulphureo sint subversæ Genesis 19. de quibus ait S. Judas, quòd *ignis æterni poenam sustinentes, facti sint exemplum orbi;* manifestè indicans, ignem sulphureum esse æternum: loquitur enim de pœna, quæ toti mundo fuit conspicua, quæ æterna non fuit; sed ignis sulphureus, cujus pœnam ipsi sustinebant, æternus est, quamvis non idem numero. Est etiam sulphur aptissimum punitioni impiorum, tum propter vim igneam quâ facile & vehementer exardescit, tum propter odoris tetri acrimoniam, quæ fœtori peccatorum congruit; tum quia suffitu in expiationibus domorum sulphur adhiberi solet, ut inquit Plinius lib. 35. c. 15. Inquinarunt peccatores domos suas nempe animam & carnem suam, peccando dum viverent.

Unde conveniens eſt, ut DEUS igne ſulphureo haſce domos, quantùm fas eſt, expiet, & quoddammodò ſanctificet. Supplicium enim peccatorum eſt genus quoddam expiationis & purgationis. Hujus quoque rei ſignum eſt, quòd infinita vis ſulphuris partim ſemper ardentis, partim non ardentis, ſub terra lateat, ut ex thermis & montibus ardentibus, qui plurimi ſint per orbem, manifeſtum eſt: nam & thermæ ſulphur olent, & ignes montium ſulphurei ſunt. Ipſa quoque fulmina, quæ iræ Divinæ ſunt ſymbola, igne ſulphureo conſtant, & ſulphur olent. *Hæc de igne & ſulphure*

2dò. Quæritur utrùm ibi ſint vermes rodentes corpora damnatorum? Ad quod *reſpondetur:* probabilius non eſſe ibi vermes corporales qui rodant corpora; ſed nomine vermis indicari conſcientiæ morſum & perpetuam accuſationem: ita S. Hieronymus in caput ultimum Iſaiæ, Ambroſius in cap. 14. Lucæ in fine, D. Thomas in cap. 14. Lucæ in fine, D. Thomas in 4. de 50. q. 2. a. 3. & alii paſſim DD. S. Auguſtinus lib. 21. De Civitate cap. 9. fusè hanc rem diſcutiens, utramquè partem cenſet probabilem, magis tamen propendet in noſtram ſententiam. *Ratio,* cur non videantur ibi vermes corporei, ponendi eſt, quia cùm omnis morſus beſtiarum ad dolores ac morſus ignis ſit luſus, vel parvi momenti, non videtur operæ pretium viliſſimas beſtiolas novo miraculo facere immortales in acerrimo igne, ut hominem crucient, præſertim cùm morſus vermium ſit exiguus, & moleſtiam potiùs adferat quàm acrem cruciatum. Unde potiùs ſerpentes & dracones ponendi fuiſſent, ſi beſtiæ aliquæ ibi ad cruciandos homines eſſe debebant. Verùm tantum tormentum adfert ignis ſulphureus, præſertim in arcto concluſus, ut nihil vel à vermibus, vel à malleis & incudibus, vel à nive & glacie addi poſſe videatur. Accedit, quòd, cùm toties in ſcriptura, dum agitur de pœnis impiorum, *ignis & vermis* conjungantur, neceſſe ſit per *vermem* aliquid magni denotari, quod cum igne totum ſupplicium nobis exhibeat; hoc autem non eſt aliud, quàm conſcientiæ remorſus & accuſatio, qui, ùt notat S. Thomas rectè dicitur *vermis*, quia naſcitur de putredine peccati & rodit animam, ſicut vermis corporalis de putredine carnis, & rodit carnem. Hic in eo conſiſtit, quòd

aſſiduè

assiduè conscientia sua ipsos accusabit & condemnabit, quòd suis peccatis æternam gloriam, quam facilè potuissent obtinere, amiserint, & æterna supplicia incurrerint. Hinc geminus nascetur dolor, qui immensa quadam acerbitate cor eorum tanquam vermes infestissimi corrodent, nimirum quòd sua stultitia tantum bonum neglexerint, & in tanta mala se præcipitaverint. Hæ accusationes seu cogitationes, et hi mœrores, vermes sunt acerbissimi, quorum morsus est præcipuum damnatorum tormentum: plus enim illos affligit apprehensio æternitatis tanti Boni suâ culpâ amissi, & tanti supplicii contracti, quàm solitarius ignis. Itaquè nisi per vermem duplex illa cogitatio & duplex dolor inde nascens intelligatur, non plenè à Domino Marci 9. nec usque alibi impiorum pœna descripta erit, sed præcipua pars omissa. Nec obstat quòd hæ cogitationes sponte videantur sequi ex ipsa sententia damnationis, quia etiamsi aliquo modo sponte sequantur, tamen nisi aliquid aliud accedat, non erunt ita perfectæ ac continuæ, nec ita affligent. Unde DEUS peculiari influxu facit, ut damnati clarè & assiduè ista apprehendant, nec mentem possint ab his cogitationibus avertere: quo autem clarior est apprehensio, eo dolor erit major, ac furor & rabies in seipsos acrior. Ad testimonium Judith respondet S. Thomas, *carnem* accipi pro anima: commodiùs dixisset, *carnem* phrasi Hebræa ibi accipi pro toto homine. Sensus est: Cùm Dominus judicabit orbem, & impii resurrexerint, dabit ignem & vermes in carnes eorum, id est, in ipsos carne indutos, ut urantur igne, & sentiant vermium istorum morsum in sempiternum. Simili modo dicitur: *Vindicta carnis impii*, id est, ipsius impii carne induti, *ignis & vermis*. *Ignis* pro carne, *vermis* pro animo, cujus tamen dolor in carnem redundat, quia *spiritus tristis exsiccat ossa*. Simili phrasi Apostolus ad Corinthios dixit: *Nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores*. Ubi *timor* ponitur pro afflictione carnis, id est hominis in carne passibili constituti. Et alibi. *Caro & sangvis regnum DEI non possidebunt*, id est, homo carne passibili indutus:

Eccl. 7.
Proverb. 17.
2. Cor. 7.

3tiò. Utrùm ibi sint tenebræ & fumus, fletus & stridor dentium.

dentium. Respondeo hæc omnia ibi sine fine affluere. De tenebris habemus Job. 10. ubi infernum vocat, *Terram miseriæ & tenebrarum, opertam mortis caligine, ubi sempiternus horror inhabitat.* Ecclesiastici 21. *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & poenæ.* Matth. 8. *Filii regni* (judæi increduli) *ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.*

4*tò*. Superest ut aliquid dicamus de dispositione & situ damnatorum. Quidam ponunt ibi vastissima spatia, quæ ad multas leucarum centurias extendantur, per quæ damnati raptentur & discurrant, sed nihil opus est tanta loci amplitudine, ùt suprà ostensum: nam ex Apocalypsi constat omnes mittendos in stagnum ignis sulphurei. Sic enim ibi habetur: *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*, nempe sulphurei, ut patet ex antecedentibus & sequentibus. Dicitur *stagnum* ratione materiæ liquidæ, nempe sulphuris liquati & ardentis. Itaquè omnes erunt in hoc stagno. Idem patet ex capite 21. ubi dicitur; *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti, igne & sulphure: quod est mors secunda.* Hic omne genus peccatorum adducitur stagno sulphureo: quare cùm multa millia millionum ibi futura sint, non poterunt in illo stagno seorsim disponi (opus enim esset plusquam centum leucis) sed necesse erit alios super alios coacervari, sicut cùm magna copia pisciculorum vel fabarum in ardenti oleo frigitur. Hoc etiam est conveniens diversitati peccatorum, ut quò quisque graviùs peccavit, eò sit profundior in stagno, & graviore prematur pondere incumbentium: quò minùs graviter, eò minùs sit depressus, & minori pondere gravetur. Idem confirmatur ex aliis scripturæ locis. Ecclesiastici 21. *Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis.* *Collecta*, quia instar stuppæ in cumulum colliguntur; & Paterfamilias Matth. 13. jubet Zizania colligi in fasciculos ad comburendum. Isa: 24. *Congregabuntur in congregatione unius fascis in Lacum; & claudentur ibi in Carcere; & post multos dies visitabuntur.* Loquitur de damnatis, quos dicit in unum colligendos, & instar unius fascis in lacum inferni mittendos,

Apoc. 20.

unde nunquam ſint exituri, ſed quantumvis multum temporis accipias, adhuc eorum pœnam (hoc enim deſignat illud *viſitabuntur*) duraturam. Rurſus Iſaiæ 30. comparantur *lignis multis, ſeu aceruo ingenti lignorum ardentium.* Quodſi hoc ſtagnum ponatur in Centro, (quod ſuprà veriſimilius eſſe diximus) etiam ex hoc capite, neceſſarium erit alios ſuper alios accumulari, quia nullum habebunt fundum cui inſiſtant, ut benè notavit Soltus d. 45. a. 2. rectequè illud ſtagnum dicetur *abyſſus inferorum,* quia fundo carebit. De magnitudine hujus ſtagni ſupra diximus, abundè ſatis magnum eſſe; ſi diameter ſit unius leucæ ſeu 20000. pedum, ſic enim ambitus erit trium leucarum. Tale ſtagnum facilè capiet omnia damnatorum corpora, ita ut omnia in ſtagno eſſe poſſint: tanto tamen corporum acceſſu non parum undiquè intumeſcet, dilatabitur & elevabitur juxta illud Iſaiæ 5. *Dilatavit infernus animam ſuam,* id eſt, ſeipſum, vel ſtagnum cum omnibus corporibus injectis ardebit, eritquè tota illa iniquorum congeries ardens tanquam victima Domino & holocauſtum pro peccato, quod ſacrificium nunquam complebitur, ſed ſemper peragetur coram Domino & omnibus Sanctis; ſicut ipſum peccatum ſemper expiabitur, & nunquam erit expiatum. Hinc non ſolùm ignis foris applicabitur corporibus ut ſuo contactu cruciet, ſed ipſa etiam corpora ardebunt, ſicut in holocauſtis fieri ſolet. Inſinuatur Iſaiæ 30. *Nutrimenta ejus* (Tophet) *ignis & ligna multa: flatus Domini ſicut torrens ſulphuris, ſuccendens eam. Ligna* illa non ſunt aliud quàm corpora iniquorum, qui fuerunt ligna arida. Hinc peccatores comparantur arbori infructuoſæ exſcindendæ & in ignem mittendæ, & ſtuppæ collectæ, & faſciculis zizaniorum, quæ omnia igni injecta ardent. Et Pſalm. 20. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui,* nimirum ut ardeant ſicut ligna in clibano. *Devorabit eos ignis.* Omnia iſta apertè indicant ipſos arſuros inſtar materiæ quæ accenditur. Unde ſtagnum ſulphuris ardentis non tam erit neceſſarium ut igne torqueantur, quam ut in pœnis ſuis ſepeliantur juxta illud, *ſepultus eſt dives in inferno:* ita ut nullum eis poſſit extrinſecus accedere refrigerium, nec poſſint aliquid levaminis accipere à libera reſpiratione vel

clamore, qui in magnis tormentis naturaliter adhiberi solet ad doloris aliquantulum solatium. Huc referri potest, quod 1. Regum 2 in Cantico Annæ dicitur: *Impii in tenebris conticescent.* quod intellige de iis, qui profundiùs demersi erunt: qui enim saltèm capite extabunt, & clamare poterunt; quales ferè erunt, qui minùs graviter peccârunt. Quod si omnes ita demergantur, ut nullus supernè extet, compescentur omnes clamores, & omnes blasphemiæ vocales, eritquè ibi magnum silentium: quod non parum augebit ipsorum tormentum, dolore intus sæviente, nec valente per vocem erumpere.

Lessius de perfect. Divin. lib. 13. c. 21.

5tò. Afflictio (damnatis) est ex dæmonum & aliorum damnatorum perpetua societate. Sicut enim Beatis singulis ingens gaudium & oblectatio erit amicissimè versari cum aliis Beatis; ita damnatis ex contubernio & præsentia aliorum damnatorum ingens erit mœror & afflictio. *Primò*, quia cogi semper esse in medio miserorum, & omnium illorum malorum pati aspectum, auditum, querimonias, per se ingens est miseria. Secundò, quia omnes se mutuò oderunt, nempè quatenus sunt creaturæ DEI ad ejus imaginem conditæ. Sicut enim summè oderunt DEUM, ita etiam odio habent quidquid est DEI, quatenus ejus magnitudo, potentia, sapientia, justitia, vel alia perfectio in eo resplendet. Atqui valdè molestum est pati assiduè præsentiam eorum quos oderis, quod maximè locum habet in iis qui ipsis fuêre causâ damnationis, ut sæpè sunt parentes, uxor, filii, socii, & inprimis dæmones, qui nusquam absunt: hos enim omnes acerbissimo odio prosequentur, tanquam authores suæ perditionis: unde gravissimum ipsis erit, quòd assiduè cum illis esse cogantur, & eorum maledicta, contumelias & furias perpeti. Tertiò, quia valde credibile est, dæmones etiam post Judicium fore tortores hominum, etsi quidem aliter sentiant, inter quos S. Bonaventura in 1. d. 77. & quidem quos sine nomine refert Magister sent. eadem dist. Si enim ante Judicium torquent animas damnatorum, ut ex multis revelationibus constat, cur non etiam post? non enim minus nunc pœna damnatorum est decei minata per justitiam Divinam, quàm tunc erit: æquum est, ut sentiant tale in clementiam & benignitatem dominorum, quibus per peccatum se subjece-

jecerunt, & quorum se fecere mancipia. Idem consentaneum scripturæ Ecclesiastici 39. *Sunt spiritus qui in vindictam creati sunt.* Quamvis istius loci alium sensum putem. Adde, si DEUS in in hac vita permittit ut impii se mutuò lædant, quid mirum si id permittat apud inferos, & sinat eos tanquam rabidos canes in se mutuò sævire? illa enim pœna, quàm mutuo furore alter ab altero patitur, inter mala secundaria istius status computanda, tanquam accessio pœnæ principalis, quæ à DEO infertur: sicut oblectatio quam Beati percipient ex mutua consuetudine, inter bona accessoria status Beatorum. Unde in illa facilè potest admitti variatio, ut nunc maior sit, nunc minor. Hinc patet, versari inter damnatos & dæmones per se longè fore gravius, quàm versari in aliqua specu plena serpentibus & bufonibus. Hanc pœnam interdum indicat scriptura, ùt Isaiæ 34. sed allegoricè; & Matth. 25. *Qui paratus est diabolo & angelis ejus.*

6tò. Afflictio erit (in inferno) *omnium sensuum à propriis objectis.* *Visus* enim tenebris & spectris horrendis, & stagni ardentis aspectu, & loci totius immanitate, & fumo acerrimo torquebitur. *Auditus* clamoribus, ejulatu, maledictis, blasphemiis, aliisquè furoris & desperationis signis, nimirum eorum, qui non planè demersi in stagno. *Odoratus* odore teterrimo, quo omnia plena sunt. *Gustus & Lingua* tum à sulphure ardente, tum ab amarissimo succo, quo lingua & os imbuetur. Denique *sensus tangendi* ac totum corpus, non solùm ardore ignis, sed etiam mutua compressione & angustiâ immensâ. Valde enim verisimile est, ut suprà diximus, alios super alios instar fascium sarmentorum coacervandos, sic ut inferiores vehementer comprimantur à superioribus, & extremas patiantur angustias. Singulæ istæ sensuum afflictiones per se, & seorsim consideratæ tantæ erunt, ut quælibet satis sit ad hominem mox interimendum, si mori posset. Sicut enim Sancti in Cælo tantas habebunt oblectationes in singulis sensibus, quantas nemo in hac vita percipere potest, etiamsi omnia mundi oblectamenta illi suppeterent: ita iniqui tantas in singulis sensibus patientur afflictiones, quantas nemo in hac vita sustinere potest. Sicut enim in illis magnitudini gloriæ & gaudii quod erit

Ibidem.

erit in corpore & sensibus: ita in damnatis magnitudini miseriæ, quæ erit in portione superiore, respondebit miseria corporis & partis sensitivæ. Felicitas enim animæ & corporis, partis superioris & inferioris, seu partis intellectivæ & sensitivæ, debent esse commensæ in suo ordine, & exacta proportione subordinatæ. Idem planè dicendum de miseria. *Hæc Lessius.*

Spec. Exempl. v. Facies dæmon.

Gravitatem pœnæ sensûs conjice ex sequentibus. I. *Poena visûs* ex aspectu dæmonum quàm sit horribilis legitur, quòd Religiosus quidam ad extrema deductus, cùm duos dæmones ad infernum rapere ipsum volentes vidisset, tantum ex hoc aspectu horrorem concepit, ut diceret, si esset ignis ex ære & sulphure mixtus, qui ad finem mundi duraret, se libentiùs per illum transiturum, quàm adhuc semel dæmones aspecturum.

Nicolaus Dinclesf. & in spec. exemp. tit. apostata.

II. *Poena auditûs* Quidam Religiosus Ordinem Cisterciensem ab initio rigidissimum, ferre non valens, à Matre sua defuncta præmonitus, querulabatur: se nequaquam asperitatem Ordinis sustinere posse: quæsivit Mater si posset asperitatem inferni sustinere, etiam ad minimum ejus tormentum. Cùm autem ille diceret, quis infernus aut Ordo tantæ austeritatis, & duritiæ esset, cujus silentium acerbissimum, stratum ferreum, rigor asperrimus, cibus insipidus? Respondit Mater: Vis experiri unum modicum tormentum inferni? Cùm autem diceret: volo: audivit tam horrendum grunnitum porcorum, quòd nullum poterat ei tormentum comparari. Videbatur autem sibi, quòd cælum scinderetur, & caderet super caput ejus. Et cùm præ timore clamaret & deficeret, confortavit eum Mater, & cessavit ille sonitus. Item Mater ajt ad eum: Vis audire unum minimum paradisi gaudium? At ille: valde libenter: & audivit voces tantæ dulcedinis & suavitatis, quod excedebant omnem dulcedinem musicalis harmoniæ. Tunc Mater ait ad eum: si vis evadere inferni tormenta, & adipisci gaudia paradisi, persevera in incepto. Ille autem Matri fidelem perseverantiam firmiter promisit, & fideliter adimplevit.

Deut. 32.

III. *Poena gustûs.* Pro qua describenda illud servit Deutor: *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Huc reduci-

reducitur intolerabilis fames & sitis damnatorum juxta illud Davidis: *Famem patientur ut canes.* Et Apoc: *Bibent de vino iræ DEI.* Implebiturquè tum Prophetia Isaiæ dicentis: *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis.* Unde Epulo ille in Evangelio super ardentem linguam suam, nè quidem stillam aquæ impetrare potuit, quam nec flumina restinguere valerent.

Psalm. 58. v. 7.
Apoc. 14. v. 18.
Isaiæ 65. v. 13.
Apoc. 21. v. 8.

IV. *Poena Odoratûs.* Seraphicus Doctor dicit. Si vel unius damnati cadaver in orbe hoc nostro esset, orbis totus ab eo inficeretur.

Apud Drex. c. 5. rogi Damnat.

V. *Poena tactûs.* Cuidam Waltero homini devoto apparens diabolus, requisitus de Wilhelmo comite Juliacensi, respondit diabolus: Nôsti castra vicina Wolckenburg & Drachefels? Novi, inquit. Et ille: per fidem meam tibi dico, si ferrea essent, tam castra, quàm eorum montana, & in illum locum mitterentur, ubi anima ipsius est, antequam supercilium superius inferiori jungi posset, liquefierent.

Cæsarius. lib. c. 5.

§. 3tius.

Lessius de Perfect. Div. lib. 13. c. 29.

POENA DAMNI consistit in eo, quòd sententia irrevocabili excludatur ab æterna beatitudine, & omnibus bonis quæ illa secum adfert; ad quæ obtinenda ille à DEO conditus erat, & in hac vita constitutus & tota gubernatio mundi à DEO directa. Hæc similis est confiscationi bonorum, cùm quis ejiciendus in exilium ad metalla, privatur primò omnibus bonis, & redditur inhabilis ad omnia tanquam servus poenæ. Pœna ista damni continet damnum quintuplex, secundum quinque bonorum genera. Primùm est, *Amissio cœlestis Patriæ*, seu splendidissimæ ac saluberrimæ illius Regionis, omnibus opibus & deliciis redundantis: cujus materia auro & gemmis pretiosior, cujus amœnitas solis & stellarum vincit pulchritudinem. Describitur hæc Civitas à S. Joanne Apocal. 21. & in fine additur, *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.*

Secundum est, *Exclusio à contubernio* & familiaritate dulcissima tot millium Angelorum & hominum beatorum; quos intueri, cum quibus agere & versari etiam instar famuli ad obsequium, major esset felicitas, quàm omnium hujus mundi

Regnorum & bonorum possessio. Si magna pœna censetur inter homines, cùm quis privatur civitate & omni honore, quem in ea obtinebat, vel obtinere debebat, & optimorum civium consuetudine, & ejicitur in perpetuum exilium, in insulam barbaram ac sterilem: quanta pœna censendum hoc æternum exilium, quo quis tali civitate, tali honore, & talium civium familiaritate spoliatur?

Tertium damnum est, *Privatio illius amoenissimi spectaculi*: quod omnes Beati habebunt intuendo pulchritudinem omnium rerum naturalium, totamquè mundi fabricam, & insuper omnium & singulorum Beatorum gloriam; ita enim Divinitus illustrantur, ut hæc omnia possint clarè intueri. Ex quo spectaculo incredibilem percipient voluptatem; adeò ut etiamsi homines justi non acciperent aliud præmium, quàm hæc tria bona, nempè cælestem habitationem, contubernium cælestium civium, & claram totius naturæ cognitæ cognitionem, cum ea cognitione DEI, quæ necessariò ex illa resultat; nihilominus censenda esset non modica felicitas, imò longè major quàm unquam Philosophi animo concipere potuerunt. Damnati tali illustratione carebunt: unde neque pulchritudinem rerum creatarum clarè cernere poterunt, neque voluptatem ullam ex illis haurire, sed solum mœrorem: sicut dæmones, etiamsi omnes res creatas naturalis ordinis utcunquè cognoscant, nullam inde voluptatem percipiunt, cujus ratio duplex adferri potest. Prima; Quia tanto mœrore oppressi sunt propter æternam damnationem, ut omnis consolatio, quam ex pulchritudine rerum creatarum capere possunt, sit instar nihili. Secunda, Quia cùm DEUM summo odio prosequantur, etiam oderunt omnia ipsius opera, & detestantur eorum pulchritudinem. Sicut qui videt filios, amicos, hortos ejus quem acerrimè odit, non delectatur eorum pulchritudine vel ornatu, sed potiùs discruciatur animo, quia totum inimici bonum censet & apprehendit tanquam suum malum: Quæ duæ rationes etiam in hominibus damnatis locum habent.

Quartum damnum est, *Privatio luminis gloriæ*, & consequenter visionis, amoris & gaudii beatifici. Hoc damnum est omnium

omnium maximum, utpote infinitum, quia infiniti Boni amissio: sicut si quis infinitum thesaurum amitteret, ex quo summos honores, & summas voluptates percepturus erat. Itaquè in hoc damno multa damna infinitæ æstimationis continentur. Primò, Luminis gloriæ, quo animæ elevantur & corroborantur ad videndam essentiam Divinam. Secundò, ipsius Visionis beaficæ, quâ planè similis DEO anima efficitur, juxta illud: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est* Tertiò, Amoris beatifici, quo anima tota in DEUM transfunditur, & unus cum illo spiritus eminentissimo modo efficitur. Quartò, Gaudii beatifici, quo de bono ipsius DEI gaudet, & tota ejus dulcedine fruitur. Quintò, Gaudii illius eximii, quo quisque de sua beatitudine suisquè bonis gaudebit & delectabitur. 1. Joan. 3.

Quintum damnum est, *Privatio gloriæ corporis*, nempè claritatis, impassibilitatis, agilitatis, & virtutis spiritualis penetrandi per omnia: habebunt enim corpora obscura, fœda, passioni obnoxia, ponderosa, & longissimè ab omni conditione spirituali remota: nisi quòd ignibus consumi nunquam poterunt. Porrò hæc omnia damna versabuntur illis assiduè ob oculos, eaquè semper considerabunt, ac proinde incomprehensibilem animi mœrorem inde concipient. Fiet autem hoc tum naturæ quodam instinctu, quo quis cùm in grave damnum incidit, semper de eo cogitat, nec mentem ab eo potest avertere, tum maximè Divinâ virtute mentem damnatorum ad hoc applicante, & efficiente ut assiduè apprehendant & considerent, ut inde mœrorem assiduè percipiant: quod insinuari videtur Dan. 12. *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper:* quid videant, nisi suum opprobrium & sua damna, quæ propter sua Peccata sunt perpessi, & patientur in æternum? Unde non erit in potestate illorum, mentem divertere ab horum damnorum consideratione.

Ex veritate hujus considerationis proveniet diversitas afflictionis pœnæ damni in damnatis. Etiamsi enim damnum ipsum quod pœna damni vocari solet, par erit omnibus (omnes enim æqualiter omnibus istis bonis excludentur & privabuntur) tamen afflictio quæ inde proveniet, par non erit, sive hæc

afflictio ad pœnam damni, sive ad pœnam sensûs pertinere dicatur. Sicut enim maximi peccatores merentur majorem pœnam sensûs ab igne provenientem; ita etiam merentur majorem pœnam ex damno. Atqui pœna damni ex parte ipsius damni major esse non potest, sed omnibus est æqualis; sed solùm potest esse major vel minor ex parte afflictionis & mœroris, quem damnum ipsum adfert mediante consideratione. Itaquè tota hæc diversitas pœnæ damni pendet ex diversitate considerationis. Neque id mirum, cùm nullum damnum, quantumvis magnum, habeat rationem pœnæ afflictivæ, nisi per considerationem applicetur, ita ut animum discruciet. De ratione enim pœnæ afflictivæ est ut repugnet voluntati, eamquè mœrore afficiat, quodsi non apprehenditur damnum, vel nihili penditur, non habet rationem pœnæ afflictivæ, sed tantùm privativæ. Quare sicut ignis non affligit, nisi ita applicetur ut dolorem inferat; ita etiam damnum non habet rationem pœnæ afflictivæ, nisi per considerationem applicetur, ut animum mœrore afficiat. *Hæc Lessius.*

§ 4tus.

Damnatos ad inferni cruciatus esse damnatos in æternum, id est nullo unquàm termino finiendum ævum, probant suprà allata testimonia clara sacræ scripturæ, in quibus mentio fit ly *Æterni, seculorum, ignis inextinguibilis &c.* Tum Sanctorum Patrum, totiusquè Ecclesiæ communis sensus: estquè inter præcipuos articulus fide Divinâ credendus.

Hujus memoria æternitatis quàm sit intolerabile tormentum damnatis! quis explicet? Hinc *Drexelius* inquit: Loquantur omnes Angeli, nunquam tamen satis explicaverint pœnarum apud inferos æternitatem. Quid enim est Infernus? Tormentum, absquè omni dolorum intercapedine sempiternum, summum. Priora (enumerata) tormenta, quantumvis acerbissima, valde tamen tolerabilia essent dicenda, si ea vel multis annorum millibus forent toleranda. Cogito, inquit priscus Theologus, mille annos, cogito millies mille annos, cogito tot annorum millia, quot sunt momenta seu puncta in toto tempore à con-

Drexel. rogi damn. cap. 17.

Adam. Sasbout. Hom. 1. Quadrag. Psal. 48. v. 10.

à condito mundo usquè ad ejus consummationem, & de æternitate nihil adhuc habeo. Laborabunt in æternum, & vivent adhuc in finem. Virgo quædam ad apparentiam Sancta ob suas orationes, vigilias, jejunia, castigationes, verùm propter suam complacentiam ac internam superbiam ad infimas partes inferni damnata, post mortem apparens, ac illa dicens, ista adjecit: Si siccatæ essent aquæ maris, & fundus repletus arenâ, & una avicula centesimo anno unum granum educeret, & tunc possem salvari (*scilicet postquam illud immensum spatium maris arenis evacuaretur*) omnes pœnas inferni eligerem ad illud tempus sustinere: sed non sic, quia in inferno nulla est redemptio. *Hæc illa infelix.* Et hæc dolorum æternitas singulare supplicium est. Damnati namque non solùm pœnam præsentem patiuntur, sed cùm certò sciant eam fore æternam, velut totius æternitatis immensum, ac inæstimabile pondus sustinent, & modò patiuntur, quod in omnem æternitatem passuri sunt.

Collector Theolog. & speculi ex Jacob de paradiso.

§. 5tus.

Desperatio damnatorum infandum tormentum. *Drexelius* ait: Varias omnino clades hic orbis noster continet, sed demum omnes suum quoque finem sortiuntur. At verò in flammeis diabolorum caveis video quidem supplicia horrenda, infanda; sed non video ullum suppliciorum finem, non video usquam pœnarum terminum, mortem. Hìc nullus, nullus finis. Mors optimum naturæ inventum, mors omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis meliùs merita, quàm de his ad quos venit, antequam invocaretur. Mors servitutem invito etiam Domino remittit, mors captivorum catenas levat, mors è carcere educit quos exire imperium impotens vetuerat; contra omnes injurias vitæ, beneficium mortis est. Sed hoc eheu! apud inferos non est. Per omnia inferorum latibula circumspicio, sed mortem nullam video. Imò verò video mortem, sed vivacissimam, & agnatis sibi doloribus plenissimam. Apud inferos sicut nullus lugendi & dolendi; sic nullus moriendi finis est. Damnati ipsi ut Dionysius notat, sic calculum ponunt: Elapsis decem millibus annorum,

Drexelius rogi damnat. c. 17.

Dionys. Carthus. in spec. amator. mundi.

norum, adiicientur centum millia, post hæc centum millia, tot jungentur myriades, & milliones, quot in firmamento sunt stellæ, & in littore maris arenæ. Post quæ longissima annorum spatia, quasi nihil de pœnis nostris accisum esset, sic iterum ab initio pati tormenta incipiemus: atque ita sine interruptione, sine fine, modo, voluetur assiduè nostrorum tormentorum rota.

Atque hinc desperatio multò quàm acerbissima. Hæc tam intelligentiam, quàm voluntatem ac memoriam dirissimè torquebit. Quicquid memoria secum revoluerit, affliget; quicquid cogitaverit intellectus, in tormentum cogitantis vertet; voluntas ipsamet obstinationem suam stupebit, neque enim unquam velle poterit quod DEUS. Ita semper suæ malignitatis in seipso pœnam reperiet. Et quàm horrendum est scire, DEUM sibi æternum fore inimicum, severissimas ejus manus se nunquam evasurum, sub ejus pedibus perpetuò calcandum. Hinc iugis ac desperatissima rabies, hinc summum DEI odium orietur. Omnis dolor irruet super eos. Mala omnia super eos congregabuntur. Adeoquè ut priscorum fert axioma: *Ultima omnium malorum dira* (æterna) *desperatio est.*

§ 6tus.

Praxis evitandi infernum est. I. Ex frequenti & seria meditatione inferni elicere actus & affectus Timoris DEI, Contemptus mundi, Pœnitentiæ, Mortificaionis, &c. ineis se exer-
1. 2. tra. 1. c. 1. cere, juxta methodum suprà datam in praxi sub Meditatione,
sect. 4. subs. 1. Etenim quoad meditationem, ita monet Sapiens: *In omnibus o-*
§ 3. *peribus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* De
Eccl. cap. 7. Pœnitentia verò pro peccatis dicit Christus; *Nisi poenitentiam*
Luc. 13. *habueritis, omnes similiter peribitis.* Et Ioannes Baptista ad Ju-
Luc. 3. dæos: *Genimina viperarum, quis vobis ostendit fugere à ventura ira? facite ergo dignos fructus poenitentiæ.* Quoad Mortificationem seu
Eccl. 7. fugam peccati, consulit Siracides: *Fili nè semines mala in sulcis injustitiæ, & non metes ea in septuplum.*

Matth. 27. II. *Misericordiæ exercitium.* Soli enim immisericordes audient illud: *Ite maledicti in ignem æternum*; è contrario verò Beatos dicet Christus misericordes, quoniam misericordiam consequentur.

III. *Voluntatis propriæ abnegatio*; juxta illud S. Bernardi: *Cesset voluntas propria, & infernus non erit.* *S. Bernardus serm. 3. de Resurg. Dom.*

IV. *Humiliatio*; Uti Ecclesiasticus monuit dicens. *Humilia valde Spiritum tuum, quoniam vindicta carnis impii, ignis & vermis.* *Eccl. 7. v. 29.*

V. *Amor & fiducia erga B. Virginem.* Quia teste S. Anselmo, *impossibile est, ut pereat, qui ab hac respectus est.* *V. Lohner bibl. man. tit. infernus.*

Deniquè Fuge malum: & Fac bonum. Et sic non morieris (morte secundâ, horrendâ, continuâ, perenni) sed vives in æternum.

TRACTATUS II.

De Fine Supernaturali Hominis respectu Cælitum, Deiparæ, & DEI-Hominis.

ITidem hic Finis est duplex *Cui, & Cujus.* Finis Cui intelligitur Persona Cælitum, Beatissimæ Virginis, & ipse Christus. Finis Cujus est Gloria Cælitum, Beatissimæ Matris, Christi Domini. Ratio ejusmodi dispositionis est ordo bonæ imaginationis in Schemate suprà erectus, dum post finem respectu ipsius Operantis sequitur finis respectu Cælitum; deinde respectu DEIparæ, tum respectu Christi, tandem respectu ipsius DEI: quia per Gloriam suam homo intendere ac promovere potest Gloriam Cælitum, per Gloriam suam & Cælitum, Gloriam DEIparæ, per gloriam suam, Cælitum, ac DEIparæ Gloriam Christi, ultimatè per Gloriam suam, Cælitum, DEIparæ, Christi, Gloriam DEI T. O. M. sive per unum, sive per plura specificata genera Gloriæ. Ita enim rectè & ordinatè gradatim ascenditur ab inferioribus per intermedios fines ad supremum & ultimum Finem, superioresquè suo modo participant de inferioribus. Quanquam vice versa etiam intendi ac promoveri potest per Gloriam DEI, Gloria Christi, per Gloriam DEI & Christi Gloria DEIparæ, per Gloriam DEI, Christi, DEIparæ, Gloria Cælitum; per Gloriam DEI, Christi, DEIparæ, *In summa Theol. spirit. c. 5.*

Cælitum,

Cælitum Gloria tua & Proximi tui, per Gloriam tuam Gloria Proximi, & è contra: secundùm plures vel pauciores combinationes eorundem generum Gloriæ. Attamen quia DEUS in hac rerum Providentia & Gubernatione inferiora condidit propter superiora (superiora dico in ratione nobilioris entis, ut v. g. tota machina mundi, inferioris est excellentiæ, superioris homo, eaquè propter hominem, non homo propter mundum creatus est: quanquam etiam aliquo respectu quodpiam superius potest dici esse propter inferius) & superiora propter seipsum: ideo hunc ordinem rectissimum inferiorum & superiorum libenter tenemus ùt alibi, tum quoquè præsenti Tractatu.

CAPUT I.

De Fine Supernaturali Hominis respectu Cælitum.

CÆlites hìc intelligo tum Spiritus Angelicos, tum homines in æterna gloria beatos; de quorum Fine ab homine in vita præsenti intendendo, sequentibus proponimus.

SECTIO I.

De Fine Hominis supernaturali Cui, *respectu Cælitum.*

HIc finis sunt ipsi Cælites in persona sua, inquantùm existunt Objectum aptum dilectionis supernaturalis, & dignum quibus sua Gloria nempè æstimatio, amor, laus, cultus debitus &c: supernaturaliter intendatur & tribuatur: ubi præter motiva dilectionis supernaturalis homini in vita præsenti convenientia suprà specificata; hìc insuper sunt ponenda alia motiva in æterna jam beatitudine Homini & Angelo existenti proportionata, quæ potissimum in visionis DEI & Amoris Beatifici prædicato includuntur. Quippe homo sive Angelus eò sunt majori dilectione cultuquè digni, quò magis participant rationem summi Boni. Iam verò per Visionem DEI & Amorem

3. Part. Tract. I. cap. 1.

rem

rem beatificum rationalis creatura adeò participat DEUM, ut ipsa quoque similis DEO efficiatur teste Apostolo: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*: Tum per amorem ita transformatur in DEUM, quòd unus cum eo fiat Spiritus. Deinde ratio fidelissimæ servitutis, qua illi Beati omnia perfectissimè ad amussim Divinæ voluntatis exequuntur. Deniquè immensus DEI amor prosequens illos ut dilectissimos filios sibi simillimos, ac fidelissimos servos. Hæc omnia sunt potentissima argumenta, quibus moveamur supernaturaliter ad intendendam Gloriam propriam Cælitibus, nimirum æstimationem, amorem, cultum eorum in nobis proximisq; nostris promovēdo. 1, Joan. 3.

SECTIO II.

De Fine Hominis Supernaturali Cujus, respectu Cælitum.

EIusmodi finis est *Gloria Cælitum*; eaquè duplex: alia interna, sita in eorum beatitudine essentiali & accidentali iam possessa; alia externa, quæ per te tuosquè proximos eis obuenire potest, consistitquè in Cælitum cognitione, pretio, amore, cultu, ac exinde illorum accidentali gaudio proveniente. Quia cùm iuxta D. Thomam spectet ad statum beatitudinis, scire Beatos quid illos concernat, concernit autem eos sua æstimatio, amor, cultus apud terrigenas promotus, sequitur eosdem hæc omnia scire seu cognoscere intuitivè in DEO. Ex qua notitia percipiunt magnum gaudium: quia datur eis novum incentivum exultandi de beatitudine sua (intelligo autem hìc nomine beatitudinis omnia dona & bona naturalia, moralia, supernaturalia, essentialia, accidentalia) quam in ipsis mortales appretiant amant, multipliciquè cultu prosequuntur. Hinc exultabundi prorumpunt in laudes, & gratiarum actiones omnium bonorum Largitori.

Praxis dandi Gloriam Sanctis, seu colendi & amandi illos habetur suprà. I. 2. tra. 2. c. 6. sect. 5. subs. 6. § 6.

CAPUT II.

De Fine Supernaturali Hominis respectu JESU, MARIÆ, JOSEPH.

QUod DEUS conjunxit, homo non separet. JESUS enim MARIA, JOSEPH, speciali quodam Relationum vinculo Filiationis & Maternitatis inter JESUM & MARIAM, iuris Matrimonialis MARIAM, inter & JOSEPHUM, Tutoris, Nutrici inter JESUM & JOSEPHUM à DEO sunt conjuncti: Hinc Evangelista sanctus simul Divina Nomina JESUS, MARIA & JOSEPH, posuit. Nimirum ut ternarius hic personarum numerus simul & unum quid morale, adeoquè humana quædam Trinitas repræsentet Divinissimam & superbeatissimam TRINITATEM. Deinde JESUM esse in gloria æterni Patris supremum, eiquè à dextris esse MARIAM, à sinistris JOSEPHUM supra declaratum est. Nefas igitur JESUM MARIAM JOSEPHUM ab invicem separare.

Matth. cap. 1.

1. part. cap. 1. sect. 2. subs. 2.

A JESU autem incipio: quia cognitio singularis dignitatis MARIÆ ex notitia excellentiæ JESU habetur, cùm MARIA quidquid speciale supra omnes creaturas est propter JESUM est, sicut & JOSEPH propter JESUM & MARIAM.

SECTIO I.

De Fine Supernaturali Cui respectu JESU Christi Domini Nostri.

FInem istum esse Dominum Nostrum JESUM CHRISTUM tanquam unicum delicium & decus totius Universi, *Cui* omnis honor & gloria debeatur, manifestum est: sed supereminentem Excellentiam creatam & increatam Christi quis enarrabit? nullus equidem etiam supremus Angelorum. Attamen & tu balbutiens lingva humana quantum potes tantum aude, quia dignus omni laude, etsi laudare non sufficias. Ubi

Ubi tripliciter Christum considero; quà DEUM, quà Hominem sed Personâ Verbi subsistentem, quà Hominem solùm seu ipsius Humanitatem. Quoad primum ratione Divinitatis, ea conveniunt Christo, de quibus in ultimo Tractatu hìc agitur. Quod concernit secundum nempè Humanitatem Christi subsistere, terminari, compleri, perfici, beari Personalitate Filii DEI, utì per communicationem idiomatum hic Homo sit Filius DEI verus DEUS infinitus, immensus &c. id planè est hoc, quòd ea tribuantur huic Homini nempe Christo, quæ conveniunt soli DEO: Quæ dignitas quanta sit, redundans in Humanitatem Christi, is novit & immenso stupore extra se rapitur, qui novit quanta dignitas sit ipsius DEI, de qua infrà pro modulo humano insinuavimus. Tertium quod omni pretio, amore, & laude dignissimum consideratur in Christo, est ipsius Natura humana donis naturalibus & supernaturalibus ornatissima: Quæ cùm constet corpore & animâ; ab eadem ordior tanquam â nobiliori parte constitutiva hominis. Qua in materia rem præstitit egregiè P. Eusebius Nierembergius, cujus verbo & sensu sequentia nonnullis omissis profero.

Tract. ultimo

§ imus.

De Excellentia Animæ Domini Nostri JESU CHRISTI.

Euseb. Nieremb. de Amore JESU c. 18.

Anima Servatoris nostri extra omnem comparationis rationem glorioso ejus corpore pulchrior est, pluribusquè quà naturalibus quà supernaturalibus dotibus exornata. Minima quippe cujuscunquè Animæ pulchritudo, etiam in vita hac misera & ærumnosa, si modò sit illa apud DEUM in gratia, excedit omnem istam pulchritudinem, quâ in cælis prædita erunt rediviva jam gloriosaquè corpora Beatorum, & singulorum & omnium. Ex qua conjectura, si potes, assequere inexplicabilem pulchritudinem Sanctissimæ Animæ Domini Nostri JESU Christi, gratiâ gloriaquè affluentis: in qua præ corpore, expolienda tantò diligentiùs laboravit Sanctus Spiritus, quanto cælum terraquè intervallo distant ac sejunguntur. Quod cùm

 dico,

dico, nihil dico exaggeratiùs, sed longè infra rei veritatem; atque ad rudem nostrum concipiendi modum: nam Anima Christi ob solam gloriam & gratiam, quam vocant habitualem, tantæ est excellentiæ (non considerando pulchritudinem quam à Divinitate accipit) ut, dum eandem per ea, quibus corporis pulchritudinem antecellit, explicare conor & illustrare, perinde faciam, atque si ad Gigantis Goliathi magnitudinem exprimendam affirmarem ipsum majorem formicâ fuisse. Dicere deinde istam Animæ JESU pulchritudinem, longè excedere Seraphinorum cæterorumquè Cælitum pulchritudinem, sive quam à natura habent, sive quam gratiæ beneficio sunt consecuti, æquè ridicula foret auxesis & amplificatio, acsi immensam Cælorum magnitudinem in majus dicendo extollere meditans, grano synapis majores illos esse pronunciarem. Sic igitur statuamus & loquamur. Si pulchritudo corporis gloriosi Christi tam est eximia, qualis & quanta erit Animæ ejusdem pulchritudo? *Et paulò pòst*: Secundùm gratiam Animæ pulchritudo consistit in nobilioribus ejus facultatibus ac potentiis: intellectu scilicet ac voluntate, quas Christus habitibus virtutibusquè nobilissimis instructissimas habuit. In intellectu ipsius *omnes thesauri Sapientiæ DEI absconditi erant* cùm tam multiplicis generis scientia, naturali & supernaturali, infusa & acquisita, atque experimentali. Ejus præterea cum hominibus etiamnum versantis Anima, *facie ad faciem* videbat Divinam essentiam, nec puncto temporis beatissimum hunc aspectum intermittendo, unde existebat in voluntate ipsius, ineffabilis & ardentissimus DEI amor ac hominum, cognoscebatquè præterita, præsentia, & futura; ac universas hominum Angelorumquè omnium futuras per immensam æternitatem cogitationes clarissimè intuebatur. Si ergo lætitiâ exultabat Hebræus populus ob Salomonis Regis sui singularem sapientiam, clementem se eum moderatumquè Dominum habiturum sperans; quantò magis par est gratulari sibi omnes JESU electos & immortaliter gaudere, Caput Regemquè suum eâ Sapientiâ florentem intuentes, quæ securos ipsos reddat fore, ut ab ipso certò ducantur & perducantur ad Regnum suum.

Coloss. 2. v. 2.

Nierembergius citatus c. 19.

Sanctissima JESU Servatoris nostri Anima ornata quoque erat,

erat, & in summo quidem altissimoquè gradu reliquarum omnium virtutum, dignitati ac privilegiis Salvatoris convenientium, habitibus, omnibusquè Spiritûs S. donis. Ornata item & cumulata gratia habituali, quam liberalissimè in illam effuderat idem Spiritus Sanctus, beatissimis ipsam Spiritibus Cælitibusquè omnibus sanctiorem pulchrioremquè longè efficiendo, adeò ut comparationi locus esse nequeat. *Hactenus Nierembergius.*

Verùm hæc sanctitas prout & alia dona naturalia ac supernaturalia Humanitatis Christi ampliùs elucescent ex dicendis infrà de Beatissima Virgine: si enim illa penè immensæ gratiæ & gloriæ particeps fuit, idquè propter Filium, quantò magis Filius ipse? Propter quod enim aliquid tale, ipsum magis; commune fert axioma: *Sect. 3.*

§ 2dus.

De Majestate & Pulchritudine Corporis JESU.

ADoremus modò & consideremus Personam atque dignitatem Christi Domini, videamusquè quantopere reverentiam & amorem summum mereatur, quamvis causas rationesquè alias, nostrasquè ipsorum utilitates missas faciamus. Ea est species & forma, ea conditio atque excellentia boni JESU: ut tametsi bene de nobis meritus non esset, tametsi nos prior non dilexisset, ab hominibus nihilominus amari deberet: imò etsi sexcenta mala ipse nobis intulisset, etsi nos horreret & abominaretur, propter essentiam tamen suam atque magnitudinem diligendus esset. Age intueamur aliquantum pulchritudinem ejus vultûs, virtutes animæ, *& plenitudinem Divinitatis in ipso corporaliter inhabitantem.* *Et paulò pòst Nirembergius*; Sanctissimam Christi Humanitatem ut ab Angelis hominibusquè amaretur DEUS condidit: ideoquè quàm perfectissimam illam & cui nihil deesset, fieri magnopere referebat. Fecit item eandem ut templum esset & habitatio digna totius infinitatis ac plenitudinis Divinitatis: quapropter æquum erat, corpus & animam undique apta esse, omnibusquè suis numeris ac partibus absoluta.

Euseb. Nieremb. cap. 17.

Coloss. 2. v. 9.

Nieremb. cit.

absoluta. *Et paulò infrà* : Subeat nobis aliquando memoria
Cæli Empyrei cujus tanta est pulchritudo, ut simile quidpiam
Isai. 64. v. 4. *neque oculus viderit, neque auris audiverit,* cùm Cælum istud DE-
& I. Corinth. US *præparaverit diligentibus* & timentibus se. Quale ergo existi-
2. v. 9. mandum fore tabernaculum illud, quod DEUS tum sibi ipsi,
tum amicis suis paravit? quandoquidem præcipuum cælestis
gloriæ præmium aspectus erit Sanctissimæ Humanitatis Chri-
sti, in cujus comparatione elegantia omnis ac pulchritudo Cæli
Empyrei sordebit ac vilescet. Illa rapit ad se oculos Beato-
rum: illa suavitate sua & venustate in stuporem admirationem-
què ipsos defiget Angelos : illa deniquè quidquid in Cælo
pulchrum est (& sunt ibi pulcherrima omnia) pulchritudine sua
immensum antecedit. Minimus Beatorum post suam è mor-
Isa. 30. v. 26. tuis suscitationem corpus habiturus est *septies* sole splendidius,
hoc est, ejus lucem splendore suo ac jubare excedet supra quam
dici, cogitarivè potest , quantopere resplendebit itaque ibi is,
Coloss. 1. v. 18. qui est *Caput corporis Ecclesiæ*, Sanctorumquè omnium ; *Primò*
Apoc. 1. v. 5. *genitus mortuorum* & resurgentium: *Antiquus dierum, Dominus glo-*
Daniel. 7. v. 9. *riæ*, Rex *& candor lucis æternæ.* Moderatur ipse & frangit
1. Cor. 2. v. 8. quodammodo radios fulgoremquè suum, si quando in hac
Sap. 7. v. 26. lachrymarum valle servis se suis videndum præbet: & vidisse se
Lib. grat. spir. tamen illum sancta Mechtildis testatur sole millies splendidio-
In vita ejus. rem. Alphonso Rodriquez rei domesticæ S. J. Religiosis-
simo adjutori, per omnem vitam adeò hærebat infixa animo
venustas & modestia pulcherrimorum JESU oculorum ab ipso
conspecta, ut aliud præterea nihil ipsi videre allubesceret. *Et
paulò inferiùs Nierembergius.* Viri cæterà egregii & sapientiæ
laude viribusquè in hoc mundo præstantes, mancipia facti sunt
caducæ perituræquè venustatis, atque ob hanc ipsam regnum
Vide Alexan. aliquibus imperiumquè delatum, & Divini honores tributi fuë-
ab Alex. stra- re: & pulchritudo infinita Regis gloriæ ac DEI mei, nondum
bon. lib. 16. me capit? nondum amorem sibi meum emeretur? ò ridiculi
Diod. sic. li. 12. amatores! O idololatræ pulchritudinis & formæ, in extima cute
de Cath. gent. modicè hærentis, pauloquè post vermibus in pabulum cessu-
Indica. ræ! O larvæ bustuariæ stultissimi cultores , quis vos fa-
scinavit? quis mentem oculosquè vobis rapuit, ut missam fa-
ciatis, contemnatisquè ejus pulchritudinem, amplexus, & castis-
sima

ſima pacis oſcula, in cujus labiis diffuſa eſt copia omnium gratiarum? Quantâ conſolatione quamque honeſtâ voluptate perfundetur pia anima Sponſum ſuum conſiderans, ſplendore, gloria, ac pulchritudine admirabili circumfluentem? conſiderans itidem eum qui homines Angelosquè ſpecie ſua & decore vincit, ſui recordari, pro ſe mori, ad ſe inviſere, ſuumquè pectus ſubire atque ingredi. Aſpiciamus igitur ſæpiùs ipſum in ſolio Majeſtatis ſuæ ad Patris dexteram conſidentem, *decorem indutum, & amictum lumine ſicut veſtimento*; Cælitum omnium oculos ad ſe *Pſalm.* 103. *v.* fixè contuendum allicientem, Angelicosquè intellectus penitus 1. & 2. abſorbentem: cogitemusquè præterea illum Regem ſeculorum ex ſede gloriæ ſuæ nos terræ vermiculos amare, illam Sanctorum Beatitudinem commoda ibi noſtra curare, illam Cæli Pulchritudinem ex eo loco ſe ſincerum adeò fidumquè amicum nobis probare, ut in tanta Majeſtate & Magnificentia conſtitutus, viles nos abiectosquè homunciones ex memoria ſua nunquam deponat. Plurimum quoquè ſingularis ſolatii ac gaudii ingentis affert ſanctæ animæ conſideratio pulchritudinis Corporis Chriſti inter homines mortalem vitam agentis. Ornatiorem & perfectiorem membrorum proportionem, orisquè ſpeciem pulchriorem nè quidem animo concipere poſſumus, quàm in dulcisſimo JESU enituerit: cujus præſentia rapiebat oculos intuentium, & poſt ſe trahebat agmina populorum. Hac ipſa ſpecie, tanquam blandisſima illecebra capti ſunt Diſcipuli à Chriſto: *Niſi enim* (verba ſunt S. Hieronymi) *habuiſſet & in vultu quiddam oculisquè ſidereum, nunquam eum ſtatim* *Epiſt.* 140. *ad* *ſecuti fuiſſent Apoſtoli*: neque ad primum ejus alloquium facul- *Princip. Vir-* tates mox ſuas, familiam, & omnia lubentes volentes reliquiſſent. *ginem.* Beatisſima Virgo Divinitus ſignificavit Sanctæ Brigittæ: quo *Revel. lib.* 4. tempore ipſa in terris Filio ſuo convixit, homines afflictos ideo *c.* 70. & *lib.* eum adire ſolitos fuiſſe, ut ipſius aſpectu ſolaquè præſen- 6. *c.* 1. & 58. tiâ malis ſuis ſolatia certa quærerent, eorumquè obliviſcerentur, improbos verò, eius vultum inſpicientes ad frugem bonam ſe recepiſſe. Adde multos cibi potusquè ac rerum ſuarum immemores aut negligentes, quamvis plures dies cum JESU fuiſſent, perinvitos ab ipſo diſcesſiſſe: Angelos etiam ſpecio-

speciosum formâ præ filiis hominum intuendo, expleri nequivisse. Et verò decebat amore omni ac reverentia dignum esse eum, quem Angelis juxta ac hominibus Pater æternus amandum proponebat, & cujus amorem lege lata seriò imperabat, nimirum ut hac ratione præceptum ipsum tantò suavius redderetur, atque ut non omnes. non mandato solùm Divino velut adigeremur, sed & pulchritudine JESU amabilissimâquè suavitate allecti, naturali quadam animi inclinatione ac propensione ad eundem tenerrimè amandum invitaremur. *Hactenus Nirembergius.*

Psal. 18. & 44. Cant. capitibus omnibus. Matth. 2. Luc. 4. Joan. 7. 1. Pet. 1. Apoc. 22. D. Thom. 3. p. q. 14.

§ 3tius.

Ex Unione Humanitatis Christi cum Persona Verbi tanquam principalissima dignitate, & omnis alterius doni & boni principis ac fonte aliæ innumeræ oriuntur excellentiæ, quarum intuitu est omni appretiatione, amore, laude, cultu, honore, dignissimus. Harum prærogativarum aliquas enumero *Imò*. Quòd Christus sit supremum caput & decus totius Universi, quippe ipse testatur datam sibi esse *omnem potestatem in Cælo & in terra.* Ipse *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Et: *DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Item Pater *omne judicium dedit Filio*: & ipse habet claves vitæ & mortis. Deniquè Apostolus tum præinsertum titulum, tum alios sequentes tangens inquit: *Gratias agentes DEO & Patri, qui dignos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum: qui est imago DEI invisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terra visibilia & invisibilia; sive Throni, siue Dominationes, sive Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum & in ipso sunt creata: & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est Caput corporis Ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt.* Hactenus Apostolus.

Matth. 28. Apoc. 19. Philip. 2. Joan. 5. Epist. Coloss cap. 1. vers. 12

2dò.

2dò. Christus est Redemptor noster & Salvator scilicet à gravissima Tyrannide peccati, diaboli, æternæ mortis: sed quanto pretio redempti? Respondet Apostolus: *Empti estis pretio magno.* Et ipse Dominus: *Filius hominis venit dare Animam suam redemptionem pro multis.* En infinitum pretium Anima Christi juncta Divinitati! 1. Cor. 6. Matth. 20.

3tiò. Est Mediator, Advocatus noster apud Patrem: unde Apostolus: *Unus mediator DEI & hominum homo Christus JESUS qui dedit redemptionem seipsum pro omnibus.* Et: *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* 1. Tim. 2. 1. Joan. c. 2.

4tò. Est Pastor noster. Ast qualis? Ipse Dominus ait: *Ego sum Pastor bonus: & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ: & animam meam pono pro ovibus meis.* At qualis Pastor iste, qui pascit nos pane & potu cælesti, omne delectamentum suavitatis in se continente? nempe seipsum in Eucharistia tribuit nobis in edulium ac refectionem, ut vitam habeamus, & abundantiùs habeamus. Joan. 10.

5tò. Christus est *Via, veritas, & vita* nostra: vita inquam nostra in præsenti per multiplicem gratiam & carismata S. Spiritûs, in futuro per æternam gloriam, cùm ipse sit futurus primarium objectum ineffabilis & perpetuæ felicitatis ac beatitudinis nostræ. Joan. 14.

Atque hæc sunt argumenta, tum & alia præcedentibus §§. tum *alibi posita* ex innumeris pauca, & pro imperfecto nostro cognitionis modulo modicè adumbrata, quibus incitamur ad dandam Gloriam Domino Nostro JESU Christo. 1. 2. tra. 2. c. 3. sect. 3.

SECTIO II.

De Fine Supernaturali Cujus, *respectu Domini Nostri JESU Christi.*

IS finis est Gloria Domini Nostri JESU Christi: una intrinseca, posita in sua Divino-Humana beatitudine: extrinseca alia,

alia, sita in Angelica & humana Christi immensæ dignitatis ac excellentiæ multiplicis cognitione, appretiatione, amore, laude, cultu. Quæ Christus referens ad Gloriam sui æterni Patris, exinde gustum, oblectamentum & gaudium accipit. Porrò hunc modum explicandi Gloriam Christi esse bonum, patet per proportionem ad Gloriam DEI infrà explanatam.

Tract. ultimo.

Praxis glorificandi seu colendi & amandi Christum suprà fusè porrigitur.

l. 2. tra. 2. c. 3. sec. 3. & c. 6. sec. 5. subs. 6. § 4.

SECTIO III.

De Fine Supernaturali Cui, respectu DEIPARÆ.

HIc finis est Beatissima Virgo MARIA in sua incomprehensibili excellentia. Quam hîc velle usque quaquè describere, esset velle immensum Oceanum exiguo calamo exhaurire. Unde *S. Augustinus* inquit: Quid dicam pauper ingenio, cùm de te quidquid dixero minor laus sit, quàm dignitas tua meretur. Et quidam etiam celebris sic ait Doctor.

S. August. ser. 35. de sanctis.

Si fieri posset, quòd arenæ, pulvis, & undæ,
Undarum guttæ, rosa, gemmæ, lilia, flammæ,
Æther, Cælicolæ, nix, grando, sexus uterquè,
Ventorum pennæ, volucrum & pecudum genus omne,
Sylvarum rami, frondes, avium quoque pennæ,
Gramina, ros, stellæ, pisces, angves, & aristæ,
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
Lingvæ cuncta forent, minimè depromere possent
Quæ sis vel quanta Virgo Regina MARIA!

Petr Comestor. alias manducator Eccl. Trecensis Presbyt Magis historiæ Scholasticæ & in fine lib. de Laudibus B. V. MARIÆ.

Attamen quantum per tenuitatem mentis humanæ, & brevitatem hujus Operis licet, consideremns hoc mare gratiarum MARIAM, omni pretio, honore, amore, gloriâ dignissimam.

§ imus.

Ordior à dignitate Maternitatis DEI, cujus intuitu MARIA est, quod est. S. Anselmus: *Intendat mens humana & contempletur,*

S. Anselm. lib. de excellen. Virg. cap. 3.

templetur, videat & admiretur unum: Filium sibi consubstantialem DEUS Pater genuit, hunc sibi tam unicum & in omnibus omnino æqualem non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse B. MARIÆ unicum & naturalem Filium. Idem: *Hoc solum de S. Virgine prædicari, quòd Mater DEI est, excedit omnem altitudinem, quæ post DEUM dici vel cogitari potest, & altissimum quid habet ad contemplandum & ruminandum mens humana.* S. Bernardinus: *Quòd DEUS generaret DEUM nulla requirebatur in DEO dispositio, cùm ei ex natura sua conveniat, ut per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia sibi æquale: imò impossibile est quòd non generet DEUM propter suam fæcunditatem; sed quòd foemina pareret & conciperet DEUM, est & fuit miraculum miraculorum: oportuit enim foeminam elevari ad quandam quasi æqualitatem Divinam, per quandam infinitatem perfectionum & gratiarum, quam nunquam creatura experta est. Unde ut credo, ad illam abyssum imperscrutabilem omnium Charismatum S. Spiritus, quæ in B. Virginem descenderunt in hora Conceptionis, intellectus humanus vel Angelicus nunquam potuerunt attingere.* S. Thomas Ex quo solvit illam difficultatem cur scriptura pauca admodum habeat de B. Virgine *Quid ampliùs quæris? quid ultra requiris in Virgine? sufficit tibi quod DEI Mater est, quòd de ea natus est JESUS, hæc longa & nobilissima historia plenissimaquè est.* S. Bonaventura: *Mater Domini, Mater & Virgo, Mater dignissima, ipsa est Mater quæ tali Filio est decentissima; ipsa est Mater, cui talis Filius fuit decentissimus; ipsa est quâ majorem DEUS facere non potest.* Dionysius Carthus: *Non irrationabiliter asserunt quidam magni Theologi, quòd ratione hujusmodi Maternæ fæcunditatis Maternitatisquè DEI, B. Virgo MARIA sit dignitatis quoddammodo infinitæ cum omni ergo reverentia veneranda, nominanda & cogitanda est nobis, atque post DEUM ferventissimè diligenda.*

Idem ibidem cap. 2.

S. Bernardinus serm. de B. V. cap. 12.

S. Thom. de Villanovi serm. 2. de Nativit.

S. Bonav. specu. lect. 10. vel cap. 8.

Dionys: Carth. serm. 1. de Concept. B. V.

§ 2dus.

Imperceptibilis excellentia Virginis Matris consequens ejus Maternitatem Divinam est immensa magnitudo multiplicis gratiæ DEI, recepta in Anima ejus superbenedicta. Quam præeminentiam quis animus capiet? quæ lingva hunc conceptum inconceptum verbo excipiet? Verùm felicitas sit nostra deficere

deficere indeficienti laude MARIÆ, quæ in se mentem attonitam totam rapit. Porrò summam plenitudinem omnis gratiæ in DEIpara fuisse asserit Angelus Gabriel eam salutans. *Ave gratiâ plenâ.* Quod exponens *S. Hieronymus in serm. de Ejus Assumptione* dicit: Bene gratiâ plenâ, quia cæteris per partes præstatur, MARIÆ verò se totam simul infudit gratiæ plenitudo. Hinc *D. Thomas* ait: Quòd quantò magis aliquid appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principii. Unde ait *Dionysius*: quòd Angeli qui sunt DEO propinquiores, magis participant de bonitatibus Divinis quàm homines. Christus autem est principium gratiæ, secundum Divinitatem authoritatemvè, secundùm verò Humanitatem instrumentaliter. Unde & Joannes: *Gratia & veritas per JESUM Christum facta est.* Beata autem Virgo MARIA propinquissima fuit Christo secundùm Humanitatem: quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo præ cæteris majorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere. Respondet enim D. Thomas præ cæteris habuisse Virginem majorem gratiæ plenitudinem, quia est Christo conjunctior quàm cæteri. Non explicat autem D. Thomas de qua plenitudine loquatur, intensiva scilicet vel extensiva, unde videtur sentire de utraque esse intelligendum, & de omni gratiarum genere, quod à Christo ut à primo gratiæ fonte manat.

V. Suarez in 3. par. tom. 2. q. 27. a. 5. — D. Thom. p. 3. q. 27. art. 5 — Dionys. 4. c Cæl. hierarch. — 1. Joan.

Sed iam in specie prærogativas gratiæ & gloriæ Beatissimæ Virginis pro modulo nostro consideremus.

Imò. Juxta *P. Suarez* Pium & verisimile esse credere gratiam Virginis in prima Sanctificatione (*id est in instanti suæ usque ad Conceptionis facta*) intensiorem fuisse quàm supremam gratiam, in qua consummantur Angeli & homines. Solet ad hanc veritatem accommodari illud: *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*, quia ibi fundamenta sanctitatis Virginis posita fuerunt, ubi alii Sancti consummantur. *Quia diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob*; neque mirum *quia Altissimus, qui illam fundavit, in ea factus est homo.* Licèt enim in mystico sensu argumentari, præsertim cùm Ecclesia hujusmodi scripturas Virgini accommodet. Et in eundem sensum videtur Gregor: lib. 1. Reg. cap. 1. explicare Isa: 2. *Et erit præparatus Mons Domini in*

P. Suarez in 3. p. D. Thom. tom. 2. q. 27. art. 3. 6. disp. 4. sect. 1. — Psalm. 86.

Vertice montium. *Poteſt*, inquit, *hujus montis nomine Beatiſſima Virgo deſignari* &c. in vertice autem montium, intelligi poteſt fuiſſe, quia gratia, quæ in aliis fuit finis & terminus, illi initium ac fundamentum fuiſſe videtur. Ratio verò propria hujus Concluſionis ſumenda eſt ex D. Thoma hìc quia ſcilicet Beatiſſima Virgo conjunctiſſima fuit Verbo. *Et paulò pòſt Suarez.* Poteſt autem hæc ratio ampliùs explicari ex Laurentio Juſtiniano dicto ſerm: de Nativ: Virginis. Quia Beata Virgo in inſtanti ſuæ ſanctificationis plùs amabatur à Verbo, quàm ullus Angelus vel homo, ſed gratia reſpondet amori, & eſt quaſi objectum ejus; ergo major gratia illi data quam haberent Angeli etiam beati. Major patet, quia ex illo inſtanti amabat illam Verbum ùt futuram ſui Matrem. Totus autem hic amor debetur Matri, & tota hæc perfectio gratiæ optimè quadrat cum tanta dignitate. Unde eleganter Petrus Damianus ſerm: de Annunciat: dixit. *Attende Seraphim, & videbis quidquid majus eſt, eſt minus Virgine, ſolumque Opificem iſtud opus ſupergredi.* Et S. Vincent: Ferrer: Serm: 1. de Nativitate Mariæ apertè idem ſentit dicens, fuiſſe ſanctificatam Virginem in utero Matris ſupra omnes Sanctos & ſupra omnes Angelos, accommodans illud Pſalm: 41. *Fluminis impetus lætificat Civitatem DEI.* B. Bernard: Serm: de Nativit: Mariæ & clariùs Damas: ſolam dicunt Beatam Virginem etiam ante Filii Conceptionem fuiſſe Angelis præſtantiorem. Quia licèt nondum in re ipſa eſſet Mater effecta: tamen jam erat ad hanc dignitatem deſtinata, & ipſammet Perſona Verbi illam amabat, & ſanctificabat, ut perſonam ad ſe valde pertinentem, & futuram Matrem ſuam. Quæ ratio etiam de prima ſanctificatione procedit.

2dò Certum eſt datas eſſe Virgini ſimul cum gratia omnes virtutes per ſe infuſas, & omnia Spiritûs Sancti dona. Hoc conſtat: quia hæc omnia veluti ex natura rei gratiam conſequuntur. Unde Athanaſ. Serm: de Sanctiſſima DEIpara ad Virginem applicans illud; *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus*: dicit in eam deſcendiſſe Spiritum Sanctum cum omnibus ſuis virtutibus eſſentialibus. Bernard: verò Serm: quodam de Aſſumpt: ad eandem Virginis ſanctificationem accommo-

Suarez in 3. p. D. Thom. tom. 2. q. 27. art. 3. uſque ad 6. diſp. 4. ſect. 2.

commodat illud Proverb. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem*; quas dicit esse, septem Spiritûs Sancti dona.

Ibidem sect. 6. 3tiò. Suppono justitiam Originalem fuisse quoddam donum sanans naturam, constituendo perfectum ordinem inter DEUM & hominem, & inter partes seu appetitus hominis inter se, ita, ut inferiora superioribus, & Omnia DEO essent perfecte subjecta: Hoc autem Donum (ùt opinor) nihil intrinsecum erat in homine præter gratiam in essentia animæ existentem, & virtutes omnes per se & per accidens infusas in gradu heroico, quibus adjungebatur specialis DEI providentia & custodia ùt latius in 1. p. 9 95. ostendi.

Ex quo colligitur primo fuisse in Virgine potissimos effectus Originalis justitiæ, non tamen omnes qui ad statum Innocentiæ seu Originalis justitiæ pertinebant.

Primum constat, quia habuit superiorem rationem seu portionem perfectissimè subjectam DEO, & inferiorem rationem & appetitum superiori absque ulla discordia Et ideo rectè dicitur habuisse integritatem naturæ in ordine ad humanas operationes. Secundum etiam est evidens, quia fuit capax tristitiæ, timoris, & similium affectionum, quæ in statu Originalis justitiæ non erant. Et similiter habuit corpus passibile quod defatigabatur & morti fuit subjectum, à quibus omnibus præservabatur homo in isto statu.

4tò. Dicò Beatam Virginem in fine vitæ pervenisse ad summam & (ut ita dicam) immensam gratiæ perfectionem & intensionem. Probatur primò ex modo loquendi SS. Patrum. *Ibidem q. 37. art. 4. disp. 18. sect. 4.* Damascenus enim orat: 2. de Assumpt: *gratiæ abyssum* Virginem vocat. Epiphanius orat: de laudibus Virginis. *Gratia* inquit *S. Virginis est immensa.* Et infrà vocat eam, *mare Spirituale habens gemmam cœlestem Christum.* Et infrà: *Solo DEO excepto cunctis superior existis, cui prædicandæ, neque hominum neque Angelorum lingua sufficit.* Sic etiam Anselmus de excellentia Virginis cap. 3. inquit: *Nullus hominum vel Angelorum penetrare potest immensitatem Divini amoris erga Virginem.* Et infrà. *Ineffabilis est & stupenda omni seculo hujus mulieris gratia & exaltatio.* Et cap. 8. post multa concludit, *Quid ampliùs dicere possum Domina, immensitatem*

tatem quippe gratiæ & gloriæ & felicitatis tuæ considerare incipienti & sensus deficit, & lingua fatiscit. Sic etiam Bernardus Serm. 4. de Assumptione, ineffabile vocat privilegium meritorum Sanctissimæ Virginis: & Bernardinus dicto Serm. 51. tantam dicit esse perfectionem Virginis, ut soli DEO cognoscenda reservetur. Multa similia habet Andreas Cretensis Orat. de dormitione Virginis, ubi inter alias vocat eam omnis sanctitatis sanctissimum thesaurum. Ephrem quoque in Orat: de laud. Virginis inter alia inquit: Sanctior Cherubin, Sanctior Seraphin, & nulla comparatione cæteris omnibus superis Exercitibus gloriosior. Bonaventura in speculo Mariæ capitulo 5. immensa certa fuit gratia quâ ipsa fuit plena. Deniquè verba illa quibus Ignatius in epistola prima ad Joannem eam vocat cæleste prodigium & sacratissimum spectaculum, satis indicant hanc gratiæ immensitatem.

5tò Probabiliter credi potest Beatam Virginem consecutam esse plures gradus gratiæ & charitatis, quàm sint in omnibus sanctis hominibus & Angelis etiam collectiuè sumptis. Itaque si mente concipiamus ex multitudine gratiarum Sanctorum Omnium unam intensissimam gratiam consurgere (quod solum explicandæ rei gratiâ dictum sit) non adæquaret intensionem gratiæ Virginis. Conclusio hæc ab scholasticis, antiquisquè scriptoribus non disputatur, & ideo fortasse in terminis à nemine reperietur asserta, sicut etiam neque negata est, neque improbata, fit tamen probabilis & verisimilis, cum testimoniis & conjecturis adductis suprà tunc etiam iis quas modò adiiciemus. Primum enim SS Patres ubicunque loquuntur de gratia Virginis & gloria (perinde namque est) tam magnificè de ea sentiunt & loquuntur, ut non solùm prædictam perfectionem sed majorem etiam illi attribuere videntur. Ildefonsus Serm. 2. de Assumpt: Sicut est incomparabile quod gessit, & ineffabile quod percepit, ita est incomprehensibile præmium gloriæ quod meruit. Andr. Cretensis Serm. de dormitione DEIparæ talem ac tantum dicit esse statum gloriæ Virginis, ut quia nec discerni possit, honoretur silentio. Et infrà. Quæ habes cum aliis non comparabilem appellationem, quæ excepto solo DEO & omnibus altior. Ac deniquè concludit. O Sancta & Sanctior & omnis sanctitatis sanctissime

Idem Ibidem.

sanctissime thesaure. Petrus Damianus Serm. de Assumpt: *Virgo* inquit, *inter animas Sanctorum & Angelorum Choros supereminens, & evecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit*, ubi illæ duæ particulæ *singulorum & omnium* energiam aliquam habere videntur: & ibidem dicit superare Virginem ita alios Sanctos in gratia sicut sol in luce & claritate stellas excedit. *Et paulò infrà Suarez.* Bonaventura opusculo de laudibus Virginis cap. 7. ex sententia Patrum docet DEI gloriam magis in sola Virgine, quàm in cæteris DEI operibus purè creatis relucere, atque adeò perfectiones omnes in cæteris rebus divisas ac distributas, in Virgine B. excellentiori modo esse congregatas; & accommodat verba illa, *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Quia omnia flumina gratiarum intrant in Mariam, & dignitatem ejus non excedunt. Unde *sicut in mari*, inquit, *aquarum, ita in Maria sunt congregationes gratiarum.* Quod Hieronymi verbis confirmat dicentis. *Cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simul se tota infudit gratiæ plenitudo.* Affert etiam id Eccl. 24. *In plenitudine Sanctorum detentio mea*: & cum Bernardo sic explicat: *Ideo in plenitudine sanctorum MARIÆ detentio fuit, quia in mirifica perfectione sua plenitudo perfectionis omnium Sanctorum illi non defuit.* Quod postea declarat discurrendo per singulas virtutes & gratiarum genera: possumus autem eadem ratione per omnes gradus gratiæ sanctificantis discurrere: horum enim collectio & congregatio multò magis ad illius perfectionem pertinet.

NB. Contemplatio Divinarum perfectionum in B. V.

Rationes asserti affert *Suarez* quarum prima est, quia dignitas Maternitatis DEI in suo genere est infinita; jam verò DEUS tribuit gratiam proportionatam statui & muneri: unde etiamsi in infinitum illa gratia intenderetur, nunquam excederet terminos aut debitam proportionem illius dignitatis.

Ibidem.

2da est: quia DEUS plus amat Virginem, quàm omnes Sanctos: ergo plus gratiæ illi confert: gratia enim respondet amori DEI erga personam quam perfectè amat. Antecedens probatur: quia talis amor videtur debitus Matri. Unde S. Augustinus (prout refert Bonaventura in speculo Mariæ cap. 6.)

ad

ad Virginem sic loquitur. *Te ipse Rex Regum, ut Matrem veram & decoram sponsam præ omnibus diligens, amoris amplexu sibi associat.*

3tia est: quia actus perfectæ charitatis, quos Beata Virgo habuit in hac vita, innumerabiles fuerunt, ita ut eorum multitudo possit fortassè cum numero Sanctorum omnium conferri: quia (ut ostendimus) ferè totam vitam in perpetua contemplatione transegit, in qua feruentissimè DEUM amabat, & hunc amoris actum frequentissimè repetebat. Præterea ostendimus non minùs meruisse Beatam Virginem, quolibet horum actuum, quàm meruit supremus Angelus illo actu perfectè libero, quo meritum suum consummavit. Unde fit consequens, sæpissimè singulis actibus plus meruisse Beatam Virginem, quàm singulos homines Sanctos omnibus actibus vitæ suæ: quia meritum supremi Angeli non fuit minùs perfectum quàm totum meritum cujuslibet hominis; saltem regulariter loquendo (ut abstineamus à quæstione non necessaria, an scilicet aliquis homo præter Virginem, majorem gratiam consecutus fuerit, quàm supremus Angelus) igitur si hujusmodi actus meritorii B. Virginis adæquant numerum omnium Beatorum, planè consequitur, etiam gratiam ejus superare gratiam omnium illorum. Si verò numerus actuum est inferior numero Sanctorum (ut credi facilè potest) compensari potest hæc inæqualitas. Primò, gratiâ ipsâ quæ data fuit Virgini ex opere operato. Secundò perfectione & valore singulorum actuum: nam etiam meritum primi Angeli excedit merita multorum inferiorum simul sumpta. Tertiò augmento & ipsorum majori intensione actuum: non enim fuerunt omnes inter se æquales, sed quò gratior fiebat auctior, eò actus ab illa procedentes erant intensiores & majoris meriti. Quæ omnia si exactè computentur, fit revera valde probabile & verisimile quod asserimus: in re enim adeo obscura & non apertè revelata non est quærenda major certitudo. *Hactenus Suarez.*

Vide supra dicta de amore B. V. in DEUM sub Charitate.

Ut exsuperantia hæc gratiæ MARIANÆ utcunquè percipiatur, pro confesso habeo, quod gravissimi Theologi non sine fundamento & cum ratione piè adstruunt Virginem MARIAM quolibet singulari opere gratiam priorem duplicasse; si namquè

Nieremberg. de Amore B. V. c. 19.

Angelis primo creationis suæ momento istiusmodi gratiæ augmentum conceditur, quidni Reginæ Angelorum in perpetuum semperquè concedatur, quæ nullum unquam DEO impedimentum objecit, verùm quidquid demum ageret, gratiæ quam possidebat, ac S. Spiritus motioni congruenter, operabatur, idque ita indesinenter, ut nec somnus illius meriti expers esset? His pro certo acceptis, post accuratam diligentemquè supputationem, consequens est illud, Beatam Virginem, tametsi, dum concepta fuit, nonnisi unicum gratiæ sanctificantis gradum habuisset; illam tamen in tantum ab ipsa auctam amplificatamquè fuisse, ut biduo transacto, solis primis duabus horis consequentibus, etiamsi plures actus bonos interea non exercuisset, quàm singulis horæ quadrantibus unicum, nihilominus ampliorem gratiam meritura fuerit, quàm omnis in Beatorum sedibus electorum multitudo, quantumvis tot illi forent, quot arenæ grana caperet orbis universi ambitus à centro terræ ad Cælum usque sidereum, vacuo isto omni ex parte impleto, juxta subductionem Archimedis, & P. Christophori Clavii. Adde hoc etiamnum verum futurum, quamvis cuilibet, ex innumerabili hoc Beatorum numero, decem gratiæ graduum milliones tribuamus. Atque hæc meritorum Virginis supra merita tot Prædestinatorum excellentia, illum ipsum arenæ numerum sæpiùs continet & in se complectitur, quàm conficiant mille quingenti nonaginta sex milliones, & nongenta ac viginti octo millia. Quodsi igitur, Virgo admirabilis vel unico gratiæ gradu à principio Conceptionis suæ instructa, primis illis duabus post biduum horis, quamvis singulis horæ quadrantibus unicum solum opus meritorium exercuisse poneretur, tantum tamen præstitit aliis omnibus; DEUS bone? quid non fecerit duobus & septuaginta quos vixit annis, diu noctuquè merendo, ac quolibet momento priora omnia merita conduplicando, illumquè honestissimum quæstum ita instituendo, ut nec præcipuus Seraphinorum

Vide D. Scherlogum in illud Cant. 5. v 2. Ego dormio & cor meum Vigilat; & quos ille ibi, & ubiquè in virginis laudem numerosissime adducit, item Ghislerium & Lud. à Ponte. Clavius Comment. in caput sphæræ Joann. de sacro-Bosco sub finem, mihi pag. 120 operum Tom. 3. Amabo te, vide hunc calculum ex parte expressum in libello Duaci & Coloniæ edito qui inscribitur stultitia mundi, c: 5. §. 4. ubi æternitas expenditur.

Tot annos DEIparæ tribuunt Simeon Metaphrastes, Georgius Cedrenus, Epiphanius Presbyter Constantinopolit. & alii. vide à Castro cap. 29. num. 19. & Colvener. in Kalend. Festo Assumpt. B. Virg.

phinorum, nec Cælitum aliorum primus, cum tanta gratia viam vitamquè suam consummaverit, quantâ eam cœpit MARIA; quæ citra comparationem major fuit, ipsaquè minimâ actionum suarum ampliùs meruit quàm per totum vitæ decursum maximus Sanctorum! Quid si ad ista adjungas gratiam, quæ velut ex opere operato aut liberaliter, nullo ad merita ejus respectu, Virgini ex alia atquè alia occasione donata fuit, uti in Filii DEI incarnatione, nativitate, passione, resurrectione, in adventu S. Spiritus, & deinceps, in participatione Sacramentorum, ac præsertim Sacrosanctæ Eucharistiæ, quam quotidie sumebat? qua in re illud non indiligenter observandum, cùm in adultis Sacramentorum gratia respondeat suscipientis dispositioni, MARIÆ autem dispositio tam fuerit admirabilis, quasiquè immensa, necessariò parem præparationi tali gratiam collatam ipsi fuisse. Perge nunc considerare reliqua dona Spiritûs Sancti, cætera privilegia Beatorum & Angelorum, eorumquè excellentias: nec dubita, omnes universè ac separatim singulas in una hac Virgine eminenter, ut ajunt, modoquè quodam sublimiori reperiri, & ipsam solam, proprium quendam atque peculiarem Principatum constituere, &, si ita loqui liceat, Hierarchiam aliquam universalem, ac plurima Angelis patefacere, eosquè Diviniori lumine collustrare & docere. *Hucusquè Nierembergius.*

Vide Hortul: Marian. P. c. Croix, areola 5. cap. 9. ubi pulchrè docet modum imitandi B Virginem in sumendo hoc Sacramento.

6tò. De virtutibus & donis Beatissimæ Virgini collatis actum supra, ubi de virtutibus & donis S. Spiritûs in genere & specie.

7timò. Quantum ad Gloriam DEIparæ: Certum est Beatam Virginem superare in perfectione beatitudinis omnium hominum & Angelorum Hierarchias. Hæc est veritas fidei quam Ecclesia confitetur illis verbis: *Exaltata est Sancta DEI Genitrix super Choros Angelorum ad Cælestia regna.* Et eam ut certissimam universa Ecclesia amplexa est. Unde *Anselmus* de Excellentia Virg. cap. 4. *Tota* inquit *Christianitas novit, quæ illam super omnes Cælos exaltatam & Angelicis Choris prælatam certissimè credit. Et paulo post Suarez:* Probabiliter credi posse superare Virginem in perfectione visionis beatæ non solùm singulos

Suarez in 3. D. Thom. quæst. 37. disp. 21. art. 4. sect. 3.

Sanctos Angelos vel puros homines, sed etiam universas omnium perfectiones in unum collectas. Sensus hujus assertionis ejusquè fundamentum ex supradictis de gratia & meritis B. Virginis petenda sunt. Nam (ut Ildephonsus loquitur serm. 2. de Assumptione) *sicut est incomparabile quod gessit, & inæstimabile quod accepit, ita est incomprehensibile præmium gloriæ quod meruit.* Quæ verba cum aliis multis Sanctorum Patrum testimoniis retuli disput. 18. sect. 4. quæ hoc loco repetere molestum & supervacaneum esset. Addi verò potest quod Bonav. lib. de Laudibus Virg. ex Patrum sententiis dicit; DEI gloriam magìs in sola Virgine quàm in cæteris DEi operibus (Christum semper excipio) enitere. Quod verum non esset nisi omnium, bona & perfectiones gloriæ in Virgine essent congregatæ. Unde concludit: *Gloriosum, gloria MARIÆ, privilegium est, quòd post DEUM major nostra gloria & majus nostrum gaudium ex MARIA est.*

§ 3tius.

Gratia & Gloria interna Animæ Virginis Beatissimæ redundans externè in ejus Virgineum Corpus, tum simul eius glorificationis dotes, quàm illud omni pulchro pulchrius, lucido lucidius, venusto gratiosius reddant; libet *Nierembergium* tanto decori intentum ita disserentem audire: Non desinamus itaquè unquam admirari stupendam magnitudinem summamquè perfectionem Beatissimæ MARIÆ Virginis, quæ verè est miraculum miraculorum; & velut primitiæ Omnipotentis brachii DEI, se dignum opus molire gestientis. Zeuxis pictor inprimis nobilis, egregium artis suæ specimem Crotoniatis relicturus, quinque formosissimas puellas delegit, ut quidquid in eis esset eximiæ venustatis, id in imaginem, quam exprimendam sumpserat, transferret. DEUS verò immortalis, cum MARIAM vellet efformare, quidquid vel natura omnis vel gratia pretiosum habebat, quidquid in Sanctis universis Angelorumquè choris excellens erat; collegit, eaquè ut ita dicam, diligentia ac liberalitate amori suo nondum satisfaciens varias ipsius imagines multò antè delineavit, nobisquè reliquit in tot quæ veteri in testamento præcesserunt figuris, tanquam si operi huic absolutissimo

Nierembergius de amore in B. Virg. cap. 17.

Cic. lib. 1. de invent. sub initium.

lutisſimo vereque Divino artis ſpecimini elaborando, eo pacto proluderet, interea dum ejusdem edendi dies tempusquè appareret, ſimulacris illius iconicis jucundè ſe oblectando. Negari equidem non poteſt quin Animæ Virginis pulchritudo ac dona iſta ſingularia, quibus eam Spiritus Sanctus cumulavit, corporis perfectionem longè ampliùs ſuperent, quàm anima ipſa corpore nobilior eſt: veruntamen quia ſtupor noſter atque imperitia ſpiritualem decorem parum aſſequitur, multòquè efficacius iis permovetur, quæ in ſenſus externos incurrunt: ea propter corpoream Reginæ noſtræ pulchritudinem quanquam venuſtatis ipſius partem planè minimam paucis attingam & delibabo: Hominem omnino nullum ſed nec aliam quampiam creaturam condidit aut condet bonus DEUS, moribus commodiorem, modeſtiorem, ſpecioſioremquè MARIA: cujus Majeſtas & honeſtiſſima oris ſpecies ingenti admiratione defigebat ſuos ſpectatores, proinde, atque ſi iam Cæleſti gloria Virgo ſacratiſſima perfrueretur: ſanctum Dionyſium Areopagitam, DEIparæ venuſtate obſtupefactum, legiſti, ſanctè conteſtantem, niſi fidei religione prohiberetur, unicum Lumen agnoſcentis; ad primum Virginis conſpectum, Cælos ſe iam ſubiiſſe, eamquè DEUM eſſe, certò ſibi perſvaſurum. Quæ ſi vir ſanctisſimus, aptusquè talium arbiter dicebat, & ſentiebat de exteriori forma Virginis; in hac lacrymarum valle adhuc verſantis: quid nos par eſt exiſtimare de ejus pulchritudine ſpiritali, ad quam prior illa nihili inſtar habet? Complures moerore oppresſi & afflicti, MARIA adſpectâ, recreabantur, ſolatioquè ſingulari perfundebantur, atque eam ob cauſam ipſam inviſebant: nequè ad devotionem ſolùm & præcipuam quandam animi lætitiam ſpectatores ſuos excitabat Mater amabilis, ſed honeſtatis inſuper puritatisquè amorem in iisdem accendebat.

Plures externæ pulchritudinis, quâ Virgo Mater admirabilis fuit, teſtes recenſet, meque adnotandi labore levat P. Franciſcus Peïtræus Triplicis Coronæ Tract. 1. capite 6. S. Brigit. in revel. & alii. vide Rutilium Benzonium in Magnificat lib. 3. c. 34 dub. 7. & ſeqq. fuſisſimè. Item P. Lorinum ad v. 3. Pſal. 44.

Jurè igitur & verè S. Joannes Damaſcenus beatisſimam Virginem appellat *Ornamentum generis humani, & univerſæ creaturæ decus.* Sanctusquè Auguſtinus eam alloquens, *ſi formam,* inquit, *DEI (te) appellem, digna exiſtis.* Qui erat quoque ſenſus

ſus Magni Areopagitæ, teſtis oculati. Fuit quippe MARIA usque adeò perfecta in omnibus, ut ſi DEI Mater non foret, ſummo nihilominus jure, ob eximiam cæleſtium donorum gratiarumquè, quibus inſtructa fuit, copiam ac præſtantiam, orbis univerſi dominatus ipſi deberetur. Fama de venuſtate ipſius & majeſtate inter primos Chriſtianos pervagata, atque ex una in aliam provinciam latè diffuſa, & à majoribus velut per manus, poſteris tradita, tanta fuit, ut nonnulli in errorem lapſi, Deam aliquam Virginem eſſe putaverint : in quo tametſi foedè hallucinati ſint illi, & Divina perſona neque ſit, neque eſſe poſſit MARIA; talis nihilo ſecius eſt ac tam præſtans, ut ſecundùm immortalem DEUM ſuperiorem omnino habeat neminem.

Quis nunc ergò explicabit nobis & ediſſeret, quânam modò gloriâ maieſtatequè refulgeat Regina Cælorum? Univerſa cæli empirei pulchritudo, cœnum erit & vile lutum comparata Virgini, quæ Beatis omnibus ſplendore ſuo tantùm antecellit, quantùm Angeli Cælitesquè ſimul omnes, etſi propè innumerabiles, numero ipſam exſuperant: De ejus ſplendore loquens Doctor quidam ait. *Si omnes arenæ maris, omnia terræ gramina, omnes atomi ſolares, omnes ſtellæ Cæli mutarentur in totidem ſoles, hi tamen ſimul juncti non æquarent claritatem Virginis MARIÆ.* Confirmabit hoc amplius Adoleſcens ille, de quo graves Authores memorant, quorum tibi verba cum fide reddo: elegantiora dabunt quos ad extremam oram adſcriptos invenies. *Clericus quidam Beatæ MARIÆ devotiſſimus, crebris eam precibus fideliter exorabat, ut ſibi ſuam pulchritudinem oſtendere dignaretur, quæ in ſcripturis ſacris ſæpiùs commendatur, ut eſt illud Canticorum* 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te, &c. Item *Cant.* 7. Quàm pulchra es, & quàm decora charisſima in deliciis tuis! &c. *Cujus piæ petitioni Mater miſericordiæ annuens, per Angelum ei mandavit, quòd tali horâ ſibi appareret, ſed tamen ſciret, inconveniens & indignum eſſe, oculis, quibus eam videret, poſteà terrenum aliquid cernere. Cùm autem reſponderet Clericus; ſe non curare, ſi poſt ejus viſionem fieret cæcus, tamen Angelo diſparente, coepit anxiè cogitare, quia ſi viſum penitùs amitteret, eum mendicare de cætero oporteret. Excogitavit ergo conſilium, uno oculo clauſo alterum tantùm ad* eam

Vide Franc. de la Croix Hort Mariani areola h. cap. 14. Damaſc. orat. 1. de Aſſumpt. & S. Cyril. hom. in Neſtorium t. 6. Conc. Epheſ. cap. 6. imo Fulbert. potius Carnotenſis operum S. Auguſt. tom. 10. in Apend. ſerm. 83. ipſe de Geneſi cont. Manich. l. 2. c. 44. Tom. 1. operum p. 361. Facies terræ; id eſt dignitas terræ, ait, Mater Domini Virgo MARIA rectiſſimè adſcribitur. Vide ſi placet, quæ circa priorem locum differit Bartholomæus de los Rios de Hierarch. Marianâ lib. 1. cap. 11.

eam videndam aperire. Apparente autem sibi Beatâ Virgine tempore assignato, inæstimabilem claritatem & pulchritudinem vidit, & cupiens pleniùs eam videre, etiam oculum, quem tenuerat clausum, aperuit: sed visio tunc repente disparuit. Cùm ergò oculo, quo eam viderat, esset orbatus, altero salvo manente, ipse lacrymans, eò quòd oculo pepercisset, se coepit vehementer arguere, dicens: Utinam totus fuissem oculus, ut eam vidissem pleniùs! Cùm autem denuò Dominam nostram instantissimè exoraret, ut se adhuc semel ei ostenderet, quia propterea etiam residuum oculum libenter amitteret, piissima Virgo MARIA ei apparuit, & suâ visione ineffabiliter consolata, & residuum oculum sibi servavit, & priùs amissum restituit. Nimirum in tantum amabilis est, & ad benè faciendum prona promptaquè Virgo clementissima. Nec tamen admodum est insolens, MARIÆ pulchritudinem apud hominem mortalem in tanta esse admiratione, quando ipsimet illam Cælites obstupescunt. *O Virgo sanctissima* inquit S. Epiphanius, *quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti! Stupendum enim est miraculum in Cælis, mulier amicta sole. Stupendum miraculum in Cælis, mulier gestans lucem in ulnis.* Antistes & Cardinalis Hostiensis, B. Petrus Damiani ejus venustate similiter captus, *Merito itaque Beata MARIA dicitur,* (ait) *Regina Cæli parens patientis, oriens orientis, fons fontis vivi, origo principii, domina jam non ancilla, quantò potentior tantò misericordior, amat nos amore invincibili, summa gloria est post DEUM te videre. Virgo DEI Genitrix cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur.* O quàm fixis obtutibus hærent in MARIA beati Cælites! quàm speciem ejus ac Majestatem attoniti stupent Angeli! Quantopere illam mirantur sapientissimi Cherubim! imo DEI Filius à dilectissima Matre sua oculos non avertit: huic certè consonat id quod Archangelus Gabriel revelavit: B. Amadeo, nempe, gloriosam Virginem in cælis non ad latus duntaxat Filii esse, sed illi ex adverso oppositam, quò vultum ipsius perpetuò inspiciat: & si quando Christus Dominus ejusquè sanctissima Genitrix loco se movеant, id semper ita facere, nè caput alter ab altero avertant,

Joan. Herold. in prompt. mirac. 29. & ex eo spec. exemp. edit. noviss. Joan. Majoris tit. B: MARIA exempl. 33. verbatim: ex utroque verò PP. Gazæus in piis Hilariis, tomo priore, & Bidern. in deliciis sacris lib. 2. narra 4. & lib. 1. epigram. 100. utrobique venustè. Auctor & quidam alii, legunt in terris, pro in cælis.

verùm

S. Epiphan. serm. de laudib. DEIparæ, mihi Tom. 2. Biblio. PP. pag 37.
Pet. Damiani serm. 3. de Nativ. B. Virg.
Ibid. serm. 2. de Nativ. B. Virg. sparsim, à pag. 122. ad 129.

Vide quæ de B. Amadeo sive Joanne Menesio alibi adnotavi; & quæ initio Throni sui Petrus Antonius Spinellus ad Elenchum Authorum, quibus usus fuit.

verùm ut indesinenter invicem se respiciant ac contemplentur. *Hactenus Nierembergius.*

§ 4tus.

Maternitatem DEI quædam immensitas Gratiæ & Gloriæ in Deipara consequens includit omnes prærogativas & privilegia, quæ post Christum proportionatè ad Virginem Matrem possibilia sunt: ut quidquid cogitaveris & dixeris, minus Beatissima Virgne, æstimabitur. Ipsa igitur est Regina & Mater totius Universi, Domina Angelorum, Imperatrix Mundi, Mediatrix inter DEUM & hominem, & similibus innumeris titulis gloriosissima. Quibus ut aliis quoquè laudum præconiis, cùm totus mundus ore, stylo, miraculo amplissimè resonet, hìc scriptum scribere seu, actum agere supersedeo.

SECTIO IV.

De Fine Supernaturali Cujus *respectu DEIparæ.*

HUnc finem non alium esse quàm *Gloriam* Matri DEI convenientem intelligo. Quæ gloria alia interior est, sita in Beatitudine Virginis Matris, quâ fruitur in Patria: alia exterior, posita tum in Angelorum tùm in hominum cognitione, æstimatione, amore, laude, cultu ejusdem Beatissimæ Virginis: ex quibus ultimò relatis in Gloriam DEI ipsa Mater Sanctissima suum delicium & gaudium percipit.

Praxis dandi Gloriam Beatissimæ Virgini seu illam amandi, colendi, &c. supra ostenditur sub Amore in DEIparam 1.2. Tract: 2. cap. 3. Sect. 5. Et sub justitia Cap. 6. Sect: 5. Subs. 6. §. 5.

SECTIO V.

De Fine Supernaturali Cui *respectu Sancti JOSEPHI Sponsi DEIPARÆ.*

HUnc finem *Cui* esse dignissimam personam S. Josephi patet, *Cui* post JESUM & MARIAM primas partes sui

cultus & amoris debere, quisquè agnoſcit, qui JESUM & MARIAM unicè reveretur ac diligit. Cujus beatisſimi Viri excellentia quanquam ſolis inſtar, præſertim hoc ſeculo luculentiores in orbem evibret radios, multiplicatis ejus laudum præconibus & ſcriptoribus, tum creſcente in eum Chriſti fidelium devotione & dilectione: placet tamen hìc aliqua delibare, ſed quæ ſufficiant ad ingenerandum pio cordi hujus Sancti pretium & affectum.

§ 1mus.

S. JOſephum Sanctificatum fuiſſe in utero Carolus Stengelius probat, tum authoribus Gerſon: Pariſienſi, Jacobo de Valent: Deggio, Carthagena; tum à paritate plurium Sanctorum v. g. Jacobi Minoris Apoſtoli, Pauli Apoſtoli, Moyſis &c. quibus hoc privilegium à gravisſimis authoribus conceſſum fuiſſe creditur: tum ratione; quia ſi Jeremias ad Vaticinandum & prædicandum de Chriſto, & Joannes Baptiſta ad eum baptizandum & digito commonſtrandum ſanctificati fuêre in utero materno, non eſt à ratione alienum, ut qui manibus frequenter per multos annos contrectaturus eſſet ſacratisſimum Corpus Chriſti, ſanctus eſſe inciperet ab utero matris ſuæ. Porrò S. Iſidorus aſſerit in S. Joſepho ardorem fomitis peccati penitus fuiſſe extinctum.

In vita S. Joſeph. cap. 1.

D. Iſid. in ſumma.

§ 2dus.

Suarez ad dignitatem B. Joſephi declarandam hæc diſertè & ſolidè affert. Duobus modis poſſumus Joſephi dignitatem explicare: Primò ratione abſolutè, declarando proprietates, actus, & nomina hujus dignitatis. Secundò ratione comparata conferendo ſcilicet hanc dignitatem cum munere Apoſtolico, cum dignitate Præcurſoris, & ſimilibus, quæ ad ſtatus hominum, vel ad gratias gratis datas pertinent. Nolumus enim comparationem facere cum gratia gratum faciente, ſeu cum dignitate Filii DEI adoptivi: ſupponimus enim ſine ulla controverſia hanc, infinita quadam ratione ſuperare, ut à fortiori conſtat ex his, quæ de dignitate Matris DEI ſupra diſputavimus.

Franciſcus Suarez diſp. 8. Sect. 1. tom 2. in 3. part. D. Thom:

 Prima

Prima igitur dignitas B. Joseph est, verè ac propriè fuisse Virginis Sponsum, & excepto usu carnalis copulæ habuisse omnia jura & munera veri sponsi. Quam dignitatem, inquit, Damasc. orat. 3. de Nativit. B. V. concessam esse Joseph *singulari DEI dono, & per dispensationem omni sermone præstantiorem.* Atquè in ea, virtute continentur, quæ de hoc sancto viro dici possunt. Etenim si Gregorio Nazianzeno ad laudandum uno verbo Gorgoniæ sororis suæ maritum scribere licuit orat. 2. in hæc verba: *Vultis uno verbo virum describam? Vir illius, nec enim scio quid amplius dicere necesse sit!* quomodo ad laudem Sancti Joseph, non multò magis nobis sufficiet dicere *Vir MARIÆ*? hæc ergo prima ejus fuit prærogativa.

Secundò: hinc factum est ut Patris Christi nomen & existimationem obtinuerit; ut constat ex Luc: 3. *Ut putabatur filius Joseph.* Matth. 13. *Nonne hic est fabri filius?* Et Joan: 6. *Nonne hic est filius Joseph?* Advertit autem August. lib 2. de consensu Evangelistarum c. 1. Licet opinionem parentis solùm apud eos habuerit, qui Christi Divinitatem & admirabilem Conceptionem ignorabant, appellationem verò non ab illis solùm, sed etiam ab Evangelista, & ab ipsa etiam B. Virgine accepisse. Luc. enim 2. dicit B. Virgo: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* & Evangelista, dicit: *Cùm inducerent JESUM parentes ejus.* & iterum: *Erant Pater & Mater ejus mirantes super his, quæ dicebantur.* Ex quo intelligi potest non sine singulari DEI ordinatione nomen hoc illi esse impositum, quia nec B. Virgo, nec S. Lucas absque speciali Spiritûs Sancti instinctu locuti sunt. Propter quod Bernard. hom. 2. *in missus est*, ex hac patris Christi appellatione conjiciendum existimavit, quis & qualis fuerit B. Joseph. Solent enim sapienter imposita nomina rei dignitatem, naturam, non conditionem, in qua fundantur, indicare. Cùm ergo æternus Pater summâ sapientiâ & providentiâ hoc nomen sibi proprium cum hoc viro communicaverit, satis significavit, ad quantam dignitatem eum evexerit, cum nomine simul officium & curam paternam magna ex parte tribuendo. Quod rectè confirmatur & explicatur exemplo. Christus enim Dominus cùm morti esset propinquus, de Joanne Evangelista dixit Vir-

gini. *Mulier ecce filius tuus*: ex qua appellatione colligunt omnes Sancti singularem amorem, quem Christus ad Joannem habuit, quem tanto honore affecit, ut nomen sibi proprium cum illo communicaverit, non vacuum nomen imponendo (quia opera DEI perfecta sunt) sed eum quodammodo in locum suum substituendo, & erga Matrem suam singularem amorem & curam tribuendo. Multò autem excellentior est parentis Christi, quàm filii Virginis appellatio: non solùm quia patris appellatio majorem authoritatem præsefert, sed etiam quia dignitas Christi, dignitatem Virginis infinitè excedit.

Tertiò: igitur hinc fit B. Joseph non solùm Patris Christi nomen, sed etiam rem quæ huic nomini subest, participasse, quantum exceptâ carnali generatione ab homine participari potest. Itaquè habuit affectum, solicitudinem & (ut ita dicam) Patris anthoritatem. Hinc Damasc. dicta orat. 3. non longè à fine dicit, Josephum locò Patris fuisse assumptum: & Bernard. Homil. 3. circa finem dicit eum fuisse *servum fidelem & prudentem, quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium, solum deniquè in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum*: ut non immeritò illi accommodari possit quod de alio *Joseph scriptum est; constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.* Hinc etiam Iren. lib. 4. contra hæreses c. 40. dicit: postquam monitu Angeli sine ulla hæsitatione Joseph credidit Spiritus S. mysterium, & Mariam accepit, *in reliqua* inquit *universa Christi educatione gaudens, obsequium præstitit usque in Ægyptum suscipiens profectionem, & inde regressum, & in Nazareth transmigrationem.* Hinc deniquè Rupert. lib. 3. de Divin. Offic. cap. 18. & lib. I. de gloria & honore Filii hominis in Matth. circa illa verba; *Jacob autem genuit Joseph*; comparans totam illam generationum seriem scalæ Jacob inquit: *Supremum scalæ gradum cui Dominus innixus est, fuisse Josephum. Sed quomodo*, interrogat, *DEUS & Dominus huic homini innixus est?* respondet; *utiquè tanquam tutori pupillus, quippe qui in hoc mundo sine patre natus est, ita innixus est huic B. Joseph, ut ipse fuerit infantulo Pater optimus, cujus solatio paterno puer cum Virgine puerpera sustentaretur.* Et eadem ferè consideratione Andre: Jerosol. serm. de Annuc. B. Joseph *Tutorem Virginis* appellat.

Addit tandem August. lib. 2. de cons. Evang. cap. 1. aliam hujus nominis rationem his verbis: *Neque enim propterea non erat appellandus Joseph Pater Christi, quia illum non genuerat; quandoquidem rectè pater etiam esse potuit ejus, quem non ex sua conjuge procreatum, aliunde adoptâsset.* Per adoptionem etiam is, qui omnino extraneus est filius efficitur, & qui adoptat, pater vocatur, & suo modo existit: Joseph verò eum quem sibi conjunx, sine ipsius opera, per Spiritus Sancti virtutem generavit, tanquam dilectissimum Filium à DEO datum acceptavit, & quodammodo adoptavit, ut propterea nobiliori quadam ratione, quæ imperfectionem excludat, quodammodo Filius ejus effectus sit. Nisi velimus Christum dicere elegisse sibi Joseph in Patrem, sequè quodammodo Filium ejus constituisse. Quod aliâ etiam ratione explicari potest. Per verum enim Matrimonium cum Virgine contractum quodammodo corporis ejus Dominus effectus est, quia Paulus inquit: *Mulier corporis sui potestatem non habet sed vir.* Hinc ergo factum, est ut fructus corporis Virginei quodammodo ad Josephum pertinuerit. Ut enim dicitur institutione de rerum divisione; cùm in suo solo, versiculo, ex diverso, *quod in alieno solo nascitur, vel ædificatur, sub illius dominium cadit, cujus est solum.* Unde etiam si miraculosè in horto alicujus fons nasceretur, illius esset, cujus est hortus. Quia ergo terra virginea de benedictione Domini concepit, ad Joseph, cujus erat terra, fructus illius benedictionis pertinuit, ut Deut. 33. in benedictionibus Patriarchæ Joseph præfiguratum erat. Addo tandem, virum & uxorem per matrimonii vinculum effici quodammodo unum. Nam licet per carnalem copulam efficiantur una caro; tamen per vinculum ipsum efficiuntur unum cor, una voluntas. Unde fit, ut bona habeant quodammodo communia, ita ut quod est sub unius dominio & potestate, ad alterum ex consequenti aliquo modo pertineat. Quia ergo B. Virgo vera fuit Mater Christi, non potuit Joseph verus ejus Sponsus rationem parentis non participare, carnali semper generatione excepta.

Quartò tandem ex prædicta radice ortum est, ut B. Joseph aliquomodo fuerit caput & superior Virginis & Christi ut

Hominis. Primum patet; quia teste Apost. 1. ad Cor. 11. *Caput mulieris vir*: propter quod Pet. 1. Can. cap. 3. præcipit: *ut mulieres sint subditæ Viris suis*: afferens exemplum Saræ, quæ Abrahæ obediebat, eumquè Dominum suum vocabat Gen. 18. Ergo & B. Virgo agnoscebat & reverebatur sponsum suum, tanquam virum & caput suum. Neque obstat, quod August. Opusculo de Assumptione Virginis c. 4. dicit B. Virginem fuisse exemptam ab illa lege: *Sub viri potestate eris*; ipse enim se statim explicuit dicens: *Non fuisse sub potestate viri* id est mariti *quæ integerrimis visceribus de Spiritu Sancto Christum suscepit*: ac si diceret, quantum ad usum carnalis copulæ, non fuisse sub viri potestate. Addo etiam ex D. Thom. infra q. 30. a. 2. ad 2. in iis quæ pertinent ad mysteriorum DEI cognitionem & ad privilegia gratiæ suscipienda, non debuisse pendere à viro, nec sub ejus esse potestate; at verò in externis & domesticis rebus potuit suo modo esse subjecta viro, ad illum enim familiæ gubernatio pertinebat. Unde quando aliquid hujusmodi agendum erat ex Divino instinctu, illi fiebat revelatio, ut patet de fuga in Ægyptum, & reditu ex Ægypto: unde etiam nominis JESU impositio illi injuncta est Matth. 1. *Et vocabis Nomen ejus JESUM*. Altera pars quæ ad Christum pertinet constat ex Luc. 2. *Et erat subditus illis*. Quanquam enim hoc magis significet usum quàm debitum: quia revera Christus propter dignitatem suæ Personæ, nulli hominum propriè subjectus fuit, tamen ad dignitatem Joseph declarandam est satis, quòd præcisè consideratâ humanâ conditione & origine Christus futurus erat jure subditus Joseph: & quòd licèt ratione Divinitatis esset exemptus, tamen defacto voluit illi esse subjectus, eique tanquam Patri ac superiori obedientiam honoremquè deferre.

Ex quibus etiam licet intelligere, interesse inter MARIAM & JOSEPH, & inter JESUM & JOSEPH singulare vinculum mutui amoris ac perfectissimæ amicitiæ, quæ intrinsecè oriebatur ex dignitate & statu, ad quem hic vir assumptus est: pertinet enim ad virtutem & sanctitatem uxoris, ut virum suum diligat, & omne bonum præsertim animæ illi exoptet & procuret: sed B. Virgo in omnibus fuit perfectissima: ergò etiam in hoc amore excelluit. Accedit ratio gratitudi-

 nis quæ

nis quæ benefactoribus debetur, & nullâ aliâ re magis quàm amore persolvitur: B. autem Joseph multa passus est, multosquè labores propter Virginem sustinuit, & quidem amore ac voluntate ut par erat singulari & maxima: Ergo. Tandem accedit morum similitudo, frequens ac diuturna familiaritas & cohabitatio absque ulla occasione dissidii vel rixæ, quæ non potest non parere summum quendam amorem ac benevolentiam mutuam. Quæ rationes eadem ferè proportione in Christo Domino procedunt, tantoquè fortiùs, quantò ille perfectiùs, quàm Virgo omnia operabatur Unde Rupert. lib. 2 in Can: post med. exponens verba illa cap. 2. *Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia. Quæ* inquit *sunt lilia nisi dilecto Sponsus Josephus & ego dilecto, verè ambo illa videlicet pro Virginalibus nuptiis & cohabitatione castissima.* Ex his ergo satis constat quanta fuerit hujus Sancti dignitas, & quàm excellens ministerium ejus & officium per se & absolutè consideratum.

Jam verò officium hoc cum aliis conferendo dubitari potest, an hæc dignitas major sit, quàm dignitas Præcursoris, vel Apostolorum aut Evangelistarum, quod ad munus & officium attinet, ut gratiam & sanctitatem omittamus, de qua statim. Ratio dubitandi esse potest, quia hoc ministerium Josephi videtur fuisse proximè conjunctum cum ipsamet Christi Persona. Item videtur maximè accessisse ad dignitatem Matris DEI. Item videtur fuisse aptissimum ad perfectiùs exercendas omnes actiones vitæ activæ & contemplativæ, quàm ullum aliud munus puræ creaturæ sola DEI Matre excepta. De quo enim tam propriè sicut de Joseph potest dicere Christus: *Esurivi & dedistis mihi manducare &c.* Itaque illud fuit excellens in munere hujus sancti viri, quòd omnes ferè labores & actiones suas proximè circa Christi Personam exercebat. Unde sicut peccatum crucifigentium Christum, maximum fuit in suo genere propter Personæ dignitatem; ita opera pietatis & beneficentiæ circa Personam Christi in hoc viro fuerunt eximii cujusdam valoris, tantò majori ratione quantò ipse ex perfecta cognitione & amore illius Personæ operabatur. Aliundè verò simul cum hac parte vitæ activæ habuit statum accommodatissimum ad fru-

endam

endam meliori parte vitæ contemplativæ. Nam inprimis in Matrimonio Virginitatem vovit ut supra inuimus, & talem duxit uxorem, ut sola ejus societas & frequens familiaritas satis esset ad virtutem omnem, & præsertim religionem & pietatem erga DEUM addiscendam. Cui si adiungatur diuturna Christi conversatio frequens & intima, & quasi occasio audiendi mysteria Divina ex ore ejus, & orandi ad illum, & cum illo, nihil certè magis ad perfectionem vitæ contemplativæ desiderari potest. Cùm ergo ille status perfectior sit, qui has duas vitas perfectiùs coniungit videtur sanè status S. Joseph & consequenter dignitas ejus & officium omnibus aliis præferendum.

In contrarium verò esse videtur: quia Apostolica dignitas videtur à Sanctis Patribus omnibus præferri. Anselmus Math. 3. de Joanne Baptista dicit *officio ministerii minorem fuisse Apostolis; majus enim ministerium inquit non fuit quàm Apostolatus*: & idem docet D. Thom. eodem loco Matthæi 3. Quomodo interpretantur aliqui verba illa Pauli ad Rom. 8. *Nos autem primitias Spiritûs habentes* nimirum in ministerio & officio juxta illud ad Eph. 1 *Secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis in omni sapientia & prudentia* &c. & potest explicari: quia ministerium Apostolicum videtur esse altioris rationis magisquè spirituale. Ordinatum enim fuit quasi ad generandum Christum in mentibus fidelium, & ad procreationem filiorum DEI, qui finis videtur esse altior & elevatior. Unde actiones etiam Apostolici muneris, quatenus ad vitam activam pertinere poterant altioris ordinis sunt. Quia actiones S. Joseph pertinebant ad opera misericordiæ corporalia, actiones verò Apostolicæ ad spiritualia. Quòd verò spectat ad partem vitæ contemplativæ, necesse est in Apostolis fuisse perfectissimam; quia constituti fuerunt in summo perfectionis gradu & abundantiam Spiritus omnibus modis acceperunt. Deniquè certum videtur ministeria legis gratiæ attigisse supremum gradum perfectionis & dignitatis, sed in hac lege primus dignissimus primæ ad Cor. 12. *Posuit DEUS in Ecclesia primùm Apostolos*, qui propterea *fundamenta Ecclesiæ* dicuntur Apoc. 21. & ad Eph. 2. Ergo.

In hac comparatione, quam à nemine video ſatis eſſe diſcuſſam & declaratam, nihil tamen affirmare volo. Probabiliùs tamen dici poſſet hæc munera eſſe quodammodo diverſorum ordinum, & ideo non poſſe tam propriè comparari, habere tamen ſe mutuò ſicut excedens & exceſſum. Sentiò equidem Apoſtolicum munus eſſe ſupremum omnium eorum, quæ in Eccleſia Chriſti, prout ab eo in lege gratiæ inſtituta eſt, inveniuntur, ut Ans. ſupra & D. Thom. Matth. 3. expreſſè docuerunt, & teſtimonia & rationes factæ probant. Nihilominus tamen non exiſtimo improbabile munus ſeu miniſterium S. Joſeph, quatenus quodammodo eſt altioris ordinis poſſe dici perfectius. Intelligo enim quædam eſſe miniſteria præciſè pertinentia ad ordinem gratiæ gratum facientis, & in hoc ordine intelligo Apoſtolos habuiſſe ſupremum dignitatis faſtigium, & indiguiſſe fortaſſe pluribus gratiæ præſertim gratis datæ & ſapientiæ donis, quàm reliquos. Alia verò ſunt miniſteria quæ attingunt ordinem unionis Hypoſtaticæ, qui ex ſuo genere perfectior eſt, ut de dignitate Matris DEI diximus, & in hoc ordine intelligo inſtitutum eſſe miniſterium S. Joſeph, & eſſe velut in infimo gradu illius, & ex hac parte excedere reliqua tanquam in ſuperiori ordine exiſtens. Unde D. Thom. ſupra attentè dixit Apoſtolos eſſe majores officio novi teſtamenti: officium autem Joſeph non pertinuit ad novum teſtamentum, neque propriè ad vetus, ſed ad utriusquè Authorem; *& lapidem angularem, qui fecit utraquè unum.* Quid verò ſentiendum ſit de munere Præcurſoris comparato ad Apoſtolicum munus ex hoc ferè diſcurſu intelligi poteſt.

§ 3tius.

Porrò Sanctitatis perfectionem in S. Joſeph ſimili modo *Idem lib. idem Suarez* *Sect. 2.* conſiderat nimirum abſolutè & comparatè. Priori quidem modo (ait ille) ſolùm affirmare poſſumus Joſeph fuiſſe perfectisſimum ac eximiæ ſanctitatis virum: quod facilè probari poteſt. Primò: quia DEUS unicuiquè confert ſanctitatem & gratiam ei muneri accommodatam, in quo illum conſtituit, ut rectè docuit D. Thom. ſuper ad Rom. 8. lect. 5.

ſed

Sed DEUS contulit huic S. altisſimum quoddam munus, ad quod dignè exercendum ſummâ puritate & ſanctitate indigebat. Ergo. Secundò ita explicatur, quia ante matrimonium cum Virgine contractum, jam erat vir juſtus & perfectus, ut conſtat: tum ex verbo illo Matth. 1. *Joſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus*; tum ex eo quod ſancti & hiſtoriæ referunt, propter ſummam ſanctitatis opinionem judicatum eſſe idoneum, cui B. Virgo committeretur, idquè non abſquè ſingulari Spiritûs S. inſpiratione: tum deniquè ex eo, quòd usquè ad illud tempus integram ſervavit virginitatem & caſtitatem, quam poſtea cum Virgine ſimul, DEO conſecravit. Jam verò dubitari non poteſt, quin poſt matrimonium cum Virgine mirum in modum in ſanctitate & virtute creverit, cæleſtem vitam in terris agens. Unde elegantisſimè Ruper: Abbas lib. 1. de gloria & honore Filii hominis in Matth. circa id *Joſeph fili David* ſic inquit. *O conjugium verum & ſanctum, conjugium cæleſte non terrenum. Quomodo enim & in quo conjugati fuerunt? nimirum in eo, quòd unus ſpiritus & una fides erat in eis.* Et infrà dicit ideo Chriſtum fuiſſe *de cælo cæleſtem, quia tota conjugum vita ſive conjunctio fuit cæleſtis, & Spiritus S. amborum conjugalis amor, quorum utiquè converſatio erat in cælis in ambobus præſidens, conjugem viri hujus fidei commiſerit: & de carne Virginis hominem formans, paternum viro huic qui naſcebatur infantis amorem penitus infuderit* Unde ulteriùs intelligitur poſt Chriſtum natum, longè majus in Joſepho fuiſſe Sanctitatis augmentum: tum quia cùm Chriſtum probè cognoſceret, illius frequenti converſatione & continuâ præſentiâ, ad frequentisſimos & ferventisſimos charitatis actus excitabatur: tum etiam quia verbis & exemplis Chriſti plurimùm moveri poterat. Nec dubitare licet, quin ab eodem fuerit toto illo tempore ſingulariter præventus & adjutus. Nam ſi Chriſtus promiſit eum, qui propter nomen ejus *dederit potum aquæ frigidæ, non perditurum mercedem ſuam*; quomodo dubitari poteſt quin tot charitatis opera non modò in nomine ſuo, ſed etiam ſibi ipſi à Joſepho facta, abſquè compenſatione abire non permiſerit? Accedit veriſimile eſſe B. Virginem eximiæ gratiæ dona & auxilia Sponſo ſuo, quem ſin-

gulariter diligebat exoptasse, suisquè orationibus impetrasse. Nam si verum est (ut revera est) unum ex efficacissimis mediis ad obtinenda à DEO gratiæ dona esse devotionem erga Virginem, ejusquè intercessionem, qui credi potest Sanctissimum Joseph Virgini dilectissimum ac devotissimum, per illam non obtinuisse eximiam sanctitatis perfectionem? Refert Nazian. orat. 11. de Sorore Gorgonia eam unum hoc ad omnia accedere cupiisse; *ut maritus quoque perficeretur, ut sic tota corpore consecraretur, ac non dimidia tantum ex parte initiata discederet, ipsiusquè aliud imperfectum relinqueretur*; atque hoc precibus ab eo impetrasse, qui voluntatem timentium se facit. Si ergo hoc fuit insigne charitatis in Gorgonia, quod viri imperfectionem suam quodammodo existimavit, quoque perfectionem ejus desideravit; & obtinuit: multò altiori ratione ac modo, hujusmodi amor Virgini est attribuendus. Deinde Suarez comparans Sanctitatem S. Joseph cum Apostolis, pro & contra discurrit, ac demum concludit dicens: In hac igitur comparatione non existimo esse temerarium, nequè improbabile, sed pium potius & verisimile, si quis fortasse opinetur Sanctum hunc reliquos omnes in gratia ac beatitudine antecellere, quia ex scriptura nihil est quod repugnet, neque in Patribus aliquid reperio Et si quæ sunt generales locutiones, quibus Apostolos præferre videantur, intelligi possunt facere comparationem regulariter cum aliis Sanctis, & non excludere speciale aliquod privilegium; & præsertim loqui de posterioribus Sanctis: non verò de iis omnibus qui cum Christo vixerunt, & ipsis Apostolis contemporanei fuerunt. *Hactenus Suarez.* Cæterum velim te penitius illa scripturæ verba considerare: *Cum Sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris*; & concludendo stupere. Qualis & quantus B Joseph erit Sanctus, qui cum ipsa sanctitate & innocentia Filii DEI & ejus Matre Regina Sanctorum 30. annis continuè conversatus est ea familiaritate quâ nemo magis? Quod etiam inde patet *Stengelio* referente; nimirum S. Brigittæ ostensum esse; à DEO legimus, Christum adhuc puerum, in privatis ac domesticis cum verissima Parente & opinato Patre Josepho, colloquiis multa arcana detexisse, multa penitus abdita & retrusa

Psalm. 17.

Steng. in vit. S. Joseph. cap. 12.

Brig. revel. lib. 6. 58.

amanter

amanter aperuisse, tantamquè Christi sermonis fuisse dulcedinem, ut singularem ex eo voluptatem uterquè perciperet, & Divini amoris illa oratio flammam ingentem excitaret. Nihilominus tamen citatus Suarez ait: Cordati ac prudentis hominis esse existimo, nihil temerè aut nimiùm asseveranter affirmare, quia revera ubi deest Sacræ Scripturæ authoritas, aut Ecclesiæ traditio, nulla potest esse sufficiens certitudo, in re præsertim ex Divina electione, ac prædestinatione pendente, cujus consilia inscrutabilia sunt & abditissima Mysteria.

Suarez in 3. part. D. Thom. t. 2. q. 29. art. 1. & 2. d. 8. sect. 2.

Quantùm ad gloriam accidentalem S. Josephi eam *Stengelius* describit citans sequentes Authores: Isolanum qui ita disserit: *Verùm de aureola Virginitatis Joseph Catholici Doctores minimè nunc hæsitant, tum quia Virginem mente, corpore, voto & statu mortuum Joseph credunt, tum quo primus secutus est Virginum Reginam, tum quia Sponsus & Sponsa communibus ornatibus circumdari consueverunt. De aureola autem Prædicatorum* (inquit Isolanus loco proximè citato) *sic argumentamur. Plus est Christum prædicare facto, quàm verbo: sed Joseph Christum factis summopere prædicavit, quibus quidem occasionem universo præstitit orbi, ut converteretur ad adorandum DEUM verum hominem factum: itidem veri Prædicatores desursum illuminantur, suo tempore loquuntur, & ad DEUM verum agnoscendum, quosquè convertere conantur. Sed Joseph ab Angelis fuit illuminatus, cum quibus conversabatur, suo tempore de DEO est allocutus; verba nempe prædicatoris, fumus sunt Divini ignis in corde ardentis, atque in Christi cognitionem mortales ad vitam æternam deducere satagentis. Subsistamus hìc parumper, & Joseph multos per annos habitantem in Ægypto meditemur. An non credimus Joseph innumeris vicibus fuisse exhortatum eos, cum quibus conversabatur Ægyptios ut DEUM verum colerent? Si quando eos contigerit audire Messiam promissum in lege Judæorum advenisse, ut crederent, persuasisse: ajebat vero. DEUS erit verus & verus homo, & ipse renovaturus est mundum: vestra destruet idola, innovabit sacrificia, renovabit leges, mores, vitam, regna, & imperium hâc tempestate; qui sanctæ legis profundiora vero intellectu dignoscunt, Messiæ asseverant tempora adesse. Quod profectò apud me dubium non est: Vos hortor ô fratres Ægyptii; lætamini, quia pariter vos redimet à potestate tenebrarum, vos quidem ex hominibus illi credentes*

Stengel. in vita S. I. cap. 15. Isol. 4. part. cap. 4.

eritis similes Angelis, imò homines in se credentes, Messias tandem donabit æterno regno cælorum. Verùm cùm Nazareth Galilææ habitaret Civis, & cognitus ampliora quotidie prædicabat. O quoties benevolos & verè amicos hortabatur, ut quàm attentissimè faciem, verba, mores JESU filii sui animadverterent. Arbitrabatur enim, quòd caro illa Divinitatis odorem cæteris emitteret sicut sibi. Persuadeo demum mihi ipsi, sicut præsentiâ corporis Christi in Ecclesia ac Sacramentorum virtute plurimi salvi fiunt: sic & in Nazareth Civitate, illis temporibus multi sunt ad fidem conversi conversatione Christi, Beatissimæ Virginis moribus, meritis quoquè ac verbis Joseph.* Nec tantùm noster extitit prædicator, sed in sincero animarum zelo, omnium concionatorum Christum prædicantium exemplum, & virorum spiritualium Dux fuit & Magister, ut probat P. Morales. De aureola Martyrii idem Insolanus ubiproximè, sic ait: *Iosephi, excellens victoria fuit Tyrannorum persequentium Christum, ac gladio materiali satagentium illum occidere, quâ victoriâ expressè liquet pro DEO voluntariam mortem non expavisse: propterea palmâ martyrii benemeritus dici potest. Adhuc dationi animæ, actu convenit palma martyrii: sed Joseph actu offerens eam dedit pro DEO, quanquam non potuerit Tyrannus eam eripere. Joseph igitur palmâ martyrii benemeritus. Item signum desiderii martyrii est charitas, quæ excellentissimè inventa fuit in Joseph. Persuadetur ergo ornatus palmâ martyi apud Superos. Præterea cæteri Martyres ex abundantia gratiæ Divinæ optauerunt ponere animam pro Christo, dicente Levita Vincentio, hoc est quod semper optavi & votis omnibus exquisivi: sed gratiâ Joseph fuit abundans & exuberans: ergo palmâ martyrii fuit dignus.* Et confirmatur: quia ex verbis Simeonis, post Beatam Virginem gladius doloris animam Josephi propter eximium amorem ad Christum pertransivit: ergo cùm Beata Virgo DEIpara ea ratione fuit Martyr, & plus quàm Martyr, licet in pace vitam finierit, sic erit proportionaliter & noster Joseph. Atque hæc de gloria tam essentiali quàm accidentali D. Joseph dicta sufficiant. Denique sæpè citatus Suarez inquit: Illud verò advertere non prætermittam, ex quadam satis recepta sententia probabile fieri Sanctum hunc corpore & animo glorioso cum Christo regnare, quia cùm ante Christum mortuus fuerit, verisimile

Moral. lib. 3. tract. 11.

Suarez in 3. part. D. Thom. t. 2. q. 29. a. 1. & 2. d. 8. sect. 2.

risimile est fuisse unum ex illis, qui tempore mortis vel Resurrectionis Chisti surrexerunt, quos multi sentiunt ad immortalem Vitam animi & corporis transijsse.

SECTIO VI.

De Fine Supernaturali Cujus respectu S. JOSEPHI.

EJusmodi Finis est *Gloria* S. Josepho competens, alia sita in ejus intrinseca felicitate, quâ gaudet in æternitate: alia gloria posita in extrinseca Angelorum & hominum ejus notitia, æstimatione, amore, laude, cultu: quæ relata in summi DEI Gloriam, eidem Sancto afferunt oblectamentum & gaudium.

Praxis testificandi suum amorem in S. Joseph eumquè colendi supra datur. l. 2. tra. 2. c. 6. sect. 5. subs. 6. §. 6.

TRACTATUS ULTIMUS DE ULTIMO FINE HOMINIS.

TAndem emensis variorum Finium decursibus, & discursibus, ipsum summum Bonum, omnis felicitatis nostræ & universitatis creaturarum Centrum, DEUM Ter Optimum Maximum attigimus. Quàm bonum nos hic esse! Utinam non contingat delabi ad inferiora! Utinam hic liceat semper in tempore & æternitate vivere, quiescere, lætari, delectari! De DEO igitur, quatenus Ultimo fine hominis, hoc tractatu agendum nobis est, idquè methodo tali, quali aptum est DEUM proponere homini pro Objecto, circa quod commodè possit exercere actus fidei, spei, charitatis, nec non donorum Spiritûs S. scilicet Intellectûs, sapientiæ, aliorumquè luminum & motuum Divinorum seu Contemplationis Divinæ; & ad illum tanquam Finem ultimum supernaturalem media virtutum, aliosquè

què Fines intermedios applicare. Verùm ad æquivocationes & obscuritates clarificandas.

Adverte hic 1*mò*. Etiamsi visio DEI, & amor beatificus, seu beatitudo hominis vocetur quoquè ultimus finis hominis, denominari tamen ipsum ab objecto beatifico, nempe DEO. Neque in tali supposito est DEUS hominis finis *ultimus Cui*, de quo hìc agimus, sed potiùs homo est *finis Cui*, cui inquam DEUS per sui visionem & amorem applicatur ad hominis beatitudinem.

2*dò*. Hic ultimus finis seu beatitudo formalis hominis, complens, & perficiens ipsum dicitur ultimus, quatenus est ultimum bonum hominis, ultra quod aliud desiderare non potest; ad quam beatitudinem spectat etiam relatio suæ beatitudinis ad majorem gloriam DEI, & ex majoritate gloriæ DEI oriundum summum gaudium. Sicut enim amor beatificus, qui est amicitiæ, intensissimè gaudet de gloria DEI intrinseca seu de bonis DEI intrinsecis: ita ad eundem amorem spectat lætari, & complacere sibi de gloria DEI extrinseca, seu de bonis DEI extrinsecis, & gaudio DEI quod ab extrinseco venit DEO, seu cujus causa datur ab extrinseco, ut infrà videbimus.

Suarez de beatit. disp. 4. ante sect. 1. 3*tiò*. DEUS quamvis juxta Suarez dicitur habere beatitudinem perfectam, non habet tamen propriè ultimum finem (nempe respectu sui ipsius) quia beatitudo dicit rationem boni perfecti & consummati, finis verò indicat rationem formalem causæ, DEUS autem non potest esse causa sui ipsius; id enim imperfectionem causalitatis, imò implicantiam contradictionis in DEO connotaret. Quamvis ipse sit causa finalis principalis, seu finis ultimus omnium, propter quem sunt condita & ad quem omnia ordinari debent. Unde Proverbiorum dici-

Proverb. 16. tur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et Apo-

Rom. 11. stolus: *Ex ipso* (ut causa efficiente) & *per ipsum*) ut causa exemplari (& *in ipso*) seu in ipsum, ex græco, ut ultimam causam finalem tendere debent) *sunt omnia, ipsi Gloria in secula.* Ecce hìc insinuatur per ly *Ipsi* & principium & finis ultimus *Cui*, nempè DEUS Ter Optimus. Maximus. Et per ly *Gloria* finis ultimus *Cujus* scilicet Gloria DEI, ex cujus promovendæ intentione crea-

tura rationalis omnia agere & pati debet. Deniquè ipse DEUS ajt: *Ego sum principium & finis.* *Apoc. c. 1.*

CAPUT I.

De ultimo hominis Fine, CUI.

HOminis ultimus *finis Cui*, cùm sit ipse DEUS Ter Opt. Maximus, cui inquam, finem ultimum *Cujus*, seu Gloriam Divinam intendere & promovere debet, ut patet ex modò dictis; ideo videnda sunt hìc ea de DEO, quæ maximè ad praxim ejusdem gloriæ DEI promovendæ, Christiano seu Spirituali Theologo conducunt. Et primò quidem ut habeantur in promptu arma contra tentationes de existentia DEI, tum contra Atheos, demonstrabimus quòd DEUS sit. Secundò; Quid DEUS sit & qualis viâ affirmationis, viâ negationis, & viâ eminentiæ, seu præstantiæ; quomodo autem hi termini intelligendi sint, alibi dictum. Ubi etiam insinuavimus, esse triplicem Hierarchiam, sicut ex parte principii, & ex modo tendendi, ita etiam tripliciter DEUM proponi ex parte *Objecti*, nempe in creatura sensibili, in creatura intelligibili, in seipso. Et quidem in prima Hierarchia nunc proponemus DEUM ad contemplandum in Creatura sensibili viâ affirmationis: In secunda Hierarchia DEUM ad contemplandum in Creatura spirituali, tum viâ affirmationis, quatenus à perfectionibus creaturæ ascendit ad similes perfectiones Creatoris considerandas: tum viâ negationis, quatenus in prima Hierarchia perfectiones corporales v. g. pulchritudinem Solis similem imaginando, & affirmando de DEO; in secunda Hierarchia easdem perfectiones incipit negare esse materiales in DEO, sed quasdam spirituales v. g. spiritualem pulchritudinem, quam speculetur in Anima vel Angelo. In tertia Hierarchia proponemus purè DEUM ad contemplandum in Seipso viâ puræ negationis & præstantiæ. Quanquam in singulis harum Hierarchiarum subinde mixtim tangitur modus contemplandi DEUM, & per affirmationem,

l. 2. trat. c. 1. sec. 4. subs. 1. § 4. de Contemplatione.

& per negationem, & per præstantiam. Cæterum præfati gradus Hierarchici contemplandi DEUM & ejus perfectiones aptâ similitudine ostenduntur. Sicut enim Sol tripliciter conspicitur, Imò in rebus grossis: v. g. in pariete. 2dò in rebus subtilioribus, v. g. in àère, speculis. 3tiò in seipso, seu in suo solari globo aut sphæra radiantissima, ac lucidissima. Ita & DEUS ejusquè perfectiones considerantur crassiori quodam modo in sensibili & corporea creatura, subtiliùs in spirituali creatura, subtilissimè & optimè in sua propria Essentia: sed de his fusiùs supradictum sub Contemplatione.

§ Imus.

Nè more antiquorum Philosophorum contemplantes seu cognoscentes DEUM, nec eum glorificantes, tradamur in reprobum sensum, placuit hic subnectere *Praxim* actuum & affectuum anagogicorum in DEUM; quibus, vel similibus erit utendum in sequentibus discursibus, meditationibus, contemplationibus: & quod ibi defuerit, ex his, vel ad horum exemplum supplebit quisque pro gustu & spiritu suo, sive incipiens, sive proficiens, sive perfectus. Licet enim incipientibus quoque vel à longè subinde salutare & delibare hæc magnalia deliciarum Divinitatis, quarum vel odore ipso capti, ad eas ferventiùs aspirent, & conentur proficere per vias vitæ ad possidendum contemplatione & amore suum ULTIMUM FINEM, DEUM Ter Optimum Maximum.

Actus & Affectus anagogici.

DEUS meus cognosco TE esse & existere. *Credo Domine Te DEUM meum Trinum & unum, vivum & verum esse ac existere.* Vel *Te Deum meum esse Infinitum.* Vel: *Immensum.* Vel: *Immutabilem.* Vel: *Omnipotentem.* Vel: *Summum Bonum* &c. Ita specifica hìc illam DEI perfectionem, circa cujus contemplationem occuparis. *O stupendam DEI Potentiam!* Vel: *Sapientiam!* Vel: *Bonitatem! &c.*

Apage omnis perfidia circa Existentiam, seu Perfectiones DEI. Spero Domine me participem esse Tuæ Divinæ similitudinis, non modò in præsenti per gratiam, sed & in futuro fore per gloriam. *O quan-*

O quantum timeo Domine! ne sim vel fiam expers Tuæ Divinæ similitudinis per gratiam, & gloriam.

O summum Bonum DEUS meus! diligo Te ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis.

Utinam Te DEUS meus Seraphico amore in omnem æternitatem diligerem.

O si Te omnes homines cognoscerent, & omni possibili illis amore & modo diligerent ac colerent.

Gaudeo & exulto Domine, quia Tu es, qui es: Vel: *quia es infinitus.* Vel: *Immensus.* Vel: *quia es Omnipotens.* Vel: *Incomprehensibilis Sapientiæ.* Vel: *Ineffabilis Bonitatis &c.*

Intimè doleo DEUS meus, quòd Tu omnium Principium & Finis, omne & summum Bonum, à paucis cognoscaris, diligaris, colaris; & à me non eâ, quæ possibilis est mihi, dilectione ameris.

Adoro, laudo, benedico Tuam infinitam Majestatem, Potentiam, Sapientiam, Bonitatem &c.

O quis Tu es DEUS meus, & quis sum ego? Tu es qui es; ego nihil sum. Tu Summum, Perfectum, Bonum & Pulchrum: ego summum imperfectum, malum, & deforme. Tu Infinita Potentia, Sapientia, Bonitas, Sanctitas, Misericordia, Iustitia: ego horum ex me nihil; quod verò aliquantulum est, à Te est: imò his à me in me contrarium est, nempe infirmitas, stultitia, malitia, peccatum. Tu es dignus omni honore, & gloriâ: ego dignus omni ignominiâ, & poenâ. Tu es infinita abyssus dulcedinis, beatitudinis, & gloriæ: ego abyssus indignitatis & miseriæ. Abyssus ergò mea Abyssum invocat Tuam; ab hac ut tanquam per cataractas, impetu, voce, & sonitu veluti aquarum, Gratia Tua redundet in abyssum meam; eam omni malo vacuans, & bono replens.

Noverim me, noverim Te: ut oderim me, diligam Te DEUS meus. Intimè doleo me Te Summum Bonum unquam offendisse. Doleo item, quòd tot, & tantis peccatis totius Mundi offendaris.

Gratias ago Tibi pro inenarrabili dono Cognitionis & Amoris Tui.

Obsecro Domine, tribue mihi, & proximis meis; ut Te omni possibili nobis modo, in omnem æternitatem cognoscamus, diligamus, colamus.

Vide infra § 8. & aliis locis plures actus & affectus.

§ 2dus.
DEUM esse & existere demonstratur Ratione naturali.

ANgelicus Doctor quinque viis per rationem naturalem procedens, probat Existentiam DEI ita dicens.

D. Thomas in summa Theol. p. 1. q. 2. art. 3.

Prima & manifestior *via* est, quæ sumitur ex parte motûs: certum est enim, & sensu constat, aliqua moveri in hoc mundo: omne autem quod movetur ab alio movetur. Nihil enim movetur nisi secundùm quod est in potentia ad illud, ad quod movetur: movet autem aliquid secundùm quod est actu. Movere enim nihil aliud est, quàm educere aliquid de potentia in actum, de potentia autem non potest aliquid reduci in actum, nisi per aliquod Ens in actu; sicut calidum in actu ut ignis facit lignum, quod est calidum in potentia, esse actu calidum, & per hoc movet & alterat ipsum. Non autem est possibile, ut idem sit simul in actu & potentia secundùm idem, sed solùm secundùm diversa. Quod enim est calidum in actu, non potest simul esse calidum in potentia, sed est simul frigidum in potentia. Impossibile est ergo, quod secundùm idem & eodem modo sit aliquid movens & motum, vel quod moveat seipsum: omne ergo quod movetur, oportet ab alio moveri. Si ergò id à quo movetur, moveatur, oportet & ipsum ab alio moveri; & illud ab alio: hic autem non est procedere in infinitum: quia sic non esset aliquod primum movens, & per consequens nec aliquod aliud movens, quia moventia secunda non movent, nisi per hoc, quòd sunt mota à primo movente: sicut baculus non movet, nisi per hoc, quod est motus à manu, Ergo necesse est devenire ad aliquod primum movens, quod à nullo movetur, & hoc omnes intelligunt DEUM.

Secunda via est ex ratione causæ efficientis. Invenimus enim in istis sensibilibus esse ordinem causarum efficientium: nec tamen invenitur, nec est possibile, quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic esset prius seipso, quod est impossibile; non autem est possibile, quod in causis efficientibus procedatur

cedatur in infinitum; quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medii, & medium est causa ultimi, sive media sint plura, sive unum tantùm; remotâ autem causâ removetur effectus: Ergo si non fuerit primum in causis efficientibus, nec ultimum, nec medium erit: Sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus non erit prima causa efficiens, & sic non erit nec effectus ultimus, nec causæ efficientes mediæ, quod patet esse falsum, Ergo est necessè ponere aliquam causam efficientem primam: quam omnes DEUM nominant. *Hæc D. Thomas.*

Ad hujus rationis clariorem intelligentiam audi *Suarium* qui supra illud evidens principium Metaphysicum *Omne quod fit, ab alio fit*; sive creetur, sive generetur sive quacunquè ratione fiat, sic differit; Hoc principium ex eo demonstratur, quod nihil potest efficere se. Nam res quæ fit per effectionem, acquirit esse: res autem quæ facit aut producit, supponitur habere esse, & ideo claram repugnantiam involuit, quod idem faciat seipsum: prius enim quàm res sit, non potest esse in actu formali vel virtuali, ad faciendum se. Hoc ergo posito principio, sic concluditur demonstratio: Omne ens aut est factum, aut non est factum, seu increatum: sed non possunt omnia entia quæ in universo sunt, esse facta: ergo necessarium est, esse aliquod ens non factum seu increatum. Major est evidens; cùm necesse sit ex duobus contradictoriis alterum cuilibet convenire. Minor probatur, quia omne ens factum ab alio, est factum, vel ergo illud à quo factum est, est etiam factum, vel non; si non est factum, datur ergo aliquod ens increatum quod intendebamus: si verò illud etiam factum est, oportebit ab alio esse factum, de quo ulteriùs idem inquirendum erit, & ita tandem aut sistendum erit in ente non facto, aut procedendum in infinitum; aut circulus committendus: non potest autem aut committi circulus, aut in infinitum procedi, sistendum ergo necessariò est in Ente non facto.

Metaph. disp. 29 sect. 1. n. 20. 21. 26.

Declaratur & probatur prior pars minoris: voco enim committi circulum, si quis dicat unam rem produci ab alia, & hanc rursus produci ab ea, quam ipsa produxerat, vel immedia-

tè, vel mediatè & post multas generationes: ita enim fingere quis posset, omnem rem produci ab alia distincta à se, & nullam esse improductam. Hunc ergo circulum dicimus esse impossibilem, & æquè repugnantem illi principio; Omne quod producitur, ab alio producitur; sicut quod eadem res seipsam producat: nam si res una fit ab alia, à se facta, mediatè saltem & quasi in virtute efficit seipsam. Item quia in re quæ facit aliam supponitur esse, ergo etiam supponitur quod sit facta, si per effectionem habet esse: ergo non potest esse facta à suo effectu.

Superest ut probemus alteram partem minoris supra positæ; scilicet non posse procedi in infinitum in emanatione unius entis ab alio, quod in omni genere causarum demonstravit Aristoteles. Et evidenter, ut existimo, ostendi potest, necessariò sistendum esse in aliqua prima causa non facta: & incipiendo à causis per se subordinatis, quarum una per se & actu pendet ab alia, vel in esse vel etiam in actione. *Primò* afferri possunt hìc omnes rationes, quibus probatur non posse esse in rebus multitudinem actu infinitam, sine qua multitudine non possit intelligi ille processus in infinitum in causis subordinatis: sed illas omitto; tum quia generales sunt, & remotæ; tum quia non sunt adeo evidentes.

Lib. 2. Metaph. c. 2.

Argumentor igitur in hunc modum ex propria ratione & subordinatione causarum, ut Aristoteles argumentatus est: quia impossibile est totam collectionem entium vel causarum efficientium, esse dependentem in suo esse & operari: Ergo necesse est esse in illis aliquid independens: Ergo non potest in illo progressu in infinitum procedi, sed sistendum est in Ente improducto, quòd etiam in causando sit independens. Primum Antecedens est evidens ex dicto principio: Omne quod producitur, ab alio producitur: nam perinde est dicere; omne quod dependet, ab alio dependet: Si ergo tota rerum collectio esset dependens, deberet necessariò dependere ab alio, id autem est impossibile, quia extra collectionem non est aliud: quòd si tota collectio penderet ab aliquo Ente intra ipsum comprehenso, etiam illud penderet à seipso, quod est impossibile; sic ergo impossibile est totam collectionem Entium esse factam, aut totam collectio-

nem causarum esse dependentem in agendo, propriâ dependentiâ, quâ posterior causa pendet à priori. *Hactenus Suarez.*

Sed clariùs & breviùs idem argumentum ita proponitur: Omnes Res in Universo vel sunt productæ una ab alia, vel quælibet est producta à seipsa, vel casu quælibet fieret, vel deniquè postquam una seipsam produxerit, alias postea produxit. *Primum* dici non potest: quia si Res A produceret Rem B. & Res B. produceret Rem A. sequeretur quòd Res A. in aliquo instanti existeret, & non existeret. Existeret, quia produceret Rem B. non existeret, quia primò produceretur à Re B. adeoquè existeret ante seipsam seu priusquàm existeret: quæ omnia sunt implicatoria, contradictoriaquè, & lumini rationis manifestè repugnantia. *2dum* etiam dici nequit, ut quælibet Res sit à se ipsa producta: quia similiter eadem implicantia contradictionis reccurrit: Esset enim à seipsa producta, ut supponitur; & non esset à se ipsa producta; quia ipsa producens non existeret: nam si existeret, cur deberet seipsam producere, cùm iam in suo actuali Esse foret? *3tium* quoque asseri non potest, scilicet Res esse casu seu fato quodam factas: Quia quæ casu fiunt, nec sunt durabilia, nec eodem modo semper se habent: jam verò Mundus longissimo tempore sex millium annorum durat: & eodem modo semper se habent motus Cælorum, cursus astrorum, mutationes temporum, generationes & corruptiones rerum. Deinde adeò magnificam machinam Mundi, adeò ordinatissimam ejus structuram, dispositissimam varietatem &c. ut nè punctum quidem ampliùs ad ejus perfectionem requiratur, nisi expers rationis casu factam dixerit. *4tum* etiam affirmari nequit: quia nihil potest seipsum producere; cùm actu non existat, ut in secundo probatum est. Manet ergo conclusum, dari Ens à se, inproductum, à quo omnia sunt producta: & hoc Ens est DEUS Ter optimus Maximus. Neque dicas mundum esse Ens à se, & improductum, ac æternum: quia necessariò exinde & alia prædicata deberent ipsi competere, quæ competunt Soli DEO, ut ex descriptione DEI supradata patet. Atqui falsum est quòd ejusmodi prædicata possint convenire mundo, ut v. g. ille sit infinitus, immensus in omni genere perfectionis, cùm manifestum est il-

lum esse multùm limitatæ perfectionis. Ergo etiam falsum erit mundum esse à se Ens improductum, æternum, sed potiùs esse Ens ab alio in tempore creatum.

S. Thomas hæc & sequentia p. I. q. 2. art. 3.

Tertia Via est juxta D. Thomam sumpta ex possibili & necessario, quæ talis est. Invenimus enim in rebus quædam, quæ sunt possibilia esse & non esse; cùm quædam inveniantur generari, & per consequens possibilia esse, & non esse. Impossibile est autem omnia quæ sunt talia, semper esse: quia quod possibile est non esse, quandoquè non est: Si igitur omnia sunt possibilia non esse, aliquando nihil fuit in rebus. Sed si hoc est verum, etiam nunc nihil esset: quia quod non est, non incipit esse nisi per aliquod, quod est. Si igitur nihil fuit, & sic modò nihil esset: quod patet esse falsum. Non ergo omnia entia sunt possibilia, sed oportet esse aliquid necessarium in rebus. Omne autem necessarium, vel habet causam suæ necessitatis aliunde, vel non habet; non est autem possibile, quòd procedatur in infinitum in necessariis, quæ habent causam suæ necessitatis: sicut nec in causis efficientibus, ut probatum est: ergo necesse est ponere aliquid, quod sit per se necessarium, non habens causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis, quod omnes dicunt DEUM.

Quarta Via est, sumiturquè ex gradibus qui in rebus inveniuntur: invenitur enim in rebus magis & minùs, bonum & verum & nobile, & sic de aliis hujusmodi. Sed magìs & minùs dicuntur de diversis, secundùm quod appropinquant diversimodè ad aliquid, quod maximè est, sicut magìs calidum est quod magis appropinquat maximè calido. Est igitur aliquid, quod est verissimum & optimum & nobilissimum, & per consequens maximè ens, nam quæ sunt maximè vera sunt maximè entia, ut dicitur secundò Metaphysico quòd autem dicitur maximè tale in aliquo genere, est causa omnium quæ sunt illius generis: sicut ignis qui est maximè calidus, est causa omnium calidorum, ut in eodem lib. dicitur. Ergo est aliquid quod omnibus entibus est causa esse, & bonitatis, & cujuslibet perfectionis, & hoc dicimus DEUM.

Quinta Via sumitur ex gubernatione rerum; videmus enim quòd

quòd aliqua quæ cognitione carent scilicet corpora naturalia operentur propter finem, quod apparet ex hoc, quia semper, aut frequentiùs eodem modo operantur, ut consequantur id quod est optimum. Unde patet quòd non à casu, sed ex intentione perveniunt ad finem. Ea autem quæ non habent cognitionem, non tendunt in finem nisi directa ab aliquo cognoscente & intelligente, sicut sagitta à sagittante. Ergo est aliquod intelligens, à quo omnes res naturales ordinantur ad finem. Et hoc dicimus DEUM. *Hactenus D. Thomas.*

Sexta Via noscendi DEUM communis datur à Theologia naturali per creaturas, de qua hæc ex *Suario* accipe: Quia ut Apostolus Rom. 1. ait: *Quod notum est DEI, manifestum est in illis: DEus enim ipsis manifestavit.* Vocat autem notum DEI, id, quod naturali lumine de illo innotescere potest, quod saltem esse oportet ipsum esse, nam si hoc ignoretur, nihil prorsus de DEO cognoscetur. Declarans autem hunc manifestationis modum, subdit: *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoquè ejus Virtus & Divinitas; ita ut sint inexcusabiles; quia cùm cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt.* Ex quibus verbis manifestè colligitur talem posse cognitionem DEI ex creaturis haberi, ut homines inexcusabiles reddat, si vel DEUM esse non assentiantur, vel illum colere negligant. Quòd autem illa cognitio sit evidens in se: non potest ex illis verbis tam apertè colligi, nam sæpè minor cognitio, quàm evidens, sufficit ad obligandum hominem, & ut illum inexcusabilem reddat, nisi juxta illam operetur. Nihilominus tamen si verba Pauli attentè ponderentur, satis indicant evidentem cognitionem, ut sunt illa: *Manifestum est in illis*: Et: *Intellecta conspiciuntur.* Et simile testimonium est apud Salomonem Sap. 13. ubi reprehenduntur, qui verbum DEI ignorant: *Vani* inquit, *sunt omnes homines; in quibus non subest Scientia DEI, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est: neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex.* Et infra: *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator eorum videri.* Idem indicatur Psalmo 18. *Cæli enarrant gloriam DEI:* ut latè exponit Chrysost. homil. 9. &

Suarez Metaph. disp. 29. sec. 2. n. 6.

& 10. ad populum. Et eodem sensu declarat Gregorius verba illa Job. 36. *Omnes homines vident eum; unusquisque intuetur procul.* Et *ratio est*: nam licèt singuli effectus per se sumpti & considerati non ostendant unum & eundem esse omnium Factorem, tamen totius Universi pulchritudo, omniumquè rerum quæ in eo sunt, mirabilis connexio & ordo, satis declarant esse unum primum Ens, à quo omnia gubernantur, & originem ducunt. Hanc rationem attigit D. Thom. lib. 1. contra Gent. cap. 13. ex Damasceno lib. 1. de fide cap. 3. & Gregor. 26. Moral. cap. 8. Et Chrysost. hom. 4 in Genesim & expressè Dionysius Areopagita cap. 7. de divinis nominibus, dixit DEum cognosci ex creaturarum omnium ordinatissima dispositione: quod usurpavit etiam Augustinus lib. 11. de Civit cap. 4. & Justinus interrogatus quæstione 16. Gentium: unde *sciri potest sitne DEUS omnino?* eleganter ac breviter respondit. *Ex eorum, quæ sunt, concretione, constitutione, ac stabilitate.* Unde optimè Eusebius Cæsariensis lib. 7. de præparatione Evangel. cap. 2. *Sicut domus*, inquit, *sine artifice, aut pannus sine texente fieri non potest, ita neque universum hoc sine authore.* Gregorius verò Nazianzenus orat. 2. de Theolog. exemplo utitur cytharæ aut concentûs ejus ordinatissimè ac pulcherrimè constituti. Nam sicut is non posset intelligi sine aliquo authore vel artifice: ita neque hujus Universi aptissima constitutio sine DEO. Tandem rationem hanc insinuavit Philosophus lib. 12. metaph. cap. 2. in illis verbis: Quo namque pacto ordo erit, non existente aliquo perpetuo, separato, ac permanente. Eamquè latiùs prosequitur cap. 10. ubi etiam utitur exemplo domûs & familiæ rectè ordinatæ; & exemplo exercitûs, qui sine Duce ordinatus esse non potest. Eandem tetigerat lib. 1. cap. 3 & 4.

Septima Via ducens in cognitionem DEI, est Ratio Moralis, quâ evidens esse perpenditur, nempe virtutibus deberi præmia vitiis supplicia. Ergo quoquè evidens est, debere dari supremum Numen Sapientissimum, justissimum, optimum &c. ut post mortem quoquè coronet pietati deditos, plerumquè in præsenti vita miseros: puniat verò impios hac in vita ut plurimùm felices. Alioquin multò miserabiliores forent boni, præ malis,

malis, utpote nec in hac, nec in futura vita præmiandi; cùm tamen ratio judicet omnino bonos præmio, uti malos dignos supplicio; quod fieri nequit absquè supremo rerum Gubernatore. Addo portentosos eventus in sceleratorum ruinam manifestè declarare supremam in Universo esse Providentiam, quæ adeò exoticis modis impios persequitur. Plenæ hac in materia sunt sacræ & profanæ paginæ, & ipsa rerum magistra docet experientia, ut hæc negare, vel casu fieri, & non vindice supremo Numine, ipsis amentibus insanior, & bestiis brutalior judicetur.

Concluditur ergò adeò certum esse, DEUM existere, quòd teste coronato Propheta dixerit, Insipiens in corde suo, non est DEUS; nimirum tantam blasphemiam non est ausus ore proferre, nè contra evidentiam rationis loquens, extremæ insipientiæ, temeritatis, malitiæ, insaniæ ab Universitate rerum argueretur. *Psal. 13.*

DEUM esse Unum naturali Ratione evincitur.

R*atio* prima est; quia ut D. Thom. argumentatur. Si duo sunt, quorum utrumquè necessè est esse, oportet quòd conveniant in intentione necessitatis essendi, oportet igitur quòd distinguantur per aliquid, quod additur vel utriquè vel alteri, & sic oportet vel alterum vel utrumquè esse compositum, nullum autem compositum est necessè esse per seipsum. *D. Thom. I cont. gent. c. 42. rat. 7.*

Secunda Ratio Angelic. Doct. est, quam Suarez affert & approbat, ac egregiam & subtilem vocat: Est autem hujusmodi: Ens quod per se est, necessarium habet necessitatem essendi, in quantum est hoc singulare: Ergo impossibile est entia per se necessaria esse plura: Ergo non possunt esse entia plura improducta: Ergo quidquid est, ab *Uno* ente improducto trahit originem. Consequentia prima patet, quia singularitas rei non est communicabilis alteri, & ideo quod convenit alicui quatenus est hoc singulare, signum est non esse multiplicabile. Reliquæ autem illationes per se notæ sunt. Antecedens verò probatur: quia si ens necessarium non habet necessitatem essendi, quatenus est hoc singulare individuum: Ergo hæc singularitas *Disp. 29. Metaph. sect. 3. n. 9.*

non est necessaria per se, enti necessario ut sic: Ergò ex aliquo alio dependet, aut aliunde provenit. Hoc autem involuit repugnantiam; nam Ens per se necessarium maximè debet esse tale, quatenus singulare est, quia non est ens actu, nisi quatenus singulare est; Ergò singularitas ipsa maximè debet illi convenire ex intrinseca necessitate, & non aliunde, neque dependeret ab alio. Si autem singularitas convenit ex intrinseca necessitate essendi non potest multiplicari, sicut si homo ex intrinseca ratione hominis necessariò secum afferret singularitatem Petri, non posset multiplicari.

§ 3tius.

DEI Existentia probatur Ratione supernaturali.

HÆc Ratio supernaturalis talis est, cui tanquam fundamento stabili Fides supernaturalis innititur; fides autem non potest inniti nisi soli revelationi seu locutioni Divinæ aliquid attestanti: quæ revelatio attestantis summæ Veritatis, seu authoritas DEI loquentis infallibilis in dicendo, & cognoscendo est Ratio supernaturalis, cur ego credam fide Divinâ aliquid esse verissimum, etiamsi illud excedat captum intellectûs humani. Igitur & in hac materia, quòd DEUS sit, & existat; ut hoc ipsum credam fide Divinâ seu supernaturali, non alia ratio dari potest, quàm testimonium ipsius DEI de seipso asserentis quòd ipse existat, quòdvè talis in suis attributis & perfectionibus sit. Porrò universaliter testimonium proprium de sui existentia, quidditate, qualitate datum non est inconveniens, modò aliunde id probetur. Sicut DEUS dum aliquid vel de seipso, vel de aliis revelat, & dicit: id ipsum se revelare & dicere tum per internum lumen & motivum, tum per externa motiva credibilitatis comprobat, seu dicit se dicere: Sicut Rex Regio sigillo suum esse mandatum confirmat, seu dicit se dicere id quod est in
Lib. 1. de DEO cap. 1. n. 5. mandato positum. Sed audi *Suarez* docentem qui ait: Dicendum breviter est, non repugnare assentiri, DEUM esse, ex testimonio ipsius DEI dicentis: *Ego sum, qui sum.* Et: *Qui est, misit me ad vos.* Exod. 3. potest enim persona quæ latet, seu non videtur oculis, auribus audiri, & de seipsa testimonium perhi-

bere quòd ſit, vel quòd talis ſit. Sic Chriſtus, cùm Samaritana non cognoſceret illum, ſub ratione Mesſiæ, teſtimonium de ſe perhibuit dicens: *Ego ſum, qui & loquor tecum* Joan. 4. Quo teſtimonio & illam obligavit ad credendum ſe eſſe Mesſiam, & ad credendum Mesſiam eſſe qui illud teſtificabatur, niſi enim authoritate Mesſiæ illud dictum confirmaretur: fide dignum non efficeretur. Similiter Marci 6. cùm Chriſtus ſupra mare iret ad diſcipulos laborantes in remigando, & ipſi eum videntes non cognoviſſent, ſed turbati putarent phantasma eſſe, ipſe de ſe teſtimonium perhibuit dicens: *Ego ſum*: itemquè poſt reſurrectionem ingreſſus ad diſcipulos dixit eis: *Pax vobis, ego ſum.* Cui voci magis credendum erat quàm viſui, juxta illud Petri: *Habemus firmiorem propheticum ſermonem* &c. Sic ergo DEUS revelando fidem, revelat ſe teſtificari res credendas, ex quibus una eſt: *DEUM eſſe.* Quia poteſt DEUS de Se & de ſuo Eſſe loqui, ac proinde teſtimonium præbere. In quo quidem teſtimónio ſupponitur DEUM eſſe, ut dari posſit; quia non loquitur niſi Qui eſt: ut benè probat argumentum factum: non tamen ſupponitur cognitum ex parte credentis, DEUM eſſe, ex vi illius teſtimonii, ſed per illum eundem aſſenſum creditur & DEUM eſſe, & ipſum dicere ſe eſſe; quia tanta eſt Divina authoritas, taliquè modo proponitur, ut totum id teſtimonio ſuo faciat creditu dignisſimum, certisſimâ fide. *Hæc Suarez.*

De Eſſentia ſeu quidditate DEI.

QUid eſt DEUS? Admirabilis hæc quæſtio, & deſiderabilis ejus ſolutio: verùm mirabilis ſcientia DEI, & confortata eſt, nec homo poterit ad eam. Excelſior Cælo eſt & inferno profundior, liceat tamen imbecillitati & parvitati humanæ inacceſſibilem illam Lucem, vel per umbras & rimulas quasdam contemplari, ſuumquè exilium ſolari, quousquè in beatitudinem Patriæ Cæleſtis admiſſa pleniùs delectetur in deliciis æternis gloriæ magni DEI. Interim vel balbutiendo.

Reſpondeo; *DEUS eſt Ens ſimpliciter neceſſarium, A SE,*

Suarez. De DEO lib. 1. cap. 1. n. 6. *substantiale, spirituale, vivens, intellectuale, omni genere perfectionis completissimum.* Dicitur: *Ens simpliciter necessarium* (quod Suarez dicit esse de fide, declaratquè) id est, DEUM esse tanquam veritatem quandam ita necessariam & infallibilem, ut deficere non possit. Idem ex alio fidei dogmate sequitur à posteriori: quia DEUS est immutabilis & æternus, ita ergò est, ut initium sui esse, vel finem habere non possit, nec transire ullâ ratione de esse ad non esse, & hoc est esse Ens simpliciter necessarium, cui actualis existentia absoluta necessitate inest, ut ita loquamur. Et hoc totum DEUS ipse significavit: quando de se singulariter & quasi per antonomasiam affirmavit: *Ego sum, qui sum*; sibiquè nomen imposuit: *Qui est*. Nam per illam absolutam appellationem significata est permanentia necessaria & immutabilitas Divini *Esse*, ut notant Nazianzen: Orat. 24. quæ est 2. in Part. Et August. lib. de vera religione cap. 49. Isidor. lib. 7. Ethymolog. cap. 1. Hilar. 1. de Trinit. & Cyrillus lib. 1. Thesau. cap. 6.

Ibidem n. 10. & 11. Dicitur *A SE*: quod prædicatum, (ut Suarez innuit ibidem) est consequens ad præcedens, & in ordine ad nos est prius illo. Nos enim prius probamus, esse aliquod Ens habens ex se existentiam non receptam, nec causatam ab alio, & inde concludimus ens esse necessarium in existendo: & esse unum tantùm, & esse DEUM. Et licèt in re ipsa non est prius nequè posterius, quia sunt idem: tamen si secundùm rationem loquamur, hæc veritas sequitur ex præcedenti, quia hæc ultra præcedentem solùm addit negationem dependentiæ ab alio, seu causalitatis, vel receptionis existentiæ, positivum autem est prius negatione, & quasi fundamentum ejus DEUS: Ergo ita est, ut ex se summa necessitate sibi vendicet Esse, hinc autem fit ut illud Esse ab alio non habeat, nec in eo à quoquam pendeat.

Quod verò attinet ad certitudinem fidei, cùm hæc in re idem sint, licèt à nobis distinguantur, & diversis verbis declarentur, eisdem testimoniis, quibus probatur prior veritas, hæc etiam convincitur. Unde quòd DEUS dixit. *Ego sum, qui sum*: perinde est, ac si dixisset: Ex me habeo Ego ut sim. Præterea sæpè scriptura docet DEUM nullâ re indigere, nequè ab alio ditari

ditari posse, nequè esse creatum, neque factum, imo ipsum esse Factorem visibilium & invisibilium, ut in symbolo fidei legimus Est ergo Ens *ex se* habens *esse*. Hæc Suarez.

Porrò ex prædicato Aseitatis fluere alia attributa & perfectiones Divinas evincitur primò authoritate SS. Patrum Damasceni lib. 1. de fide cap. 11. *Videtur* inquit *principalius omnium de DEO dictorum nominum esse, Qui est.* Et S. Bernardus lib. 5. de Consid. c. 6. *Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid aliud tale de DEO dixeris, in hoc verbo instaurat Qui est*, puta à se: juxta interpretationem hujus loci scripturæ inter SS. Patres usitatam. Ubi S. Doctor rationem essendi *Qui est*, dicit esse prædicatum radicale, in quo cætera fundantur. *Ratio est*: quia vera est hæc consequentia: Est Ens à se: Ergo est omni genere perfectionis absolutissimum. Ex quo enim caret causâ sui limitativâ, eo ipso tali enti ad omnimodam perfectionem nihil debet deesse. Etenim si aliquid deesset, id fieret vel prohibente alio ac impediente aliquam perfectionem, vel certè ejusmodi defectum exigente naturâ *A Se*. Neutrum dici potest Non primum, supponimus enim hujusmodi Ens esse independens ab ullo alio, esset enim à se, ideoquè non haberet aliud prohibens vel impediens suas perfectiones. Secundum quoquè dici nequit, quia sicut natura uniuscuiusquè Entis ad malum intendens non operatur, ita neq; sibi defectum vult: quodvis enim Ens appetit sibi appetitu innato bonum & perfectum; jam verò omnis defectus est malum, adeoquè minimè appetibile à natura entis *A Se*. Igitur si ens à se omninò debet esse perfectissimum; Ergò est necessarium, existens; Ergò est actus purus & simplex; Ergò est intellectiuum, volitivum, liberum, omnipotens, sapiens, & bonum &c. Ergo est immutabile, infinitum, immensum; & sic de reliquis perfectionbus. Alioquin vel unicâ deficiente, non esset ens perfectissimum, ideoquè nec ens à se. Manifestum est itaque ex ratione essendi à se tanquam ex radice fluere juxta modum humanum concipiendi omnia attributa & perfectiones in DEO. Dicitur; *Substantiale*: Quia hoc prædicatum, sicut & Spirituale Vivens, Intellectuale, etsi ex ratione Aseitatis fluant necessariò ut visum est, nullaquè in DEO sit compositio vel distinctio, tamen ad modum nostrum

cognoſcendi, hæc prædicata Neceſſarii Entis *A Se*, Subſtantiæ, Viventis, Intelligentis, concipimus ut conſtitutiva Naturæ ſeu Eſſentiæ Divinæ; alias verò perfectiones ut proprietates à Divina Eſſentia emanantes. Quare de iisdem prædicatis Naturæ Divinæ nunc proſequamur, & ſeorſim de ejus perfectionibus. Igitur cum Suarez.

De DEO. lib. 1. c. 3. n. 4. *Dico.* Eſſe Divinum ſubſtantiale eſt, & in eo genere completum eſſentialiter. Unde Divina Eſſentia natura ſubſtantialis completa eſt, DEUSquè ipſe eſſentialiter eſt ſubſtantia completa. Tota aſſertio quoad rem per illam explicatam de fide eſt, & evidens ratione naturali. Hoc poſterius in diſputatione 29. Metaphyſi: oſtenſum eſt. Illud verò prius traditur in cap. *Firmiter* & cap. *Damnamus* de ſumma Trinit: & fid. Cath. Conſtatquè tam apertè ex modo, quo ſcriptura de DEO loquitur, ejusquè excellentia ſuper omnia creata, ut neceſſariùm non ſit particularia teſtimonia proferre. Non poteſt enim DEUS eſſe primum Ens & primum principium omnium, & Creator ſubſtantiarum omnium, niſi ipſe ſit ſubſtantia. Niſi velimus illum vocare Superſubſtantiam, ut Dionyſius & alii Patres interdum loquuntur. Non quidem quòd vera & propriisſima ſubſtantia non ſit, ſed ad explcandum Eſſe altiori modo, ſubſtantiæ quippe nomen deſumptum, ſcilicet à ſubſtando. DEUS enim propriè non ſubſtat vel accidentibus, vel alicui rei à ſe aliquo modo diſtinctæ, ſicut ſubſtare poteſt omnis ſubſtantia creata. Tamen hæc inperfectio, non pertinet formaliter ad rationem ſubſtantiæ, licet fortè ad etymologiam vocis pertineat. Sed ſubſtantia dicitur Ens, quod ita per ſe eſt, ut non indigeat ſuſtentari ab aliquo ſubjecto. Unde evidens eſt, primum Ens non poſſe eſſe accidens, nam accidens ſemper ſupponit aliquod Ens, in quo ſuſtentetur Eſt ergo DEUS ſubſtantia, quòd autem conpleta ſit, æquè certum eſt; alias non eſſet ſubſtantia perfecta,

Ibidem n. 7. imò nequè ſubſtantia ſinpliciter. Dicitur: *Spirituale*, Unde *Suarez*: Dicimus ſubſtantiam DEI Spiritualem eſſe & incorpoream, id eſt quantitati non ſubjectam nequè illius capacem. Quod eſt de fide certisſima Jonn. 4. *Spiritus* eſt *DEUS*. Quia verò nomen *Spiritus* in ſcriptura æquivocum eſt quòd ibi

ibi significat substantiam incorpoream constat, quia illud affert Christus ut probet inde, DEI adorationem non esse ad certum locum neque ad corporales ceremonias coarctandam aut restringendam, sed DEUM ubiquè adorari posse in spiritu & veritate, quia ipse Spiritus est, id est res incorporea quæ loco non continetur, ut communiter Patres exponunt, quos refert & doctè explicat ibi Toletus. Unde hanc veritatem confirmant omnia scripturæ testimonia, in quibus dicitur DEUS esse vel ubiquè, vel non contineri seu circumscribi loco, quod proprium est corporum. Item afferri possunt testimonia, in quibus DEUS dicitur invisibilis, impassibilis, immutabilis, & similia quæ suis locis afferemus. Nam constat hæc omnia cum proprietate non posse corporali rei convenire. Deniquè etiam afferri possunt loca, in quibus dicitur DEUS depingi non posse, nec aliquam ejus similitudinem, vel effigiem aut imaginem corporalem posse fieri, utiquè quia corpus non est. Ex doctrina verò Ecclesiæ & Patribus non oportet multa congerere, quia hæc est vulgatissima doctrina apud illos: sufficit ergò quod in cap. *Firmiter* profitetur Ecclesia; *DEUM esse omnino simplicem & indivisibilem*, & non *habere partes in substantia sua*. Quæ omnia non possunt rei corporeæ convenire.

Dico Cum *Suarez* DEUM esse essentialiter Viventem. Unde cùm vivere in viventibus sit esse; necesse est, ut esse DEI sit vivere substantialiter. Hanc assert. tradit S. Thom. 1. p. quæst. 18 post doctrinam de scientia DEI. Videtur enim à notioribus nobis procedere & ex operatione DEI vitam ejus colligere. Re tamen verâ pertinet ad hunc locum; quia vivere est prædicatum maximè essentiale, ideoquè valde necessarium ad declarandum nobis modo accommodato, quid sit DEUS. Estquè assertio de fide. Nam in scriptura Divina verus DEUS maximè solet nomine DEI viventis appellari, ad distinguendum illum à falsis Diis. Unde Daniel cap. ultimo. *Non cola Idola manu facta, sed DEUM viventem.* Et cùm Rex illi dixisset, etiam Draconem quem Babylonii adorabant ut Deum, esse viventem, respondit Daniel. *Dominum DEUM meum adoro, quia ipse est DEUS vivens, iste autem non est DEUS vivens.* Quod

statim

statim ostendit ex potestate interficiendi illum, significans DEUM esse viventem, non quomodocunquè sed altiori modo super omnia viventia, id est immorali vitâ per essentiam. Et ideo DEUS non solùm dicitur *Vivens* sed etiam ipsa Vita. Sic Christus Joan. 14. inquit. *Ego sum via, veritas, & vita.* Et cap. 5. dicitur Pater *habere vitam in semetipso*, id est non participatam neque dependentem ab alio, ut exponunt ibi Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, & alii. Quod per aliquod additum subinde significatur; ut cùm dicitur Apocalip. 5. *Adoraverunt viventem in secula seculorum.* Et ratio evidens est: quia in entibus gradus viventium perfectior est gradu non viventium, ut videtur per se notum. Sed DEUS constitui debet essentialiter in perfectissimo gradu entium. Ergo Item DEI nomine intelligimus primam causam & auctorem rerum omnium. Est ergò DEUS author vitæ, ut in scriptura sæpissimè nominatur; Ergò est ipse maximè vivens.

Lessius de perfect. Divin. lib. 6. c. 5.

Lessius hæc de vita DEI affert, dum inquit. Vita dicitur & substantia vitalis, ut est Anima & natura Angelica, & operatio vitalis quæ nimirum in operante à quo emanat, remanet, qualis est intelligere, amare, sentire appetere, seu movere. Utroquè modo DEUS est vita (semotis imperfectionibus) nec solùm ista, sed prima ista & æterna vita & ipsa vitæ plenitudo ac universitas, omnis vitæ origo, & consummatio, principium & finis, in quo etiam omnia, quæ non vivunt, vita sunt. Ipse enim est supervitalis essentia, & superessentialis vita omnem vitalem substantiam intra se eminentissimè & simplicissimè præhabens, & causaliter complectens, & extra se quamlibet juxta suam speciem formans conservans, & perficiens: Ipse est sua vitalis operatio, nimirum sua intellectio, suus amor, suum gaudium, sua beatitas. Ex illo supervitali fonte omnia quæ aliquomodo vivunt, vitam hauriunt, & vitales facultates motusquè arcessunt, alia præstantiores, alia minùs præstantes juxta gradum cujusquè & ordinem. Inde vita omnis & plantarum, & animalium, & hominum, & dæmonum & Angelorum, omnis vita supernaturalis & naturalis, hujus seculi & futuri, temporalis & æterna, Deniquè sicut ipse est omnium existentium Esse

super-

superessentiale, ita omnium viventium vita supervitalis, ut Dionysius cap. 6. de Divinis nominibus ait. Tribuitur DEO vita maximè ratione intelligentiæ & sapientiæ, hæc enim est prima & suprema vita, seu vitalis operatio, à qua omnis alia vita procedit. A sapientia enim manat amor: per hæc autem cætera omnia sunt condita & formata. Deinde in ipsius sapientia omnia vivunt: ipsum enim intelligi & intellectu formari est quoddam esse & vita intelligibilium, & intellectio rei, est ipsa res modo intelligibili. Itaquè sapientia Divina est omnium vita, & per eam DEUS sibi & omnibus vivit, & omnia ipsi vivunt & adsunt, & splendent, & immutabiliter in ipso perseverant, ex omni æternitate in omnem æternitatem.

Dico cum *Suarez* DEUM esse essentialiter viventem intellectuali vitâ purissimâ. Hæc etiam assertio de fide est. Nam quòd DEUS habeat scientiam fides docet non est autem capax scientiæ, nisi qui est naturæ intellectualis. Ergò dum scriptura docet DEUM scientiam habere, eamquè cum summa perfectione (quam per altitudinem divitiarum sapientiæ & scientiæ interdum declarat Paulus ad Rom. 11. interdum verò vocat thesaurum sapientiæ & scientiæ Col. 2.) planè docet DEUM esse intellectualis naturæ. Nam sive scientia ipsa sit substantia & natura DEI, sive non, necesse est ut ipsa scientia vel sit ipsa natura & substantia intelligentis, vel sit radicata (ut sic dicam) in natura intellectuali, quæ essentialiter talis sit. Hoc ergo prædicatum planè pertinet ad essentialem constitutionem (nostro modo loquendi) Divinæ essentiæ. Potestquè hæc assertio eadem ratione quâ præcedens confiirmari, Tum quia spiritualis substantia, præsertim in gradu perfecto, intellectualis est, ostensum autem est DEUM esse spiritualem. Tum etiam quia cùm DEUS essentialiter sit vivens, debet etiam essentialiter esse in supremo gradu viventium; hic autem gradus est intellectualis, ut est per se notum. Ergo &c. *Hæc Suarez.* *Suarez citat. Ibidem n. 13.*

Dicitur deniquè in descriptione: *omni genere perfectionis completissimum*; ubi intelligitur perfectio tum extensivè tum intensivè infinita, quod clarius patebit ex infinitudine DEI &

aliunde infrà. Porrò de iisdem perfectionibus & attributis Divinis antequam in specie agamus, operæ pretium est in genere aliqua præmittere. Itaquè.

Noto 1mò. Perfectiones seu attributa Divina, alia prædicari de DEO propriè, alia metaphoricè. Priori modo dicuntur de DEO, omnia quæ significant perfectionem, & in sua ratione formali non involuunt imperfectionem, ut Sapientia, justitia &c. Posteriori autem modo dicuntur quæ imperfectionem in suo conceptu involuunt, ut pœnitentia, dolor, & similia. De posterioribus nominibus certum est, non significare in DEO aliquas perfectiones vel attributa re vel ratione distincta ab his quæ nominibus propriis significantur. Quia res significatæ propriè per tales voces, non inveniuntur in DEO, nec sub hac ratione possunt verò DEO tribui, sed sub aliqua Metaphora, per quam voces illæ transferuntur ad significandum aliquid quod propriè in DEO reperitur. Sic autem ea, quæ per tales voces metaphoricè significantur, sunt eædem perfectiones vel attributa, quæ per alias voces propriè significant.)) *Suarez lib. 1. de DEO c. 9. n. 3.*

Noto 2dò. Attributa seu nomina quæ de DEO propriè prædicantur, dividuntur in negativa, & positiva seu affirmativa, prioris generis sunt hæc: Increatus, incorporeus, infinitus, immensus, immutabilis, incomprehensibilis, invisibilis, ineffabilis, Hæc enim tantùm sex attributa formaliter & expressè negativa, invenio vel in scriptura, vel in Patribus & Scholasticis DEO attributa Sunt verò tria alia, quæ in modo significandi non dicunt expressam negationem, & ideo sub opinione versantur, an dicant negationem nec ne? quæ sunt; Simplex, unus, æternus. Nam per simplicitatem ut rectè dixit D. Thom. in principio quæst. 3. part. 1. non indicatur, quomodo DEUS sit, sed quomodo non sit, & idem est de unitate, per quam etiam negatur esse alios veros DEOS. De æternitate verò postea dicemus. Posterioris generis sunt nomina illa, quæ perfectionem aliquam positivam formaliter indicant, inter quæ sunt aliqua transcendentia, quæ sunt, ut ens seu res, vel aliquid, verum, & bonum, & omnia quæ his correspondent, ut est essentia, existentia, bonitas, veritas, addi etiam potest subsistentia, prout essentialis *Ibidem n. 4.* *Ibidem n. 5.* *Ibidem n. 6.*

tialis esse potest. Deinde sunt alia prædicata DEI, quæ perfectionem ut sic dicam, minùs generalem significant; nempe substantia, spiritus, vivens, intellectualis. Alia verò sunt inter hæc prædicata, quæ in creaturis solent significare aliquid adjunctum essentiæ, & illam perficiens, & in hac videtur propriè convenire, quod Damascen. lib. cap. 4. dicit. *Quæcunquè de DEO per affirmationem dicimus, non ipsius naturam, sed quæ circa ipsius naturam sunt, ostendunt.* Oportet autem hæc prædicata talia esse, ut in spiritualibus substantiis propriè reperiri possint, nam quæ sunt limitata ad res corporeas, non attribui DEO secundùm proprietatem. In substantiis autem intellectualibus quinquè sunt tantùm capita, ad quæ hæc omnia attributa revocari videntur quæ sunt. *Duratio*, quæ immediatè intelligitur cadere in ipsum Esse existentiæ. *Præsentia*, ratione cujus dicitur aliquid in loco esse. *Intellectus*, ad quem pertinent intellectuales virtutes, ut scientia, sapientia, prudentia, ars, & actus immanentes earum, ut intellectio, conceptus mentis, ratio seu idea, & proprietates illorum actuum, ut evidentia, claritas, certitudo, veritas. *Voluntas*, ad quam etiam spectant virtutes ejus & actus, ut charitas, justitia, misericordia, liberalitas, amor, propositum, velle, intentio electio, & similia. Atque inter hos actus comprehenditur providentia, ejus pars est prædestinatio, sive in una, sive in altera, sive in utraquè facultate existat. Ultimum deniquè ex his attributis est *Potentia*, quæ in DEO omnipotentia dicitur. Atque hæc videntur omnia esse prædicata, quæ propria DEI attributa dicuntur.

Ibidem n. 7.

Ibidem. n. 12.

Noto 3tiò. Principaliter possunt prædicata DEI, præsertim affirmativa, distingui in absoluta & respectiva, quorum nominum rationes satis notæ sunt, exempla verò sunt facilia; nam esse DEUM quid absolutum est, esse verò Creatorem quid respectivum.

SECTIO I.

DE ESSENTIA DEI ET EJUS PERFECTIONIBUS VIA AFFIRMATIVA CONTEMPLANDIS IN PRIMA HIERARCHIA CONTEMPLATIVORUM.

SUBSECTIO I.

IN PRIMÆ HIERARCHIÆ GRADU PRIMO.

De Contemplatione DEI & ejus Perfectionum in Mundi Creatura.

§ imus.

Richardus lib. 2. cap. 1.

CONtemplanti DEUM in, & ex Mundi Creatura, hæc cautela observanda, quam insinuat Richardus dicens, *In tanta visibilium rerum copia, inter tot spectaculorum genera videat quisque quod eligat: Caveat nè illud ante mentis oculos reducat, unde cordis sui munditiam polluat. Debet ergo à considerationis suæ respectu, voluptatum irritamenta amovere, qui cupit de internæ incorruptionis perpetuitate gaudere. Quidquid avaritiam stimulat, quidquid gulam irritat, quidquid luxuriam inflammat, ab illa recordationum suarum frequentia secernat. Ille sanè mundum & quæ in mundo sunt utiliter in Contemplationem adducit, qui per mundanorum respectum ad mundanorum despectum venit. Hunc hujusmodi contemplationis fructum magnus ille mundialium contemplator quæsivit & invenit, scriptumque reliquit. Vanitas Vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum & omnia vanitas. Ille vanitatis Contemplationem non in vanum assumit, qui ex eo quòd in imo respicit, in laudem Creatoris assurgit, qui eum in omnibus operibus suis mirabilem, laudabilem, amabilem reperit. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa terra! Ecce mirabilem. A solis ortu usquè ad occasum laudabile nomen Domini:*

mini : ecce laudabilem. Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis : ecce amabilem.

§ 2dus.

Jam igitur Contemplationis DEI ex Creaturis sensibilibus accipe Praxim. *Mellifluus Doctor* inquit : Tria in hoc magno Opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid constitutum : & in esse quidem rerum, inæstimabilis potentia commendatur, quòd tàm multa, tàm magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sanè in modo ipso sapientia singularis elucet, quòd hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Si verò ad quid factum sit, mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quosquè multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere : potentissimè equidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè utilia sunt creata. *Serm. 3. Pentec.*

Seraphicus Doctor hæc affert : Quoniam igitur prius est ascendere, quàm descendere in scala Jacob, primum gradum ascensionis collocemus in imo, ponendo totum istum mundum sensibilem nobis tanquam speculum, per quod transeamus ad DEUM opificem summum, ut simus Hebræi transeuntes de Ægypto ad terram Patribus repromissam, simus & Christiani, cùm Christo transeuntes ex hoc mundo ad Patrem, simus & sapientiæ amatores, quæ vocat & dicit Eccles. 24. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. A magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit horum Creator videri. Relucet autem Creatoris summa potentia, sapientia, & benevolentia in rebus creatis, secundùm quod tripliciter nuntiat sensus carnis sensui interiori. Sensus enim carnis aut deservit intellectui rationabiliter investiganti, aut fideliter credenti, aut intellectualiter contemplanti. Contemplans considerat rerum existentiam actualem, credens rerum decursum habitualem, ratiocinans rerum præcellentiam potentialem. *Primo* modo aspectus contemplantis res in seipsis considerans, videt in eis pondus, numerum, & mensuram : *S. Bonaventura Itinerarii cap. 1.*

pondus quoad ſitum, ubi inclinantur; numerum, quo diſtinguuntur; & menſuram, quâ limitantur. At per hoc videt in eis modum, ſpeciem, & ordinem, nec non ſubſtantiam, virtutem, & operationem; ex quibus conſurgere poteſt, ſicut ex veſtigio ad intelligendum potentiam, ſapientiam, & bonitatem, Creatoris immenſam. *Secundo* modo aſpectus fidelis conſiderans, hunc mundum attendit originem, decurſum, & terminum. Nam fide credimus aptata eſſe ſecula Verbo vitæ. Fide credimus trium Legum tempora ſciiicet naturæ, ſcripturæ, & gratiæ, ſibi ſuccedere, & ordinatisſimè decurriſſe. Fide credimus mundum per finale Iudicium terminandum fore. In primo potentiam, in ſecundo providentiam, in tertio juſtitiam ſummi Principii advertentes. *Tertio* modo aſpectus ratiocinantis inveſtigans videt, quædam tantùm eſſe, quædam tantùm eſſe & vivere, quædam verò eſſe, vivere, & diſcernere. Et prima quidem eſſe minora, ſecunda media, tertia meliora. Videt iterum quædam tantùm eſſe corporalia, quædam partim corporalia, partim ſpiritualia, ex quo advertit aliqua eſſe merè ſpiritualia tanquam utrisquè meliora & digniora. Videt nihilominus quædam eſſe mutabilia & corruptibilia, ut terreſtria, quædam mutabilia & incorruptibilia ut cæleſtia, ex quo advertit, quædam eſſe immutabilia, & incorruptibilia, ut ſupercæleſtia. Ex his ergo viſibilibus conſurgit ad conſiderandum DEI potentiam, ſapientiam, & bonitatem, ut entem, viventem, & intelligentem, mere ſpiritualem, & incorruptibilem, & immutabilem. Hæc autem conſideratio dilatatur ſecundùm ſeptiformem conditionem creaturarum: quæ eſt Divinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis teſtimonium ſeptiforme: Si conſideretur cunctarum rerum origo, magnitudo, multitudo, pulchritudo, plenitudo, operatio, & ordo. Origo namq; rerum ſecundùm creationem, & ornatum, quantum ad opera ſex dierum, Divinam prædicat potentiam, cuncta de nihilo producentem, ſapientiam cuncta lucidè diſtinguentem, & bonitatem cuncta largiter adornantem. Magnitudo autem rerum ſecundùm molem longitudinis, latitudinis, & profunditatis ſecundùm excellentiam virtutis longè, lateque, & profundè, ſe extendentis, ſicut patet in diffuſio-

diffusione lucis; secundùm efficaciam operationis intimæ continuæ, & diffusæ, sicut patet in operatione ignis; manifestè indicat immensitatem potentiæ, sapientiæ & bonitatis Trini DEI, qui in cunctis creaturis per potentiam, præsentiam, & essentiam incircumscriptus existit. Multitudo verò rerum secundùm diversitatem generalem, specialem, & individualem, in substantia, in forma, seu figura & efficacia, ultra omnem humanam æstimationem, manifestè trium prædictarum conditionum in DEO immensitatem insinuat, & ostendit. Pulchritudo autem rerum secundùm varietatem luminum, figurarum colorumquè; sicut in corporibus simplcibus & mixtis & etiam complexionatis, in corporibus cælestibus & mineralibus, sicut lapidibus & metallis, plantis, & animalibus, tria prædicta evidenter proclamat. Plenitudo autem rerum secundùm quod materia est plena formis secundùm rationes seminales, forma est plena effectib⁹ secundùm activam potentiam, virtus est plena effectibus secundùm efficientiam, id ipsum manifestè declarat. Operatio multiplex secundùm quòd est naturalis, secundùm quod est artificialis, secundùm quod est moralis, suâ multiplicissimâ varietate ostendit immensitatem illius virtutis, artis, & bonitatis quæ quidem est omnibus causa essendi, ratio intelligendi, & ordo vivendi. Ordo autem secundùm rationem durationis, situationis, & influentiæ scilicet per prius, & posterius, superius, & inferius nobilis, & ignobilis, in libro creaturæ insinuat manifestè primi Principii primitatem quantum ad infinitatem potentiæ. Ordo verò Divinarum legum, præceptorum, & judiciorum, in lib. scripturæ, immensitatem sapientiæ. Ordo autem Divinorum Sacramentorum, beneficiorum, & retributionum in corpore Ecclesiæ, immensitatem bonitatis: ita quòd ipse ordo nos in primum & summum, potentissimum & sapientissimum, & optimum evidentissimè manuducit. Qui igitur tantis rerum creaturarum splendoribus non illustratur, cæcus est; qui tantis clamoribus non evigilat, surdus est; qui ex omnibus his effectibus DEUM non laudat, mutus est; qui tantis indiciis primum Principium non advertit, stultus est. Aperi ergo oculos, aures spirituales admove, labia tua solve, & cor tuum

appone,

appone, ut in omnibus creaturis DEUM tuum videas, audias, laudes, diligas, & colas, magnifices, & honores; nè fortè contra te universus terrarum orbis consurgat. Nam propter hoc pugnabit orbis terrarum contra insensatos, & econtra sensatis erit materia gloriæ, qui secundùm Prophetam possunt dicere.

Psalm. 91. *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum ex-*
Psalm. 103. *ultabo. Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tuâ.*

§. 3tius.

Leonard. Lessius de perfect. moribusq; Divinis lib. 5 c. 2.

Lessius considerans *Omnipotentiam DEI ex Mundi factura* inquit: Quanta res mundus est iste, quàm immensa? quantus terræ circuitus & profunditas? Quanta latitudo maris & aquarum copia? quanta vastitas àëris? quanta cælestium corporum amplitudo? Terra secundùm veriorem sententiam Geographorum continet in ambitu milliaria 19080 unde profunditas usquè ad centrum est milliarium plus quàm trium millium. Cælum Lunæ, ut tradunt Astronomi distat à terræ centro millaribus 120630. Cælum Solis plus quàm quatuor millionibus; stellæ fixæ plus quàm 80. millionibus milliarium. Tanta etiam ab his dicitur esse Cæli octavi spissitudo. Unde convexum ejusdem Cæli distat à terra plusquàm 160. millionibus milliarium. Milliare voco 1000. passus, id est spatium quinque millium pedum. Quanta nunc & quàm incomprehensibilis illorum pernicitas? Sol singulis horis conficit plusquàm 1160000 milliaria id est undecies centena millia & sexaginta millia, vel ut Arithmetico more loquar, unum millionem & centum sexaginta millia milliarium, qui etiam major tota terra dicitur 160. Stellæ circa Æquinoctialem, ut quæ in cingulo Orionis, singulis horis plusquam 42. milliones percurrunt. Quis tantam velocitatem animo concipiat? Nam tanta est hæc velocitas, ut per eam intra spatium salutationis Angelicæ septies terra circuiri posset. Unde sequitur, si aliqua Stella (quarum minima aspectu notabilis major est totâ terrâ decuplo octuplo) in àëre tanto impetu moveretur, universas urbes & domos mox dissipatum iri; imò totum mare & montes radici-

Vide Clavium in Sphæram.

tùs evulsos, in pulverem solvendos, & accendendos, non valentes tantam vim & distractionem porferre. Supra istos Cælos sunt tres alii (posteriores Astronomi ex quadruplici motu Firmamenti quatuor statuunt) nimirum Crystalinum, Primum mobile, & Empyreum, quod est sedes Beatorum, quod secundùm Astronomos multò longiùs abest à Firmamento, quàm Firmamentum à terra. Quis ista considerans, non obstupescat? Et tamen has immensas moles DEUS uno verbo fecit, & formavit, & continet in natura, & ita velociter currere jussit, & eadem facilitate posset plures mundos, & huic æquales condere. Non opus erat istis majora considerare ad Omnipotentiam DEI percipiendam, cùm nec ista mens capere queat, nihilominus potest DEUS longè majora. *Hæc Lessius.*

§ 4tus.

Lessius ita contemplatur *Sapientiam DEI in Creatura corporali:* Considera, *inquit*, singula tam perfectè, tam concinnè, tantâ proportione in singulis animantibus & plantis esse formata, ut omnis sapientia hominum pariter & Angelorum nè minimum quidem vel in musca possit emendare. Omnia enim sunt in extremo perfectionis & pulchritudinis intra speciem suam, nisi fortè ratione materiæ, vel concursus causæ extrinsecæ quippiam sit impeditum vel distortum. Unde etiam de istis minimis operibus dici potest cum Propheta: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Itaquè & hoc infinitæ Sapientiæ est signum. Si enim per infinitam Sapientiam excogitata non essent, posset aliquid in aliqua re pefectius & concinnius concipi. Considera totam illam & incomprehensibilem varietatem, quæ est in corporibus animalium, & plantarum, quod ad figuram, colorem, situm, partium connexionem, proportionem, temperamentum attinet, delitescere in virtute seminis, adeò ut si quis naturam seminis mente comprehenderet, in ea totam cerneret animalis constructionem. Stupenda profectò Potentia & Sapientia, quæ talem vim (cujus opus est tantæ varietatis & Sapientiæ) excogitare, creare, & rei insensibili imprimere potuit. Nihil æquè in rebus creatis mirantur medici, qui hujus operationes exactiùs perpendunt.

Lessius de perfect. Divin. lib. 6. c. 2.

Pari modo in ipsa forma quoquè seu anima latent rationes singulorum, quæ cernuntur in corpore. Ideo enim in corpore animantis debent esse tot partes, talis temperamenti, figuræ, magnitudinis, sitûs, coloris, odoris, tali ordine, connexione, proportione, quia anima est talis Itaquè in simplici illa forma latent innumerabiles illius varietatis rationes, velut in causa finali, & exemplari; in semine tanquam in causa efficiente. Necesse igitur est formas illas seu animas esse res admirabiles, & infinities admirabiliorem, qui illas finxit, Opificem. Hoc modo ex singulis rebus creatis exurget mens in DEUM.

Considera, DEUM omnia quæ sunt in mundo usque ad minutissimas partes, figuras, colores, qualitates, conditiones, situs, motiunculas, momenta, modosquè omnes & habitudines, distinctissimè & perfectissimè intueri & in numerato habere; nimirum omnes vermiculos, omnes muscas, animalia omnia & partes singulorũ, omnia gramina, omnes herbas & plantas, omnia sylvarum folia, omnes pilos animantium, omnes arenas littoris & deserti, omnes guttas maris, omnes stillas pluviarum, omnes crispationes undarum, omnes foliorum motus, omnium mensuras, distantias, congruentias, discrepantias, situs, modos, tempora, omnes hominum & Angelorum cogitationes, omnes affectus, omnes intentiones, præsentes, præteritas, futuras, & momenta singulorum. Hæc omnia semper distinctissimè & clarissimè, penetrat, comprehendit, idque adeo clarè & perfectè, ac si tota vis mentis illius in unum duntaxat illorum intenta esset Quod sanè diligenter est perpendendum, nè quis putet aliquid illum latere posse, aut minus perfectè esse cognitum, in tàm immensa rerum multitudine, sicut impii homines solent existimare, in quorum persona dicitur Job. 22. *Quid enim novit DEUS? & quasi per caliginem judicat: nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines Cæli perambulat.* Hos monet Sapiens Ecclesiastici 16. *Non dicas, à DEO abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar, quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? Ecce Cælum & Cæli Cælorum, abyssus & universa terrra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur, montes simul & colles & fundamenta terræ, cùm conspexerit*

illa

illa DEUS, tremore concutientur. Et Ecclesiastici 23. juxta textum Græcum: *Omnis homo qui transgreditur lectum suum dicit in corde suo: Quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes operiunt me, & nemo me videt, quid vereor? peccatorum meorum non memorabitur Altissimus: & oculi hominum timor ejus: Et non cognovit quòd oculi Domini decies millies clariores sole, inspicientes omnes vias hominum, & intuentes in absconditas partes.* Neque id mirum videri debet. Sicut enim essentia ipsius & potentia in singulis punctis loci & spatii est tota, & tam perfectè, quàm si tota immensitas ad punctum esset contracta: ita etiam vis intelligendi & sapientiæ ipsius tam perfectè & efficaciter versatur circa singulas res, acsi uni soli intenta esset. Lumen enim sapientiæ ipsius non solùm est infinitum extensivè, nimirum, quia se extendit ad infinita objecta, sed etiam intensivè, ut circa singula objecta habeat actum infinitæ perfectionis & claritatis. *Hactenus Lessius.*

§. 5tus.

Bonitas DEI (de qua infra fusiùs) seu *pulchritudo, suavitas, amabilitas*, quantum reluceat in sensibili hujus mundi Creatura, est planè stupendum. Amatores mundi, ejus rerum specie externâ & suavitate abrepti, aliqui illum ad insaniam usque amant, alii pro eo dulces labores æstimant, alii vitæ pericula & mortem ipsam subire non formidant, alii deniquè Cælum aliquod vel Paradisum hunc mundum reputant. Verùm hic stultus amor quàm sapiens foret, si hanc bonitatem, elegantiam, jucunditatem Creaturarum esse à DEO participatam intelligeret, in illisquè hæc esse vestigia & indicia nonnulla bonitatis, pulchritudinis, dulcedinis, quæ à DEO in omnes creaturas sunt emanata & derivata consideraret, ac proinde DEUM in suis creaturis bonum, pulchrum, suavem contemplans diligeret. Quare ô homo veri & recti ponderator, qui apertos habens oculos, res discernis non prout apparent, sed prout in se sunt, quæso te ut in Creaturis (quæ ex se nihil sunt, sed à DEO sunt quidquid, quale, & quantum sunt) pulchris DEUM pulchrum, formosum, lucidum, amænum videas & diligas: in harmonia & me-

lodia vocum, musicorum, sonorum, suavitatem & lætitiam DEI percipias & diligas: in saporibus delectabilem DEUM gustes & diligas: in odoribus suaveolentem DEUM sentias & diligas: in mollibus & lenibus, præsentem quoquè DEUM percipias & diligas, &c. Pro quo sequens §. subsidio ad praxim erit.

§ 6tus.

Divinus Dionysius monstrat, quomodo ascensus per Creaturas in DEUM faciendus, dum inter cætera proponit exemplum de Sole & Igne, quod hìc libet apponere (his namque duabus creaturis inter inanimata nil nobilius, pulchrius, utilius, reperitur) ut homo discat ascensiones in corde suo disponere, iisquè ex hac valle lachrymarum ferri in admirandam Divinitatis perfectionem, bonitatem, operationem. Dicit itaque: Sancti Theologi summam & formâ carentem essentiam, ignis specie multis locis describunt, quòd ignis multas Divinæ, si dictu fas est, proprietates, ut in iis quæ videntur. imagines ac species præseferat. Ignis enim, qui sensu percipitur, in omnibus & per omnia sine admixtione funditur, secerniturquè in rebus omnibus, lucetquè totus simul, & abstrusus est, incognitusquè manet ipse per se, nisi adhibeatur materia, in qua vim actionemquè suam declaret: cohiberi vinciquè non potest, nec videri; omnia ipse per se obtinet, ea in quibus fuerit, ad vim suam actionemquè commutat: sui ipsius particeps facit, quidquid ipsi propius quoquo modo adhibeatur: renovat omnia vitali calore, illustrat aperto lumine: teneri non potest, nec misceri: dissipandi vim habet, commutari non potest, sursum fertur, celeritate magna est præditus, sublimis est, nec humilitatem ullam ferre potest: immobilis est, per se movetur, aliis motum affert: comprehendendi vim habet, ipse comprehendi non potest: non eget altero: clàm se amplificat: in materiis quæ ipsius capaces sunt, magnitudinem suam declarat: vim efficiendi habet, potens est: omnibus præsto est, nec videtur: si negligitur, non esse videtur: attritu autem quasi irritatione quadam, naturaliter ac propriè repentè existit, rursusquè sensum fugiens

S. Dionysius de Cælest. hierarch. cap. 15.

fugiens evolat: in omnibus sui communionibus minui non potest. Multas etiam alias ignis proprietates invenire possumus, quæ propriæ sint, ut imaginibus sensum moventibus, Divinæ actionis.

Quid (dicat aliquis) de ipso per se Solis radio? Ex ipso enim Bono lumen est, & bonitatis imago. Itaquè lucis nomine ipsum Bonum celebratur, quasi in imagine exemplar expressum; Ut enim Divinitatis omnia superantis bonitas, à summis antiquissimisquè naturis ad ultimas pertinet, atquè etiam omnibus præstat, ita ut nec superiores ad ejus præstantiam perveniant, nec inferiores complexum transeāt, sed & omnia quæ possunt illustrat, & efficit & vivificat, & continet, & perficit, estquè eorum quæ sunt & mensura, & æternitas, & numerus & ordo, & complexus, & causa, & finis: sic etiam qui clara expressaquè Divinæ bonitatis imago est magnus hic Sol totus lucens, ac semper splendidus pro minima ipsius Boni similitudine, omnibus etiam, quæ ejus lucem capere possunt, collucet, habetquè lumen per omnia diffusum, in omnem hunc mundum, quem cernimus, radiorum suorum splendorem explicans, & sursum, & deorsum; ac si quid est, quod eo non participet, id ejus luminis diffusi tenuitati aut parvitati non est tribuendum, sed iis quæ, quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur. Itaque radius multis eorum, quæ eam vim habent præteritis, ea quæ sequuntur illustrat, nec quicquam est eorum, quæ sub cernendi sensum cadunt, quò non immensa splendoris sui magnitudine penetret. Quinetiam ad ortum eorum corporum, quæ sensu percipiuntur, conducit: eaquè ad vitam excitat, & alit, & auget, & absolvit, & purgat, & renovat: ac lumen mensura est, atque numerus horarum, dierum, totiusquè nostri temporis. Lux enim ea est, etiamsi tum formâ carebat, quam Divinus ille Moses primos etiam illos tres dies nostros definisse ac distinxisse commemorat. Atque ut omnia ad se convertit Bonitas, primaquè ea colligit quæ dispersa sunt, quasi unius principium, unumquè efficiens Divinitas, ejusquè desiderio omnia, ut principii, ut ipsa continentis, ut finis tenentur: ac Bonum est, quemadmodum scripta Divina tradunt, ex quo constiterunt omnia, &

S. Dionysius lib. de Divinis Nomin. cap. 4.

Gen. 1.

1. Cor. 8.

à quo quasi causa perfecta in lucem prolata sunt, & in quo consistunt omnia, quasi in fundo, quod capit omnia custodiantur atque capiantur, & ad quam omnia convertuntur, quasi ad suum quidquè finem: & quod omnia appetunt, ea quidem quæ mentis sunt & rationis, cognitione: ea autem quæ sensum habent, sensûs judicio: quæ verò sensu vacant, insito motu vitalis appetitionis; quæ vitæ expertia sunt, & tantummodò statum habent, vi quadam, quâ ad status essentiæ communionem propensa sunt: eadem claræ similitudinis ratione, lux etiam colligit, convertitque ad se omnia, quæ videntur, quæ moventur, quæ illustrantur, quæ calescunt, & uno nomine: ea quæ ab ejus splendore continentur ἥλιος id est, Sol dicitur, quod omnia ἀολλῆ ποιῇ, id est, congreget, colligatquè dispersa: eaquè omnia eum expetunt, quæ sensu percipiuntur, aut quod cernere cupiant, aut sentire, illustrari, calefacere, omninoquè contineri à lumine. Nec verò dico hoc antiquitatis fabulam sequutus, Solem qui DEUS sit, atque mundi hujus Effector, propriè mundum qui videtur gubernare, sed invsibilia
Rom. 1. DEI à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspici, sempiternam quoquè ejus virtutem & Divinitatem. Verùm hæc quidem in Theologia, quæ in signis posita est. Nunc autem spirituale ipsius Boni, in luce dictum nomen nobis laudandum est, dicendumquè Bonum, lucem mentis dici, quod mentem quidem cælestem omnem spirituali luce impleat, omnem autem ignorationem erroremquè ex omnibus animis, quibus insitus sit, expellat, eisquè omnibus sacrum lumen largiatur, & ex mentis eorum oculis caliginem, quæ ejus ignoratione offusa est, depellat, & discutiat, exciterquè, & aperiat magno tenebrarum pondere contractos, participesquè faciat primum modici luminis, deinde cùm lumen quasi degustant, & magis expetunt, magis se infundat, abundantiusquè illustret, quòd multum dilexerint, eosque semper ad ea quæ ante sunt, pro ea ratione quam ad contentionem habent, excitet. Lux ergo mentis dicitur Bonum, quòd lucem omnem superat, quòd quasi radius fontis, lucisquè manans effusio, mentem omnem quæ mundum superat, quæ circa mundum

dum est, & quæ in mundo versatur, ex sua, ut ita dicam, plenitudine illustret, omnesquè mentis earum facultates renovet, omnes complexu suo contineat, omnibus præstet superiora tenendo, & uno nomine omnem vim rei quæ lucem affert, quasi lucis principium, & luce superius ac præstantius, in se comprehenderit, pæstantiore modo habeat, & prius habeat: eaquè omnia quæ mentem rationemquè habent, congreget atque colligat. Ut enim eos qui decepti sunt, dividere solet ignoratio: sic spiritalis lucis præsentia, vim habet colligendi conjungendiquè eos, qui illustrantur, & perficiendi, convertendiquè ad id quod verè est, à multis sententiis & opinionibus, variosquè aspectus, aut, ut magìs propriè dicam, visiones, in unam veram, puram, uniusquè modi scientiam colligat, deniquè uno lumine, eoquè unius efficiendi vim habente compleat. *Hæc B. Dionysius.*

Basilius Seleuciæ Episcopus inquit: *Cùm DEUS res creatas in morem scalæ adaptaverit, per eas sui amantibus ascensum ad se extruxit.* Hinc quidquid occurrit in Creaturis, ad laudem reducere oportet Creatoris, ut *Seraphicus Doctor* admonet: Cùm videris aliquos *inquit*, in prælatione temporali, vel in dignitate constitutos, cogitabis hoc esse factum ad Divinam magnificentiam ostendendam, & sic in eis D E I potentiam collaudabis. Cùm autem videris alios scientiæ insistentes, & non solùm Creatoris, sed etiam creaturarum occultissima inquirentes, & quemlibet versiculum curiosiùs ordinantes, hoc esse factum ad manifestandam Divnam sapientiam non ignores, & sic in eis DEI sapientiam commendabis. Cùm verò videris alios temporalibus negotiis insistentes, in eis Divinam laudabis providentiam, per tales quiescentibus providentem. Si aliquos videris cæteros judicantes, Divinum judicium time: si pœnas inferentes, Divinam justitiam cogita: si rigidos, Divinæ justitiæ expavesce rigorem: si reprehensores, & causarum discussores, futuri judicii recordare. Si verò videris prælatos circa punitionem malorum remissos, in eis misericordiam Divinam commendabis. Si videris aliquos insistere operibus charitatis & pietatis, in ipsis laudabis Divinam bonitatem, & suam clementiam infinitam

Basil. Selev. Orat. I.

Bonav. in stimulo amoris c. 10.

nitam

nitam se benignè ad omnia diffundentem. Si calorem habueris, recogita erga nos DEI Patris nimiam charitatem, quâ suum filium voluit incarnari, & pro nobis omnibus crucifigi. Si Frigus habueris, ab omni æstu miseriæ ad refrigerium anhelabis: & sic per singula discurrendo, omnia potes & debes reducere in laudem & magnificentiam Creatoris. *Hæc ille.*

§ 7timus.

A majori ad minorem Mundum seu Hominem veniamus: in cujus structura stupendam DEI potentiam, sapientiam, bonitatem contemplemur. De quo Clemens Papa in hunc modum discurrit: Sed veniamus adhuc, si videtur etiam ad nostram id est hominis substantiam, qui est parvus in alio mundus, & consideremus quanta sit ratione compositus, & ex hoc præcipuè Conditoris sapientiam intelliges: qui cùm ex diversis substantiis constet, id est mortali & immortali, per artificialem providentiam Conditoris, societatem diversitas non refugit, & quidem longè à se distinctis substantiis: alia namquè de terra sumitur & à Conditore formatur, alia verò ex immortalibus substantiis dicitur.)) Idem ipse de corpore & ejus membrorum pulchritudine sic inquit: Vide in corpore hominis artificis opus, quomodo ossa velut columnas quasdam, quibus caro sustentetur ac portetur, inseruit; tum deinde qualis ex utraquè parte, id est dextra & læva, mensura servetur, ut congruat pes pedi, & manus manui, digiti quoque digitis, ut singuli ad singulos totâ æqualitate concordent. Sed & oculus oculo, & auris auri: quæ non solùm consona sibi & concordantia, sed & usibus necessariis apta firmentur: manus quidem ut operi commodæ sint, pedes ut gressibus, oculi ut visibus serviant superciliorum excubiis custoditi: aures ad audiendum ita firmatæ, ut cymbalo similes suscepti verbi repercussum sonitum altiùs reddant, & usque ad sensum cordis emittant: lingua autem ad loquendum illisa dentibus, plectri reddat officium: ipsi verò dentes: alii ut incidant & dividant cibos, & interioribus tradant, interiores verò ut in modum molæ conficiant & comminuant, quo oportuniùs stomacho tradita sequantur, unde & molares

Recognit. lib. 8.

molares appellati sunt. Sed & nares comeandi *flatus*, ac reddendi, ac recipiendi gratiâ factæ sunt, ut innovatione spiritûs calor naturalis, qui ex corde est, vel accendi, vel refrigerari, cùm res poposcerit, queat pulmonis officio, qui pectori inhærere datus est, ut mollitie suâ palpet & foveat cordis vigorem, in quo videtur vita consistere; vita dico non anima. Nam quid dico de substantia sangvinis? quàm velut fluvius ex fonte procedens & uno prius alveo invectus, tum deinde per innumeras venas quasi per areas derivatus, totam humani corporis terram vitalibus rigat fluentis, jecoris opere ministratus, quod ad efficaciam digestionis ciborum atquè in sangvinem mutandorum in dextro latere jacet)) *Et post nonnulla concludit.* Quòd si tantâ ratione videmus in homine membra disposita, ut cùm in cæteris omnibus similis habitus videatur, in his tantummodò discrepent in quibus usus diversitatem requirit, & nequè in viro aliquid superfluum aut egens, nequè in fœmina quod desit videamus vel quod abundet Quis ex his omnibus non evidenter cognoscat rationis opus & sapientiam Conditoris? His adstipulatur etiam cæterorum animalium rationabilis diversitas, & suo quodquè usui, ministerioquè conveniens. *Hæc S. Clemens.*

Porrò *Lessius* hæc effatur. Infinita vis & amplitudo Divinæ Sapientiæ ex multis colligi potest; ac primùm ex structura corporum in viventibus, præsertim in animalibus, in qua innumera simul consideranda sunt. Docet enim Galenus libro de formatione fœtus, esse supra sexcentos musculos in corpore humano, & in singulis esse decem scopos seu conditiones ad decem diversos fines necessarias. *Nam* inquit *quisquè ipsorum & figuram habet decentem, & magnitudinem, & caput, & finem, & positionem, & nervi venæquè & arteriæ insitionem, ita ut pro magnitudine & loco* insitionis *hæc ipsa quadrent* Unde concludit: *In solis musculis esse sex millia scoporum seu finium, quorum in formatione habenda ratio*, præter ea quæ ad singulorum pertinent temperamentum. Idem inquit: *In ossibus est, quæ plura sunt ducentis: nam in his singulorum scopi plures sunt quàm quadraginta. Unde eorum*

Lessius de perfect. Divin. lib. 6. c. 2.

omnium scopi plùs quàm octies mille. Eadem ars & circa omnia viscera existit, & omnia circa quamlibet partem, adeò ut si quis structuræ scopos numeret, in aliquot myriades eorum multitudo excrescet. Hos itaquè scopos haudquaquam ipse crediderim citra sapientissimum eundemquè potentissimum Opificem factos esse. Hæc ille & optimè. Addit tamen miser. *Quis verò hic sit, pronuntiare non audeo, per consilii inopiam obmutescens.* Nimirum hoc est evanescere in cogitationibus suis. Quis enim est sapientissimus & potentissimus Opifex præter DEUM? sed si considerentur omnes nervi, omnes arteriæ, omnes venæ, & horum principia, & administratio, confirmatio, deductio, situs, connexio, usus &c. inveniemus innumerabilem multitudinem scoporum & finium in uno corpore humano. Hæc omnia perfectissimè & distinctissimè ante oculos habuit non solùm dum hominem formaret, sed ex omni æternitate. Jam verò quot sunt animalium & plantarum species? In singulis autem speciebus penè omnia illa consideranda quæ in corpore humano, idquè secundùm proportionem & modum cujusquè speciei. Aliter enim illa omnia se habent in equo, aliter in bove, aliter in ove, & sic in cæteris. DEUS autem non seorsim quæ ad singulas pertinent, sed simul omnia quæ pertinent ad omnes rerum species, distinctissimè & perfectissimè excogitavit, consideravit, & expendit ab æterno, & tempore præstituto sicut conceperat, fecit. Quòd apertè indicat infinitam amplitudinem & vim mentis illius, ut quæ tam innumerabilia simul tam distinctè, tam perfectè, tam potenter conceperit & produxerit. Unde S. Augustinus libro 2do de Civitate cap. 10. *Nequè enim multæ, sed una sapientia est, in qua sunt immensi quidam & infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atquè incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium, & mutabilium, quæ per ipsam factæ sunt, quoniam DEUS non aliquid nesciens fecit.* Ex quibus infert S. Augustinus: *quòd iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset DEO notus: DEO autem nisi notus esset, esse non posset.* Quia DEUS per sapientiam suam est auctor mundi, qui suâ specie externam nobis sui notitiam ingerit.

Et paulò infrà, Lessius inquit: Considera admirabilem vim sensuum

ſenſuum exteriorum, & inprimis oculi, cujus eſt tanta celeritas, ut in puncto temporis plùs quàm 80. milliones milliarium conficiat (tantùm enim & ampliùs diſtant ſtellæ fixæ à terra juxta Aſtronomos) tanta verò capacitas, ut totam Cæli medietatem comprehendat. Imò ſi non obſtaret terra, poſſet complecti & intra ſe condere totum mundum. Tam verò eſt arcana ejus operatio, ut hactenus nemo mortalium illam aſſequi potuerit.

§ 8tavus.

Praxis Actuum & Affectuum anagogicorum ex Creaturis in DEUM.

I. CONſiderans creaturas in ratione Eſſentiæ aſpira, ad DEUM. *Ens entium, DEUS meus, Ens à ſe à quo omne Ens; intensè amo Tuam Eſſentiam ab hac Creatura N.* vel; *his Creaturis* N. N. *participatam.*

DEUS meus, in quo eminentiſſimè collectum reperitur, quidquid perfectionis & bonitatis ſubſtantialis & accidentalis in ſpecie hujus Creaturæ N. vel *harum creaturarum* N. N. *diſperſum reperitur*; *Adoro, Amo glorifico Te ſummum Ens, unum, verum, bonum.*

Adoro, amo, benedico Tuam Omnipotentiam, quâ tale Eſſe, naturam, ſubſtantiam, potuiſti huic creaturæ N. vel; *his Creaturis* N. N. *tribuere.*

Adoro, amo, laudo Tuam Sapientiam, quâ prædicata Eſſentialia hujus Creaturæ N. vel: *harum Creaturarum* N N. *aliàs inter ſe diverſa, aptiſſimè ſciviſti concordare & connectere.*

Adoro, amo, magnifico Tuam Bonitatem, quâ adeo bonam Eſſentiam vel naturam hujus Creaturæ N. vel: *harum Creaturarum* N N. *voluiſti producere.*

II. Conſiderans Creaturas in ratione Quantitatis dicito. *DEUS meus, en hæc magna Creatura, Tuæ Eſſentiæ, Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis magnitudinem mihi demonſtrat, quam nunc intimè amo.*

DEUS meus Maxime in magnis, admirabilis in parvis, ubique amabilis, quàm potenter, ſapienter, benignè hoc minutum v. g. animalculum, potuiſti, ſciviſti, voluiſti producere! Amo Te; Amo Te.

III. Conſiderans Qualitates Creaturarum dic: *DEUS meus quid hoc mirabile? diſcordes qualitates caloris & frigoris; ſic-*

citatis & humiditatis, quomodo potuisti, scivisti, voluisti aptissimè in rebus concordare, easquè per illas in sua existentia conservare? Amo Tuam Omnipotentiam, Sapientiam, Bonitatem.

IV. Videns aliquid pulchrum, aspira dicens: *Quid hæc pulchritudo, elegantia, amænitas, nisi participatio Pulchritudinis Tuæ ò infinitum Bonum & Pulchrum DEUS meus? Amo intimè Tuam infinitam Pulchritudinem.*

Amo Tuam Omnipotentiam, Sapientiam, Bonitatem, quâ hoc tam pulchrum N. potuisti scivisti, voluisti producere.

2. *Candor liliorum, purpura rosarum, vernantia florum, amænitas hortorum, camporum, pratorum, sylvarum, montium, vallium, concinna structura & dispositio urbium, formositas facierum, pulchritudo colorum, ordinata deniquè dispositio rerum, nil mihi aliud indicant, quàm hæc omnia pulchra & decora, speciosa & venusta eminenter & idealiter cum infinita perfectione in Te contineri DEUS meus, Amor meus! summum Bonum, & Pulchrum.*

3. *Fulgor auri & argenti, splendor gemmarum & unionum, claritas crystalli & sericorum, lux ignis, stellarum, lunæ, rutilantia solis, nonnè hæc sunt quidam radii emanantes ab immenso oceano æterni tui Luminis? O Lumen verum DEUS meus quàm mihi es amabilis!* V. Sapient. c. 13.

4. *O anima mea si species creaturarum adeò delectat: Scias quantò his Dominator eorum speciosior est. Aut si virtutem & opera creaturarum miraris: intelligas ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.*

5. *Serò Te amavi Pulchritudo tam antiqua & tam nova DEUS meus, serò Te amavi.*

Boetius Martyr. lib. de consol. Phil. metr. 9.

6. - - - *Tu cuncta sereno,*
Ducis ab exemplo, pulchrum Pulcherrimus ipse.
Mundum mente gerens, similiquè imagine formans.

V. Auditu quidpiam delectabile percipiens inquies.

1. *Quàm suavis hæc harmonia vocum, quàm dulcis melodia musicæ! quàm jucundus hic sonus! quàm delectabilis hic avium cantus! quàm eloquium hujus hominis dulce! quàm melliflua oratio! O DEUS meus verè amabilis est Potentia, Sapientia, Bonitas Tua, quâ operante hæ jucunditates vocum, sonorum, verborum fiunt! 2. O quantò his omnibus dulciora sunt faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!*

VI. Degustans quidquam palato gratum dicito: I.

DEUS

DEUS meus si stilla dulcedinis Tuæ, dispersa per innumeras res creaturarum, eas adeò suaves & gratas reddit, ut hominem totum ad sui inhæsionem ac delectationem abriperent, nisi per mortificationem violenter ab eis se retraheret; quid non faciet immensus Oceanus infinitæ dulcedinis Tuæ? O mare, DEifici nectaris quàm mihi es amabile & desiderabile! 2. Amo quoquè Tuam Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, posse, scire velle, actualiter operari tantam suavitatem in creatura Tua.

VII. Odore bono afflatus, aspira dicens: I. Suaveolentia aromatum, herbarum, florum; Odor balsami, & omnium unguentorum, Te ò mi DEUS infinities suaviorem & amabiliorem denuntiant. 2. O Potentia, Sapientia, Bonitas DEI mei, hæc mirabilia producens in creaturis Tuis, Amo Te.

VIII. Lenia vel mollia contingens inquies: I. DEUS meus quomodò demulcet hæc creatura v. g. Aura sensum meum? Et quid non faciet Spiritus tuus infinitè lenis, suavis, mitis & amabilis afficiens animam meam? 2. Amo Tuam Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, hanc creaturam lenitatis perfectione donantem.

Aspirationes ex Creaturis in DEUM affert Cardinalis Bona Via Compend: C, 16.

APeri, Domine, oculos animæ meæ, ut non contenti aspectu rerum temporalium, quas percipiunt sensus; ascendant ad æterna contemplanda, quæ non videntur, Tequè aspiciant DEUM invisibilem, qui es in omnibus, & super omnia.

O pelagus omnis essentiæ, & existentiæ, Tu es ipsummet esse omne esse continens omnia: à Te omnia pendent & effluunt, & in Te refluunt, & eatenùs sunt, quatenùs aliquid tui esse participant. Me igitur despiciam, & omnia quæ non sunt: Te autem amabo, & Tibi adhærebo, qui solus es.

DEUS meus & omnia, principium meum, & finis ultimus, Tu es mihi omnia quæ concupiscere possum: Tu meæ divitiæ, meæ delitiæ, mei honores, & dignitates, & thesauri infiniti: in te Toto omnia habeo, omnia autem sine Te nihil sunt mihi. Quando veniam ad Te, ut in Te omnia habeam?

Illumina intellectum meum, perfectissime DEUS, ut in creatu-

ris omnibus Te respiciam earum Creatorem, à quo illæ suam perfectionem accipiunt. Purifica affectum, ut in omnibus Te amem, & quæram, qui es bonum & finis omnium.

O dilecte cordis mei, si ita me oblectat pulchritudo, & perfectio creaturarum, cur non potiùs pulchritudo, & perfectio tua, à qua illæ processerunt? Diligam Te præ omnibus qui omnium pulchritudinem & perfectionem excedis in infinitum, nec illas diligam, nisi in Te, & propter Te.

Quàm admirabilis est amor tuus erga hominem, DEUS meus, propter quem tot creaturas in sua natura perfectas condidisti? O si tot haberem corda, quot illæ sunt, ut illis omnibus earum nomine Te diligerem & glorificarem, reddens tibi debitum quod illæ nequeunt; & cujus ego illarum causa debitor sum. DEUS immensæ majestatis, verè mirabilis facta est scientia tua ex me; omnia tamen ossa mea, omnia membra, sensus, & potentiæ dicunt, quia Tu es DEUS, & non alius similis tibi. Tu es meum esse, & mea vita; & gaudeo, quia Te plusquam me diligere debeo.

O si omnia membra mea, omnes sensus, & fibræ verterentur in linguas, ut hoc prædicarent toti mundo, quia Tu solus es, qui es ac propterea omnes gentes Te laudarent, & glorificarent! O si Te omnes agnoscerent, & diligerent plùs quàm vitam suam, quia in Te omnes vivunt, moventur, & sunt. Hæc ille.

V. Zeplust c. 8 3.

Canticum trium Puerorum: *Benedicite omnia opera Domini Domino;* &c. & tres ultimi Psalmi: *Laudate Dominum de Cælis* &c. quid aliud sunt quàm actus & affectus aspirativi in DEUM ex rebus creatis desumpti?

Boetius Martyr, lib. de consol. Phil. metr. 9.

Igitur illis utere ad praxim amandi, benedicendi, laudandi DEUM Ter Optimum Maximum. Ubi adverte non tam inanimatas & irrationales creaturas invitari ad benedicendum & laudandum DEUM, quàm potiùs hominem, ut in creaturis & ex creaturis DEI essentiam, potentiam, sapientiam, bonitatem aliasquè perfectiones cognoscat, æstimet, admiretur, amet, desideret, in illis delectetur, eas vitâ suâ, verbo, scripto, cantu, aliisquè modis laudet, benedicat, seu deprædicet, extollat, magnificet: aliosquè homines ad similem DEI cognitionem, æstimationem, admirationem, amorem, desiderium, gaudium, laudem, benedictionem incitet.

SUB-

SUBSECTIO II.

IN PRIMÆ HIERARCHIÆ SECUNDO GRADU.

De Contemplatione DEI & ejus Perfectionum in sacra Scriptura.

§ imus.

FIdelis anima accipiens sacram Scripturam, tanquam verè verbum DEI, illudquè puro, humili & devoto corde ruminans, stupendam DEI, Divinorumquè cognitionem, pretium, amorem, inde sentiet. Quarè *S. Dionysius*, inquit: Invisibilia autem casto silentio venerantes, ad illucentes nobis in sanctis eloquiis splendores exercemur, & ab ipsis illuminamur. Et *S. Bonaventura* explicans illum locum Apoc. 22. Ostendit mihi Dominus fluvium aquæ vivæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede DEI & Agni &c. inquit. Verissimè ergo fluvius sacræ scripturæ dicitur procedere de sede DEI. Unde *Rabanus* sup. lib. num. 18. hæc inquit: Sola est quæ vocatur lex DEI. Quæ enim sunt præter illam, opera sunt humanarum adinventionum. Sic ergo describitur origo Scripturæ sub metaphora rerum eminentissimarum, propter altitudinem dignitatis, cujus est inattingibilis altitudo; propter authoritatem inviolabilem, ex qua miro modo commendatur efficiens. Secundò transumitur scripturæ sacræ materia sub metaphora rerum affluentissimarum propter plenitudinem bonitatis, est enim ejus inexhaustibilis plenitudo propter profunditatem imperscrutabilem. Unde & fluvius aquæ vivæ dicitur. Ostendit mihi Dominus fluvium &c. Licèt autem abyssalis profunditas scripturarum nobis inscrutabilis sit, dispensativè tamen è Spiritu Sancto actum est, ut in fluviis scripturarum agnus, peditet, & elephas natet secundùm Gregorium in Prologo Moralium. Est autem fluvius ille voluptuosissimus

Lib. de Divinis nominibus.

S. Bonaventura in princip. primi Tomi opusc.

simus

simus propter flores suavissimarum delectationum, luminosissimus propter splendores limpidissimarum speculationum, ignitissimus propter fervores ardentissimarum inflammationum, impetuosissimus propter vigores sublimissimarum elevationum. Et hinc est quòd, in scriptura dicitur fluvius voluptatis, fluvius veritatis, fluvius charitatis seu igneus, & fluvius rapidus. E contra fluvius mundanæ scientiæ est fluvius torridus, exsiccans flumina gratiarum, fluvius turbidus, obscurans splendores intellectuum, fluvius tepidus, tepefaciens amores affectuum, fluvius turgidus tumefaciens expressiones affatuum. *Hactenus Doctor Seraphicus.* Hæc quidem dicta sunto in genere de sacris Scripturis, nunc ad particularia propositi nostri accedamus. Itaquè duo sunt quæ magnitudinem Divinæ excellentiæ in Scripturis manifestant, nempe verba ejus, & opera.

In verbis quidem altitudo elucet Divinæ sapientiæ primô; quòd ea licèt simplicia appareant, profundissimis tamen referta sunt mysteriis, ac plerumquè quadruplicem contineant sensum literalem, moralem, allegoricum, anagogicum. Ratio ex *D. Thoma* est: quia cùm DEUS sit sacræ Scripturæ author, quia omnia simul suo intellectu comprehendit, ideo ea ipsa doctrina sub una litera plures sensus habet. In DEI enim est potestate, ut non solùm voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas. Et ideo cùm in omnibus scientiis voces significent, hoc habet propriè ista scientia, quòd ipsæ res significatæ per voces etiam significent aliquid. Illa ergo prima significatio, quâ voces significant res, pertinent ad primum sensum, qui est sensus historicus vel literalis. Illa verò significatio, quà res significatæ per voces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super literalem fundatur, & eum supponit. Porrò sensus spiritualis dividitur in allegoricùm, dum v. g. de Christo mysticè aliqua enuntiantur; & in moralem, dum agitur de virtutibus & vitiis; & in anagogicum de æterna gloria.))

D. Thom. p. 1. q. 1. art. 10.

Appositè *S. Chrysostomus*: Meritò thesauro cuipiam confertur Divinarum Scripturarum lectio; nam sicut ex illo quisquis vel parum fructûs capere valet, multas sibi parat divitias: ita

S. Chrysost. in Gen. hom. 3.

ita & in ſacra ſcriptura, etiam in brevi dictione variam ſententiarum vim & indicibiles divitias invenire licet. Et non ſolùm theſauro ſimilia ſunt Divina eloquia, ſed quoquè largis perennibusquè ſcaturiendi fluentis: id quod re ipſa heri omnes didicimus: nam ut proemia libri Geneſeos incepimus, explanando hoc dictum. In principio fecit DEUS Cælum & terram, totam horam inſumpſimus, & nequè ſic totum comprehendere valuimus. Magna enim eſt hujus theſauri abundantia, & larga fontis hujus ſpiritualis ubertas. Nec mireris dilectè, ſi nobis hoc accidat: etiam qui ante nos fuêre, pro viribus ſuis aquas inde hauſerunt, & ſimiliter qui poſt nos futuri ſunt, idem attentabunt, nequè ſic totum evacuare poterunt, ſed magìs interim augeſcunt flumina & increſcunt: hæc enim ſpiritualium fluminum natura eſt, ut hòc magìs ſcaturiant, & accreſcat ſpiritualis gratia, quò quis magìs inde haurire ſtudet. Propter hoc Chriſtus dixit Joannis 7. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ viventis. Quibus horum fluminum dapſilitatem & largitatem nobis indicat. Quoniam igitur Spiritualium fluminum natura talis eſt, agè afferamus omnes multa mentis noſtræ vaſa, ut impletis illis domum redeamus. Nam quando videt gratia ſpiritûs fervens deſiderium, & vigilem mentem; tunc & gratiam ſuam opulentam liberaliùs largitur. *Hæc S. Chryſoſtomus.*

Et *S. Auguſtinus* ad Voluſianum ſcribens, tanta in eis, inquit, id eſt in ſacris literis lucet altitudo ſapientiæ, ut annoſisſimis, acutisſimis, flagrantisſimis cupiditate diſcendi hoc congruti, quod ejus ſcripturæ loco habetur Eccl. 18. Cùm conſummaverit homo, tunc incipiet.)) *S. Auguſt. ad Voluſianum.*

Veritas Divina ſumma reſplendet in ſcriptura. Etenim Prophetiæ & revelationes in veteri teſtamento pro eodem tempore factæ, completæ ſunt: prout Abrahamo revelatum fuit, multiplicandum ejus ſemen ſuper ſtellas Cæli, dandam ei in poſſesſionem terram Chanaan, futurum in ſervitute Ægyptiaca quadringentis annis, quod & factum eſt. Deinde Moyſes prædixit Iſraëlem acerbè puniendum, ſi receſſerit à Domino, quod

completum sub Judicibus. Porrò sub Regibus prophetatum est, Israëlem ob sua scelera in Babylonem captivandum ad septuaginta annos, à Cyro Rege liberandum, templum Salomonis & Jerusalem destruendam & alia plura, quæ completa sunt. Jam verò quid dicam de prænuntiationibus tum verbis, tum operibus, tum figuris variis, sub lege naturæ, & maximè sub lege scripta factis, per respectum ad Christum, seu ejus incarnationem, vitam, prædicationem, passionem, mortem, resurrectionem, ascensionem, missionem Spiritûs Sancti, tum fidei propagationem, Regimen Ecclesiæ &c quàm fideliter ad punctum & amussim completa sunt? Ita ut nè unum verbum Domini ceciderit vacuum in terram. Deniquè Christi & suorum Apostolorum prædictiones de futuris in Ecclesia persecutionibus, hæresibus verè iam manifestæ sunt.

Sanctitatem Divinam in lege & præceptis per Moysen & Prophetas datis, & maximè in Evangelica puritate quis attonitus non obstupescat? Equidem patet ibi, quàm cupidè velit DEUS homines luto carnis onustos in Spiritus Angelicos, imò Filios DEI sibi similes transformari, mediaquè ad hoc ipsum opportuna porrigere.

Immensa Bonitas DEI, qui multifariè, multisquè modis olim loquens in Prophetis novissimè autem in Persona Divinissima Filii sui dignatus est plebem suam erudire in omni Sanctitate & Justitia, exemplo attrahere, miraculis confirmare, nobisquè hæc scripto conservare.

Quod concernit opera DEI in sacris eloquiis relata, manifestativa perfectionum DEI, hæc sparsim toto Tractatu isto referuntur, & facilè legenti Scripturas patent, uti sunt Omnipotentia, summa Sapientia, Bonitas, Providentia, Justitia, Veritas, Sanctitas DEI &c.

§ 2dus.

Aspirationes anagogicæ in DEUM respectu Sacræ Scripturæ.

1. *DEUS meus Amo Te, ob infinitam Sapientiam multiformiter & mirabiliter in Sacris Scripturis radiantem.* 2. *O quàm immensi thesauri*

thesauri Sapientiæ & Scientiæ Tuæ absconditi latent in sacris scripturis! Unde in vario sensu tot libri prodire non cessant, quot fontes & rivi ex mari oceano. 3 *Quanta concinnitas & harmonia Sacræ Scripturæ, licet tot diversis temporibus, authoribus, modis, delineatæ, in unum tamen omnia consonant, quia Te uno inspirante dicta, facta, scripta sunt. Adoro, diligo magnitudinem tuæ Sapientiæ.*

II. *Verè DEUS meus Tu solus verax es, nec falli nec fallere potes. Quæ dixisti, facta sunt; & in omnibus Prophetæ tui fideles inventi. Et sicut nec unum verbum tuum cecidit vacuum in terram; Ita nec unum jota aut apex transibit à lege, donec omnia fiant. Adoro, amo, laudo Tuam infinitam Veritatem. Utinam illam in me perfectissimè exprimam.*

III. *O quàm stupenda Sanctitas Tua DEUS elucet in Sacris Scripturis! In cujus conspectu nemo mundus à sorde, nec infans cujus est vita unius diei super terram; imò & in Angelis tuis reperisti pravitatem. Adoro, Amo, laudo Te ô Sancte Sanctorum, Domine virtutum. Da imitari Te in omni mihi possibili virtutis perfectione; qui monuisti nos O Fili DEI, ut simus perfecti sicut & Pater noster Cælestis perfectus est.*

IV. *Opera Tua mirabilia DEUS in scripturis recensita, ô quantùm mihi commendant Tuam ineffabilem potentiam, sapientiam, bonitatem, amorem, providentiam, justitiam. Propter quæ omnia humillimè Te adoro, ardentissimè amo, devotissimè laudo.*

V. *Amo Tuam infinitam Bonitatem, quâ miseriam nostram in hoc exilio per consolationem Scripturarum refoves, in verbo DEI pascis & vivificas. Quàm dulcia faucibus meis eloquia Tua super mel ori meo! Tibi æternùm gratias ago.*

SUBSECTIO III.

IN PRIMÆ HIERARCHIÆ TERTIO GRADU.

De Contemplatione DEI & ejus Perfectionum in JESU, MARIA, JOSEPHO.

A Divino verbo scripto rectus processus ad Verbum Incarnatum. Inde enim in Divinitatis notitiam patere

 progres-

Joan. 14. progressum ipsa æterna fatetur Veritas dicens: *Nemo venit ad*
S. Augustinus *Patrem, nisi per me.* Et S. Augustinus: *Homini est iter ad DEUM,*
lib. 1. de Civit. *per DEUM & Hominem, qui est Christus.* Nullum enim opus DEI
DEI cap. 2. adeò manifestat ejus perfectiones, quàm opus Redemptionis humanæ. Ubi Mysteria intelligo Incarnationis, Vitæ, Prædicationis, Eucharistiæ, Passionis, Mortis &c. de quorum singulis breviter accipe.

§ 1mus.
De Incarnatione Christi.

IN *Mysterio Incarnationis Primò* stupenda DEI manifestatur *Potentia*, quòd duo Extrema à se infinito intervallo distantia ita inter se conjunxerit, ut medio Unionis hypostaticæ, & DEUS cœperit esse Homo verus, passibilis mortalis, finitus, aliaquè ei conveniant prædicata, quæ conveniunt homini, ejusquè consequuntur naturam; & Homo cœperit esse DEUS verus, impassibilis, immortalis, infinitus, ac reliquorum attributorum DEI plenitudinem participet. Deinde potentia DEI fuit præter leges naturæ sine corruptione Virginis, ex ejus solo purissimo sangvine formare in instanti perfectum corpusculum Christi; eiquè unire Divinam naturam. Deinde ut esset eadem Virgo & Mater, DEIpara, seu Mulier pariens DEUM.

Secundò elucet *Sapientia* in modo excogitandæ tam admirandæ Unionis inter summa & ima infinitùm dissita, ut hæc forent illa, & illa ista Deinde quare ex Virgine MARIA de-
S. Bernardus sponsata Josepho JESUS voluerit nasci, respondet S. Bernardus:
supra missus *Quia* ut ipse ait, *oportebat à Principe mundi aliquamdiu celari Divini*
est. *consilii sacramentum: non quòd DEUS si palàm opus suum facere vellet, inpediri posse ab illo metueret: Sed quia ipse qui non solùm potenter, sed etiam sapienter quæcunquè voluit, fecit; sicut in omnibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias, propter ordinis pulchritudinem facere consvevit: ita & in hoc quoquè tam magnifico opere suo, nostræ videlicet redemptionis seu reparationis, non tantùm potentiam su-*
Ibidem. *am, sed & prudentiam ostendere voluit.* Et paulò infrà. *Necessariò igitur desponsata est MARIA JOSEPH, quomodo per hoc & à canibus Sanctum absconditur, & à Sponso Virginitas comprobatur, &*

tam Virginis verecundiæ parcitur, quàm famæ providetur. Quid sapientius? quid dignius Divinâ providentiâ! Uno tali consilio secretis cælestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra servatur fama Virginis Matris.

Tertiò Bonitatem ac misericordiam DEI immensam in beneficio Incarnationis ita describit *Lessius*: Beneficii magnitudo ex tribus æstimari potest. Primò ex magnitudine ipsius rei, quæ datur. Secundò ex modo quo datur, ut cum magno labore vel incommodo. Tertiò ex affectu, qui inde provenit. Ex hoc triplici capite beneficium istud est immensum. Nam primò res ipsa quæ datur immensa est, nempe Filius DEI. Multùm fuisset si vel unum ex supremis Angelis misisset, qui visibiliter nobiscum versaretur, nosquè doceret, dirigeret, & ad salutem revocaret: sicut cùm Rex terrenus unum ex suis principibus ad solandos & liberandos captivos mittit. Omni enim hujusmodi beneficio eramus indigni; sed quòd Filium miserit, eumquè totum in nostrum bonum nobis donaverit, id omnem superat æstimationem. Secundò spectandus modus, quo nobis datus est, quanto ut ita dicam incommodo & humiliatione & exinanitione ipsius Divinitatis? *Cùm enim in forma DEI esset*, inquit Apostolus, *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Si Monarcha terrenus ad liberandum mancipium à morte, suam Majestatem ad statum servilem demitteret, & servus servi causâ fieret, quanti æstimaretur hoc beneficium, hæc misericordia, hæc charitas? Longè sanè & incomparabiliter pluris ex illo modo, quàm ex commodo & vita servi. Pari ratione quòd infinita illa Majestas nostræ salutis causâ se tantopere demiserit, & nostram mortalitatem assumpserit, longè pluris est æstimandum, quàm tota salus nobis collata. Minima enim Divinitatis humiliatio infinitè pluris est, quàm vniversum bonum creaturæ, quia hoc totum instar est nihili ad illam Celsitudinis infinitatem. *Quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante Te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani quæ descendit in terram.* Unde nullum bonum creatum aut creabile tanti est, ut aliquam illius Celsitudinis mereatur demissionem.

Lessius de perfect. Divin. lib. 12. cap. 7. de magnitud. Benefic. Incarnat.

Philip. 2.

Sap. II.

Quòd igitur illa ſublimitas noſtram humilitatem ſubierit, non meritum noſtrum fecit, non ſalutis noſtræ dignitas promeruit, non juſta bonorum noſtrorum æſtimatio poſtulavit, ſed miſericordiæ & charitatis Divinæ abyſſus præſtitit; cui complacuit tantis impendiis creaturæ ſuæ miſellæ & perditæ ſubvenire. Tertiò denique ſi effectum & fructum ſpectes, hic quoque eſt infinitus. Nam complura beneficia infinitæ æſtimationis nobis per myſterium Incarnationis, ſive per Verbum incarnatum ſunt collata: de quibus ſequentibus dicemus. Ex his conſtat, hoc beneficium triplici ratione eſſe infinitum, & infinitis laudibus, gratiarum actionibus, & obſequiis dignum. *Hæc Leſſius.*

Mellifluus Doctor, Magnalium DEI & ipſius SS. Trinitatis in myſterio Incarnationis præcipuus contemplator hæc inquit. Ædificemus nobis, inquit, fratres, Fidem noſtram, ut ſi mirabilia quæ nobis reſervantur, videre non poſſumus, ſaltèm mirabilia, quæ propter nos in terra facta ſunt aliquantulum contemplemur. Tria opera, tres mixturas fecit Omnipotens illa Majeſtas in aſſumptione noſtræ carnis, ita ſingulariter mirabilia, & mirabiliter ſingularia ut talia nec facta ſint, nec facienda ſint amplius ſuper terram. Cuncta ſunt quippe invicem DEUS & Homo, Mater & Virgo, fides & cor humanum. Admirabiles ſunt iſtæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diverſa, tamquè diviſa ab invicem, potuerunt conjungi? Et primò quidem intuere creationem, poſitionem, & diſpoſitionem rerum, quanta ſit videlicet in creatione potentia, quanta in poſitione ſapientia, in compoſitione quanta benignitas! In creatione vide quàm multa & quàm magna potenter creata ſunt, in poſitione quàm ſapienter cuncta locata ſunt, in bonitate quàm benignè ſuprema & infima connexa ſunt, tam amabili quàm admirabili charitate. Huic enim limo terreno vim vitalem miſcuit, ut in arboribus, unde ſurgit venuſtas in foliis, in floribus pulchritudo, ſapor in fructibus & medicina. Nec hoc contentus, adjecit etiam vim ſenſibilem limo noſtro, ut in pecoribus, quæ non ſolùm vitam habeant, ſed & ſentiant quinque partita ſenſificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum noſtrum, & ei vim rationalem immiſit, ut in hominibus

S. Bernardus in Vigi. Nativitat. Domini ſerm. 3.

qui non solùm vivunt, sentiunt, sed & discernunt inter commodum & incommodum, inter bonum & malum, inter verum & falsum. Voluit quoquè infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se Majestas, ut quæ melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret, & in persona una sibi invicem unirentur DEUS & limus, majestas & infirmitas, tanta vilitas & sublimitas tanta. Nihil enim DEO sublimius, nil vilius limo, & tamen tanta dignatione DEUS descendit in limum, tantaquè dignitate limus ascendit in DEUM, ut quidquid in eo DEUS fecit, limus fecisse credatur; quidquid limus pertulit, DEUS in illo pertulisse dicatur; tam ineffabili quàm incomprehensibili sacramento. Et attende, quia sicut in illa singulari Divinitate Trinitas est in personis, unitas in substantia: sic in ista speciali commixtione Trinitas est in substantiis, in persona unitas; & sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem; ita & hic persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ dissipant personæ unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem, opus mirabile, opus singulare, inter omnia & super omnia opera sua, Verbum enim & anima & caro in unam convenêre personam, & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confusione substantiæ sed unitate personæ. Hæc est prima & superexcellens mixtura, & hæc prima inter tres. Adverte homo quia limus es, & non sis superbus; quia DEO conjunctus es, & non sis ingratus.

Secunda mixtura est, Virgo & Mater, admirabilis planè & singularis. A seculo non est auditum quòd Virgo esset quæ peperit, quòd Mater esset, quæ Virgo permansit. Nunquam juxta rerum ordinem virginitas, ubi fœcunditas prædicatur, nec fœcunditas ubi virginitas integra conservatur. Sola hæc est, in qua virginitas & fœcunditas obviârunt sibi. Ibi semel factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum; quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Tertia est fides & cor humanum; & hæc quidem primâ & secundâ inferior, sed non minùs forsitan fortis. Mirum enim est quomodo cor humanum his duobus fidem accommodavit,

modavit, quomodo credi potuit, quòd DEUS Homo esset, quòd Virgo manserit, quæ peperisset. Sicut ferrum & testa jungi non possunt; sic & hæc duo nequeunt commisceri, si non misceat glutinum Spiritûs Sancti. Ergonè credendum est quòd iste DEUS sit, qui ponitur in præsepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium necessitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulchro, & inter duos lapides concluditur excelsus & immensus? Illanè Virgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes est? in convivio? in thalamo? qui ducit illam in Ægyptum, reducit ab Ægypto, & solus cum sola tàm longinquam tam secretam conficit viam? Quomodo potuit hoc persvaderi generi humano, universo orbi terrarum? Et tamen tam facilè, tam potenter persvasum est, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Juvenes & virgines, senes cum junioribus elegerunt mille mortibus mori, quàm vel ad momentum ab ista fide deficere. *Hæc S. Bernardus.*

Igitur magnitudinem Divinæ Omnipotentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, in Incarnatione Christi relucentem per varios Actus & Affectus Admirare, Adora, Ama, Glorifica, & varios actus Virtutum applica juxta *Praxim* à Cardinal. Bonæ datam infrà hâc Subsect: 3. §. 7. Decade 1. 2. 3. 4. Tum quomodo Spiritus Sanctus inspiraverit, ad cujus incendium, facilè cor reperit, quas flammas Actuum & Affectuum anagogicorum eructet.

§ 2dus.

De Prædicatione Christi.

CHristus in Prædicatione sua *primò* magnam DEI *Potentiam* manifestavit insignibus miraculis, quæ nunquam ante ipsum alius hominum fecit, cæcos, claudos, mutos, paralyticos &c. sanando, oppressos à diabolo liberando, paucis panibus & pisciculis aliquot hominum millia reficiendo, mortuos suscitando.

Secundò Admirandam DEI *Sapientiam* demonstravit, dum paucis verbis, altissimam perfectionem vitæ delinearet, & ad eam sufficientia eaquè potentissima motiva proponeret, argutissimas

tissimas captiones verborum & quæstiones in instanti & plena cum satisfactione resolveret, ut nè ampliùs mutire Adversarii ejus auderent. Stupebat Orbis Salomonis sapientiam, sed ecce plusquam Salomon hic, quia æterna DEI Sapientia in carne visibilis loquebatur. Unde & turbæ populorum satiari nequibant de verbis, quæ procedebant de ore ejus, etiam in desertum è civitatibus & castellis cum mulieribus & suis parvulis sequebantur eum, obliti alimoniæ corporalis pascebantur verbo DEI. Unde Discipuli interrogati à Christo, an vellent & ipsi ab illo cum aliis recedere? respondit Petrus: *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Appositè *Lessius*: si ipsa Christi, inquit, doctrina spectetur, quàm hæc tota gravis, quàm seria, quàm aliena ab omni curiositate, nihil nisi quod sit utile saluti continens! quàm plana & rudibus etiam ingeniis accommodata, ut omnes ejus possent esse participes! quàm sublimis & inexhaustæ profunditatis, ut nullum ingenium sit tantum quin semper in ea possit proficere! quàm pura, quàm omni ex parte perfecta totum illustrans intellectum, omnem reformans affectum, omnem excludens iniquitatem, omnem dirigens operationem, omnem componens vitam, omnia interiora & exteriora hominis Divinæ voluntati & æternæ legi conformans! Universa sacra Scriptura admirabilis est & Divina, utpote ex Spiritus Sancti illustratione profecta; sed multum eminet Evangelicus sermo quem Sapientia incarnata suo ore deprompsit. Est enim & planior & sublimior, ad intellectum illustrior, ad affectum potentior, ad gustum internum dulcior, ad conversionem peccatorum efficacior, ad profectum justorum & perfectionis culmen assequendum convenientior. Utitur enim Spiritus Sanctus ingeniis hominum ut instrumentis, eorum conditioni quoad elocutionem & modum apprehendendi, salva veritate eorum, quæ enuntiari vult, se plurimùm attemperat, nequè enim consuetum illorum eloquendi aut concipiendi modum immutat, sed iis utitur prout invenit, quo fit, ut magna sit varietas in sacris scripturis pro varietate ingeniorum, quibus Spiritus Sanctus utitur. At instrumentum, quo sermo Evangelicus est administratus, fuit humanitas Christi omni sapientia & eloquen-

Joan. c. 6.

Lessius de perfect. Divin. lib. 12. cap. 8.

eloquentia prædita, nihil scabri, distorti, obscuri, aut alicujus humanæ imperfectionis habens. Quare poterat orationem suam optimè ad nostrum captum & utilitatem servatâ sensûs profunditate temperare. Unde certum est, hâc doctrinâ nihil vel elocutione vel conceptibus rerum, vel sententiarum vi & pondere excellentius, aut homini convenientius ac salutarius posse cogitari, ex eaquè facilè perspici authorem longè majorem homine fuisse. Quo fit, ut qui illam attentè legit, aut perpendit, mirè afficiatur, & summâ tantæ Sapientiæ capiatur admiratione.

Ibidem. Tertiò ineffabilem DEI *Bonitatem* colligit *Lessius* de doctrina Christi hunc in modum discurrens: Vide quantis in tenebris mundus ante Domini adventum fuerit & quantis erroribus implicitus. Ignorabat mundus (paucis exceptis) suum & rerum omnium Opificem, ignorabat Divinam providentiam & gubernationem, fines bonorum & malorum, vitam scilicet æternam, cælum & infernum, ignorabat animæ immortalitatem, peccatorum malitiam, virtutum & bonorum operum dignitatem, regulam rectè vivendi: ignorabat viam vitæ, & cæcus per tenebras currebat in mortem, mortem secundam, mortem immortalem. Pro Numine colebat vel cælestia corpora, solem, lunam, astra, vel homines impios & damnatos, qui olim potentiâ vel industriâ aliquâ excelluerant, adulteros, homicidas, deceptores, impuros, omnibus sceleribus inquinatos; Saturnum, Martem, Mercurium, Venerem, & similes, vel horum statuas, & in statuis dæmones salutis suæ hostes, vel animalia rationis expertia, & alia his fœdiora. Denique diabolus princeps tenebrarum tanquam hujus mundi tenebricosi deus omnes sub suo imperio & disciplina tenebat, secumquè ad infernum & noctem æternam trahebat. O tenebras exitiales & æternæ mortis æterniquè luctûs prævias & socias! O infelix seculum ante Domini adventum tanto malo oppressum, quantumvis opibus, potentiâ, & eloquentiâ florens! O quas tamen nugas quædam curvæ & infelices animæ illud mirantur & beatum prædicant, stultè nimis & absurdè! humana sunt ista terrena & momentanea, nihilum profunt ad vitam

vitam æternam, si doctrina Christi absit, si Christum DEI Sapientiam & viam salutis ignores.

Dominus igitur noster nostri misericordiâ commotus, cùm in mundum venisset suâ doctrinâ has tenebras dispulit, errores detexit, diaboli fraudes & tyrannidem aperuit, mundum illuminavit. Authorem rerum omnium ejusquè providentiam, misericordiam, & justitiam ostendit, bonorum præmia, & æterna supplicia proposuit, deniquè totam salutis viam hoc est seipsum & sua instituta clarissimè omnibus demonstravit, & facillimam reddidit. Fecit autem hoc non per Angelum aliquem, vel Prophetam, sed per seipsum aliquot annorum tractu, ingenti labore, in fame & siti, in æstu & frigore, in multa corporis fatigatione, in variis locis, in oppidis, in viculis, in deserto, in montibus, in campestribus, terra & mari, publicè & privatim, per domos & synagogas, in templo & plateis, nunc multis nunc paucis auditoribus. Neminem dedignabatur, nemini doctrinam cælestem subtrahebat, omnibus eam offerens, & passim etiam ingerens, & occasionem captans, ubi opportunum judicabat. Nequè verò ob hominum duritiam aut Pharisæorum calumnias, & atroces in ipsum blasphemias, nequè ob tormentorum & mortis metum (quamvis sciret hæc sibi propter doctrinam suam ab ipsis parari) unquam destitit. Jam verò quàm benignè ad Discipulorum & auditorum suorum captum se demisit, quàm aptè ruditati eorum sublimem illam doctrinam suam accommodavit, adhibitis exemplis, parabolis, similibus ex rebus usitatis & humanis, utensquè sermone vulgari absque verborum fuco, absque vanis lenociniis orationis. quàm patienter eorum inconsiderationem, ingenii crassitiem & tarditatem sustinuit? Sæpiùs eadem explicans, ad rudes & incircumspectas eorum interrogationes benignè respondens, distortas illorum apprehensiones corrigens, & mentem eorum terrenis assvetam sensim ad cælestia capienda familiariter instruens. Mirabile spectaculum videre Sapientiam illam cum rudibus & infimæ sortis hominibus, cum piscatoribus & mechanicis assiduè versantem, ambulantem, sedentem, comedentem, loquentem, in illis erudiendis docendisquè as-

sìduè occupatam, & eorum captui suaviter in omnibus se accommodantem. Quis jam non libentissimè se, quantumvis sibi sapiens videatur in rudibus erudiendis occupet, cùm videat tanto id studio ipsam Sapientiam incarnatam fecisse? *Hæc Lessius.*

In Praxi Actus & affectus admirationis, adorationis, amoris, laudis, & aliarum virtutum elicito juxta Methodum infrà datam hac Subsect: 3. §. 7 Decade 6. Sed plura te Unctio docebit, hìc sufficiat impetum dedisse formandi anagogicas Aspirationes.

§. 3tius.
De Vita Christi.

Vita Christi *primò Sanctitatem* DEI maximè insinuat. Quis enim tantâ Innocentiâ, tanta Perfectione visus est in terris conversari? Adversarii ejus in omnes actiones ejus intentissimi, ut eum in aliquo caperent, nunquam voto suo potiti sunt.
Joan. 8. Unde ad illos Christus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hinc noctuæ illæ & tenebriones fulgorem radiantissimæ virtutis in
Sapien. c. 2. Sole Justitiæ molestè ferentes dicebant: *Gravu est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ ejus. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquam ab immunditiis: & præfert novissima iustorum, & gloriatur Patrem se habere DEUM.* Et quia erat potens opere & sermone coram DEO & omni populo, nempe id agebat, quod prædicabat, prædicabat autem proxima Angelicæ puritati & virtuti; hinc conversatio Christi non tam hominem terrenum, quàm Angelum quendam cælestem repræsentabat, istamquè vitam cælicam, & verbo & opere ad imitationem DEI Patris referebat,
Matth. 5. referrequè suos monebat dicens: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.*

2dò Bonitas DEI enitet in eadem Christi sanctissima vitæ conversatione, quatenus ejus exemplo nos animat ad omne virtutis genus, ipsiusquè asperum iter complanat & facilitat.
Lessius de perfect. Divin. lib. 12. c. 9. Advertit hoc ipsum *Lessius* ita piè discurrens: Quantum autem sit hoc beneficium (DEI *per datum nobis Christi exemplum*) ex eo primum

primum perſpici poteſt, quòd parum efficax illa ſpiritualis & ſupernaturalis doctrina in tanta naturæ corruptione & ad ſenſibilia pronitate futura erat, niſi ſenſibilibus exemplis ad permovendos homines juvaretur.

Longè enim majorem impresſionem in animam faciunt viva exempla, quæ oculis videntur, & manibus palpantur, quàm ſublimis doctrina longè à ſenſibus remota. Unde maximum fructum faciunt illi Concionatores, & Superiores, & animarum Curatores, qui idipſum quod docent & aliis imperant, prius ipſi vita & moribus exprimunt: ſicut econtrario parùm vel nihil fructûs referunt, ſed damnum potiùs inferunt, quorum vita ſuæ doctrinæ non reſpondet, & quod verbo ſtudent in proximis ædificare, exemplo deſtruunt, uua manu homines ad DEUM allicientes, & altera repellentes. Nihil itaque vel certè parum ſine exemplo actum erat in genere humano ad vitæ Sanctitatem. Deinde quod hæc exempla tanti Filio DEI ſteterunt. Ideo enim tot annis in terris nobiſcum verſatus eſt; ideo tot labores ſubiit, tot calumnias & acerbitates ſuſtinuit, tam gravia & indigna perpesſus eſt. Neque enim ad ſolvendum pretium redemptionis noſtræ tot & tam diuturnis laboribus & perpesſionibus opus erat, una enim precatio, una ſangvinis gutta ad totius mundi abluenda peccata ex ſe erat ſufficientisſima. Sed ad luculentisſimum omnis virtutis & perfectionis exemplum exhibendum illa erant potisſimùm neceſſaria. Quamvis ſimul in illis ſubeundis non ſolum exemplum & imitationem, ſed etiam redemptionem & ſolutionem noſtri debiti ſpectaverit, ut propitiatio & redemptio noſtra eo copioſior eſſet & redundantior. Ratio tamen exempli & imitationis videtur fuiſſe præcipua, cùm modum neceſſariæ redemptionis tantopere exceſſerit. Unde pasſim ſcriptura etiam pasſionem & crucem exempli cauſâ ipſum ſubiiſſe docet B. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis* (etiam qui non eſtis Diſcipuli vel Apoſtoli) *relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Et cap. 4. *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Et Dominus ipſe Matth. 20. cupientibus cum ipſo regnare inter primos: *Poteſtis*, inquit, *bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* Et Apoſto-

lus Paulus passim Christum Crucifixum ut exemplar omnis sanctitatis imitandum proponit. Non ergo parum momenti exemplum vitæ Domini nostri ad salutem & perfectionem adipiscendam habere putemus, quod ipsi tot laboribus & doloribus constitit, sed potiùs illud fuisse necessarium : alioquin Domino non tantopere cordi futurum. Hoc maximè omnes Sancti novi testamenti intuiti sunt, & eos ad tantam sanctitatem evexit. Hoc martyria excitavit, hoc paupertatem, humilitatem, contemptum seculi, virginitatem docuit, hoc omnium Religionum fons & origo, ex hoc omnia Sanctorum exempla, velut ex prototypo sunt deducta. Quare sicut pictor qui eximiam aliquam formam in tabula vult depingere, assiduè propositum habet exemplar, quod vult imitari, ad illud creberrimè respectans, ut illi suam picturam quantùm fieri potest, assimilet: ita quivis Christianus & maximè Religiosus, cujus tota professio est Christum imitari, Christi imaginem in se exprimere, atquè
Galat. 2. adeò Christum induere, ut dicere possit cum Apostolo : *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus* : debet Christi vitam & conversationem semper habere præ oculis, eamquè ita menti imprimere & imaginatione sibi repræsentare, ut hæc cælestis forma ex intellectu transeat penitus in affectum, & ex affectu in opus totamquè vitam externam, ut foris & intus simus Christo omnino similes, & ut sic dicam Christi-formes. Hæc enim est summa Christiani hominis perfectio, similem esse Christo
Matth. 10. Domino suo. Nam *non est discipulus supra Magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit sicut Magister ejus.* Tales fuêre magna illa nomina Petrus & Paulus, cæteriquè Apostoli, & quicunquè Sanctitate vitæ eximiæ exstitêre.

In Praxi elice Actus & Affectus admirationis, adorationis, amoris, laudis, aliarumquè virtutum juxta formam infrà datam hac Subsect. 3. §. 7. Decade 5. 6. 7. Tum sequere impetum redundantis gratiæ, cui nil facilius quàm similes ex accenso pectore ejaculari flammas Actuum & Affectuum anagogicorum.

§ 4tus.

De Institutione SS. Eucharistiæ ut est Sacramentum, & Sacrificium.

IMmensa Potentia, & stupenda prorsus Sapientia DEI in SS. Eucharistiæ institutione apparet. Potentia, quòd uno eodemquè instanti circa consecrationem hujus Sacramenti plura & admiranda faciat signa. Sapientia, in inveniendo modo patrandi tot & tanta in momento miracula. Unde hoc divinissimum Sacramentum vocatur *Miraculum miraculorum*, *Compendium miraculorum*, *Continuum miraculum* &c. Coronatus Propheta canit: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Præcipua horum miraculorum enumerat *Lessius* duodecim: quorum duo spectantur circa substantiam panis & vini, duo circa species, sex circa Corpus Domini, & connexa duo circa consecrantem.

Psalm. 110.

Lessius de perfect. Divin. lib. 12. c. 16.

Circa substantiam panis & vini *primum miraculum est*, quòd hæ substantiæ vi consecrationis funditùs pereant, & veluti annihilantur; quamvis non solemus dicere eas annihilari eò quòd hæc desitio ex intentione Divina non sistat in nihilo, sed dirigatur ad positionem Corporis Christi: verùm hoc ad modum loquendi spectat, nam quod ad rem attinet, nihil omnino substantiæ panis manet, non forma, non materia, non existentia, non gradus aliquis, sed totum ita funditùs perit ac si prorsus in nihilum redactum esset nullo positivo succedente. Nam quòd aliud succedat, non est ex vi illius desitionis (hæc enim solùm tendit per se ad nihilum & non esse) sed alterius actionis conjunctæ, quâ ponitur Corpus Christi Fit autem hæc desitio per se & primò intrinsecè non actione aliquâ positivâ (ea enim haberet terminum intrinsecum positiuum, non negationem) sed subtractione influxus Divini. Quo illa substantia in sua entitate & specie, secundùm materiam & formam conservabatur. Illo enim substantifico influxu subtracto & veluti cohibito, necessè est rem in nihilum relabi. Sic mundus in pristinum suum nihilum & tenebras æternas, unde per creationem

est

est eductus, recideret, si DEUS vim suam cohiberet, actionem quâ illi dat esse, abrumpendo, & radios influxus sui substantifici veluti retrahendo. Quomodo autem panis dicatur converti in Corpus Christi infrà explicabitur

Secundum Miraculum est, ejusdem materiæ, corruptis speciebus reproductio & restitutio. Constat enim speciebus sacramentalibus hominem nutriri posse corporaliter, & ex illis vermiculos gigni posse, & omnia ea confici, quæ præsente substantia panis & vini confici ex illis possent. Quod non ita intelligas, quasi species illæ per se subsistentes vicem materiæ substantialis in hujusmodi rebus præstare possint. Primò: quia species accidentariæ non sunt capaces formæ substantialis recipiendæ, aut unionis substantialis cum tali forma subeundæ. Secundò: quia res ex illis genitæ non essent ejusdem substantiæ, atque aliæ similes utpote carentes altera parte substantiali videlicet vera materia; & vermiculus ex illis procreatus non esset physicus vermiculus ut alii, sed potiùs (ut ita dixerim) mathematicus: sed cùm mutatio & corruptio specierum eo processit, ut substantia panis & vini cùm ea ampliùs consistere non posset, & rem aliam gigni ex illis oporteret, eo ipso momento restituitur pristina materia, quæ & dispositiones illas hactenus sine subjecto existentes subjectivè recipiat, ac sustentet: & formam substantialem, quæ eodem puncto temporis vi dispositionum, aut formæ gignentis, aut causæ Universalis elicitur, excipiat, & unam cum illa substantiam (v. g. vermiculum) constituat; perinde ac si materia panis nunquam subducta fuisset. Ita enim hæc omnia occultè & dextrè Sapientiâ & Omnipotentiâ Christi geruntur, ut nullis indiciis externis deprehendi possit quidquam, vel ante defuisse, vel nunc de novo substitutum; idquè tum propter majus fidei meritum; tum nè cursus rerum naturalis, ut actio, passio, ortus, interitus, interciperetur. Dicimus eandem potiùs materiam restitui, quæ primò desierat, quàm aliam substitui; quia id convenientius est, partim nè mundus exhauriatur, aut ullâ parte minuatur, primæva suâ materiâ, (ea enim condita est, ut in æternum perseveret, modico illo tempore, quod instar nihili est, dispensatoriè excepto;) partim quia hæc reproductio magis congruit

reprodu-

reproductio magis congruit reproductioni & positioni Corporis Christi; ut sicut in hoc mysterio datur reproductio ejus quod jam erat, & nunquam desierat; ita etiam detur reproductio ejus, quod non erat, sed antea fuerat. Deniquè hoc est mirabilius magisquè consentaneum Divinæ Sapientiæ & Potentiæ, quæ sua admiranda in hoc mysterio peculiariter demonstrare voluit. Hæc duo suprà dicta miracula adeò sunt exotica, & à naturali causarum ordine remota, ut nunquam similia extra hoc mysterium sint facta; nunquam etiam facienda.

Circa species autem *prius miraculum* est, quòd species illæ per se nulli subjecto innixæ consistant. Modus autem quo id fiat, est, ut DEUS tantummodò continuet influxum illum intimum, quo entitatem illius accidentis conservabat. Eo enim continuato & non abrupto permanebit accidens in suo esse suaquè specie & existentia, etiamsi subjectum subtrahatur, & modus inexistentiæ pereat. *Alterum miraculum* circa species est, quòd ita passiones & impressiones aliarum qualitatum recipiant, perinde acsi panis & vini substantia subesset, & illæ species non per se, sed in substantia vel materia panis & vini existerent. Calescunt enim species & frigescunt, arescunt & mucescunt, similesquè mutationes subeunt.

Circa *Corpus Domini* & illud comitantia, quæ speciebus occuluntur, *primum miraculum est*, positio illa & constitutio corporis & sanguinis Christi in cælo existentis & permanentis, sub speciebus panis & vini; ita, ut non minùs verè, realiter ac substantialiter hìc sit quàm in cælo. Certissimà fide & firmissimè ita tenendum. *Concil: Trid: Sess: 13. Can: 1.*

Secundum miraculum est, positio animæ Christi cum tota sua sanctitate, cum visione & amore beatifico; deniquè cum omnibus suis ornamentis, & dotibus naturalibus & supernaturalibus, sub iisdem speciebus. Non enim decebat corpus ibi esse sine anima, nec animam decebat esse destitutam suis bonis ac opibus.

Tertium miraculum est, positio unionis hypostaticæ, quâ & caro & anima Verbo Divino unita & veluti surculus qui-

dam est insita, hæc omnino erat necessaria; quia ab ea caro præcipuam suam dignitatem, & omnem vim sanctificandi habet, juxta illud Domini Joann. 6. *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quicquam.* Ponitur autem hæc unio per propriam actionem productivam, sicut & alia quæ per concomitantiam hic esse dicuntur. Etsi autem Verbum Divinum ubiquè sit, unio tamen corporis & animæ Christi cum Verbo non est ubiquè, quia corpus & anima Christi ubiquè non sunt, sed certo loco circumscripta. Unio autem est modus intrinsecus illorum, nec sine illis esse ullo modo potest. Itaquè sicut anima & corpus Christi propria actione poni debent in hoc Sacramento, ita etiam unio illorum cum Verbo. Hinc sequitur etiam Verbum Divinum in hoc Sacramento per concomitantiam esse; nimirum non solùm ratione suæ immensitatis, quæ est in omnibus rebus, sed etiam ratione unionis hypostaticæ, quæ peculiari ratione præsentiam Verbi requirit; Ut etiam Concil. Triden: disertè affirmat. Unde ulteriùs ratione identitatis vel connexionis cum Verbo, necesse est etiam Divinitatem, & Patrem & Spiritum Sanctum ibidem esse. Hæc enim omnia ipsa unio hypostatica peculiari ratione secum trahit. Ad hæc tamen nullo modo se extendit actio illa productiva, ut per se notum est.

Quartum miraculum est, *Modus* existendi spiritualis ipsius corporis cum omnibus suis corporalibus quantitatibus, sub speciebus panis & vini. Corpus enim cum tota sua mole, suisquè qualitatibus Divinâ virtute super conditionem corporalem elevatur, & accipit modum existendi spiritalem, quo veluti in punctum contrahitur, & simul continuè per speciem ita diffunditur, ut instar substantiæ spiritualis sit totum sub tota specie panis, & totum sub singulis ejus partibus: sicut anima rationalis est tota in toto corpore, & tota simul in singulis ejus partibus; & natura Angelica est tota in totius spatii complexu, & tota in singulis spatii partibus. Duo enim ad modum essendi spiritualem, quem substantiæ incorporeæ habent, requiruntur. Alterum est, ut res tota sit veluti collecta in punctum indivisibile, ita ut nihil illius sit, quod in illo indivisibili non reperiatur. si enim aliquid ejus esset extra illud indivisibile

quod

quod etiam intra illud non ſit, haberet potiùs modum exiſtendi rerum corporalium, quarum eſt habere partem extra partem, quàm rerum ſpiritualium, quæ totam entitatem ſuam in punctum indiviſibile collectam obtinent. Alterum eſt, ut illud indiviſibile continuè ſit extenſum, vel diffuſum non per partes (hoc enim eſt rerum corporalium) ſed per ſuas, ut ita dixerim, totalitates, alioquin non poſſet aliquod ſpatium continuum ſimul totum & continuo modo occupare, quod etiam eſt contra modum exiſtendi rerum ſpiritualium. Requirit itaquè ut totum ſit intra punctum indiviſibile, & totum extra, absquè tamen diſcontinuatione. Utrumquè horum reperitur in modo exiſtendi, quo corpus Chriſti exiſtit in hoc Sacramento: nam totum eſt ſub quovis puncto indiviſibili, vel ſaltèm ſub quavis etiam minima & ad ſenſum indiviſibili particula, & totum eſt continuè absquè interciſione diffuſum per totam ſpecierum quantitatem: ſicut ſubſtantiæ ſpirituales ſunt diffuſæ per totum ſpatium quod occupant.

Valdè ſtupendum & inſolens eſt hoc miraculum nunquam aliàs factum, nunquam faciendum extra hoc myſterium, ut res extenſa per partes accipiat modum rerum ſpiritualium exiſtendi inextensè, & cùm ſubſtantia & exiſtentia ſit corporalis, modus tamen eſſendi ſit ſpiritualis. Excludit quidem hic modus exiſtendi figuram extrinſecam, & modum extenſivum, quem Chriſti corpus habet, in cælo ſecundùm naturalem conditionem (hæc enim dicunt ordinem & commenſionem ad locum vel ſpatium) non tamen excludit aliquid molis, aut realis quantitatis illius corporis, nec figuram, ut ita dicam, intrinſecam, quæ in temperamento & diſpoſitione ac continuatione partium intrinſeca, ex qua naturaliter reſultat figura externa, ſita eſt. Figura enim extrinſeca eſt ab intrinſeca rei diſpoſitione partiumquè diſpoſitione, maximè in viventibus, non ab extrinſeca tantum formatione, ut in ſtatuis, ſignisquè ſculptis vel fuſis. Eſt igitur corpus Chriſti ſine partium commixtione aut confuſione. Etſi enim omnes ſimul & in eodem puncto ſint; quælibet tamen retinet ſuum temperamentum, ſuam unionem, ſuam connexionem, ſuum ordinem, & omnem internam diſpoſitionem, quæ à reſpectu & commenſione loci non pendet.

Quintum miraculum est, multiplicatio, ut ita dixerim corporis Christi sub eadem specie, seu præsentia multiplex & modus existendi multipliciter. Anima rationalis est quidem tota in singulis partibus corporis humani, non tamen totaliter nec plenè completè, sed imperfectè & cum dependentia ab existentia in aliis partibus, & semel tantùm completè est in toto. Unde abscissâ parte, non potest in ea conservari, nisi novo miraculo, quo tamen casu etiam incompletum Esse & velut incisum & in suas totalitates divisum habebit. At corpus Christi est sub singulis specierum partibus completè & totaliter, tamquè perfectè quàm sub tota specie; nec existentia ejus sub hac particula dependet ullo modo ab existentia sub particulis vicinis, sed sub singulis est modo perfecto, & independenter ab aliis. Unde factâ divisione permanet sub singulis completè absque novo miraculo. Habet autem hoc completum Esse sub singulis particulis, qnantumvis exiguis, & ante,, & post earum separationem, sub quibus semotâ consecratione esset substantia panis.

Sextum miraculum est, corporis Christi ad corruptionem specierum desitio in Sacramento. Cùm enim ab externo agente, vel internâ qualitatum pugnâ ita species evertuntur, ut sub illis ampliùs substantia panis conservari non posset, eo ipso momento quo desineret substantia panis, desinit etiam corpus Christi, non quòd corpus Christi ab illis speciebus aliquam habeat naturalem dependentiam, sicut substantia panis, sed quia DEUS tunc desinit continuare illum influxum, quo ibi corpus Christi erat positum, & veluti productum. Sicut enim novo influxu productivo ibi erat positum, ita illius influxûs inhibitione & suspensione ibi desinit. Unde sicut ille influxus adeò erat efficax, ut per illum corpus Christi posset produci ex nihilo, si alibi non esset, ita ratione suspensionis illius influxus desineret in nihilum, nisi alibi maneret. Verùm quia alibi idem omninò Esse permanet completissimum, nihil damni aut incommodi ex hac desitione sub speciebus accipit, sicut nihil commodi accipit ex productione. Idem enim Christo est esse semel, & esse millies; cùm semel existens omne

omne bonum habeat plenisſimè, & omnia posſit, quæ exiſtens millies. Hæc de miraculis circa corpus Chriſti ſub ſpeciebus.

Circa Conſecrantem primum miraculum eſt, tantæ multitudini hanc poteſtatem conceſſam, nequè ad eam requiri vitæ Sanctitatem, aut veram fidem, neque ob ullam flagitiorum immanitatem illam adimi. Si uni tantùm in mundo eſſet conceſſa, quanta hic in omnium eſſet admiratione? quanti ad illum undiquè fierent concurſus? quanto ab omnibus afficeretur honore? veluti quidam DEUS haberetur in terris, cui tam Divina eſſet auctoritas & poteſtas conceſſa. Nunc effuſisſima DEI Bonitas, non uni tantùm, ſed pænè innumerabilibus hanc poteſtatem contulit, & porrò confert peccatoribus etiam indignisſimis, adulteris, homicidis, blaſphemis, ſchismaticis, hæreticis, qua in re veluti ſuæ dignitatis oblitus, ſui honoris ac reverentiæ curam neglexiſſe videtur. Nam multitudo illa, & indignitas miniſtrorum cæleſtem illam poteſtatem, ejusquè functiones, & Diviniſſima dona, quæ per illam mundo DEUS impertit, fecit vileſcere, & minùs æſtimari ab hominibus; ſed DEUS commodorum noſtrorum intuitu iſta ſtatuit, nimirum ut nobis ubiquè & ſemper hoc Divinum ſacrificium, & æternitatis alimentum, etiam per indignos Sacerdotes copioſè ſuppeteret, nequè ob eorum malitiam nos tanto bono fruſtraremur.

Alterum eſt, facilitas conficiendi. Non enim opus eſt ingenti labore ad rem tantam perficiendam, ſed ſumma facilitate paucis conficitur verbis. Quid facilius verbo? nullum ſignum externum promptius & minori labore edi poterat, quàm verbum & brevis locutio. Si aliquis pro arbitrio montes transferre poſſet, vel ſiccare maria, ciere ventos & fulmina, excitare mortuos, quamvis ad id multâ oratione multisquè cæremoniis uteretur, in ſumma eſſet admiratione. Aſt, quid ſunt iſta ad magnitudinem hujus myſterii? quod per ſe non minùs eſt arduum & ingens, quàm cæli & terræ creatio, & tamen tantâ facilitate, tamquè brevi tempore ab homine indignisſimo perficitur. Mira prorſus eſt in his Divina miſericordia & benigni-

tas, omniquè admiratione superior: sed hæc omnia ut dictum est sic constituit, ut omnia nobis ad salutem opportuna abundantissimè & absque labore & quasi sponte suppeditarent, sicquè immensitatem sui in nos amoris & misericordiæ plus quàm paterna viscera declararet, nosquè vicissim ad se redamandum alliceret.

Hæc de præcipuis hujus mysterii admirandis. Præter hæc facit etiam ad commendationem & miraculum hujus mysterii, quòd magnam habeat cum mysterio Incarnationis affinitatem. Sicut enim in mysterio Incarnationis Divinitas invisibilis unita est humanitati visibili; ita in Eucharistia caro Christi invisibilis unita est speciebus visibilibus. Secundò, sicut ex illa unione unus efficitur Christus: ita ex hac unione cum speciebus unum Sacramentum corporis & sangvinis Christi. Tertiò, sicut per Incarnationem totum Verbum unitum est singulis naturæ humanæ partibus; ita per consecrationem totum corpus Christi singulis unitur partibus specierum. Quartò, sicut læsâ & patiente humanitate Divinitas manebat illæsa & impassibilis, ita passiones quæ fiunt circa species, non possunt corpus Christi sub illis latens afficere. Quintò, sicut tamen ob unionem illam dicebatur DEUS pati, crucifigi, mori, patiente humanitate; ita ob hanc unionem, fractis & sumptis speciebus, dicitur frangi & sumi corpus Christi. Facit enim hæc unio quandam idiomatum communionem. Sic etiam Christi corpus dicitur videri, tangi, misceri, portari ratione specierum; & hoc visibile rectè dicitur vivum, intelligens, sanctificans, ratione Corporis inclusi. Sextò, sicut humanitas Christi non habebat ibi suum naturalem modum subsistendi, sed sustentabatur à Verbo; ita species non habent hic suum naturalem modum existendi, sed continentur virtute corporis Christi extra suum naturale subjectum. Septimò, sicut nulla vis creata potest illam unionem dissolvere, ita nec hanc, quamdiu species salvæ manent. *Hactenus Lessius.*

Lessius de perfect. Divin. lib. 12. c. 13.

Abyssalem DEI Bonitatem in SS. Eucharistiæ institutione admirari libet ex *Lessio* dicente breviter & nervosè: Hoc beneficium est prorsus admirabile, & maximè declarat immensam DEI

DEI in nos benignitatem & misericordiæ abyssum, non minùs quàm beneficium Incarnationis. Occuluit enim seipsum totum corpus, sangvinem, animam cum omnibus donis & gratiis cælestibus, cumquè tota Divinitate suo modo incomprehensibili sub *speciebus panis* & vini; nobisquè hoc totum donavit tum in juge sacrificium, tum in quotidianum alimentum immortalitatis. Suam Divinitatem antea naturæ nostræ copulaverat; in hac se nobis Socium, Doctorem, Ducem, Redemptorem, Pretium seu lytron præstiterat, se ad omne genus contumeliarum, dolorum acerbitatem, ad flagella, sputa, blasphemias, crucem & mortem tradiderat, se totum in nostram salutem impenderat & expenderat; sed hæc omnia amori illi & misericordiæ visceribus satis non fuêre, nisi alio adhuc novo stupendo, omnibusquè seculis inaudito modo se totum nobis in Eucharistia relinqueret, ut quamvis visibilem præsentiam suæ humanitatis transferret in cælum, eandem tamen nobis invisibili modo realiter tamen & substantialiter relinqueret in terra, ut semper nobiscum in hac mortali vita, & in nobis esse, nos solari, & spiritum suum in nos transfundere assiduè posset. O infinitum bonitatis & misericordiæ pelagus! O incomprehensibile pietatis mysterium! Quæ mens vel Angelica tale aliquid, vel ab infinita bonitate exspectare potuisset? Eadem ineffabilis bonitas DEI ampliùs cognoscitur ex præclarissimis fructibus & effectibus S. Eucharistiæ Sacramenti; tum ut sacramentaliter sumitur tum ut per modum sacrificii applicatur. *Hæc Lessius.*

Vide Missæ sacrificium & Communio SS. Eucharistiæ.

In Praxi eliciendi Actus & affectus admirationis, adorationis, amoris, laudis, aliarumq; virtutum servato modum infrà datum hac Subsect. 3. §. 7. Decade 8. Sed quid non efficiet ipse immensus ignis DEUS, concentratus sub modicas species Eucharisticas & visceribus tuis interceptus? quibus splendoribus te non irradiabit? quib⁹ flammis te non incendet? quantis aspirationum affectuumq; motibus cor tuum exæstuare non faciet? Hinc superfluum multas formulas aspirationum præscribere, cùm in accenso corde sponte & copiosè nascuntur, frigido verò pectori & duro cordi copia rerum spiritualium parit nauseam. Porrò bonæ volun-

voluntatis hominibus sufficit occasionem dedisse, reliqua perficit Spiritus Sanctus, & illorum pius conatus.

Actus & Affectus anagogici in DEUM ex Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

O Magne DEUS! ô immensa Majestas DEUS-Homo! quàm in exiguam sphærulam, imò in micam speciei panis, & in guttulam speciei vini Te coarctasti! infinita potentia, sapientia, bonitas, tua id fecit,

O Eucharistia, miraculum miraculorum, quàm stupendam DEI potentiam nobis exhibes! Adoro, amo, magnifico tantam potentiam.

O Sapientia infinita DEUS meus! quomodo scis & vales, tam mirabilia operari? Adoro, amo, laudo tuam incomprehensibilem sapientiam.

Sed quid dicam de Bonitate tua DEUS? Itanè hæc exhausit infinitam Omnipotentiam & Sapientiam Tuam, ut ampliùs Creaturæ tuæ præstare nec scias nec valeas, quàm ei Te dones in socium, in cibum, in pretium, in præmium? Ita est, exhausit. Quippe Tu es summum & solum Bonum nostrum, donum & datum optimum, descendens à Patre luminum.

O infinitum mare ignitissimi Amoris in unam sphærulam, imò miculam, guttulam, punctum, concentratum! quantas in me evibras flammas amoris tui! Et ego à Te accensus, utinam totus ignis amoris factus æstuans nimis & ardens impetuosissimè ac continuè ferar in Te O Centrum amoris mei!

O Sacramentum triumphus amoris! Triumphat de Te amor ô DEUS! totum quantus, quantus es tradit Te creaturæ indignæ & miseræ, idquè modo adeo inexspectato, insolito, stupendo. O Amor immensè triumphes Tu & de me; sim DEI mei Totus in tempore, & æternitate.

Adoro, Amo, glorifico immensitatem hujus Amoris tui O JESU!

Immortales gratias ago pro hoc indicibili Amore tuo, pro incomprehensibili beneficio SS. Eucharistiæ Sacramenti.

Non sum dignus tanta bonitate, tanta miseratione tua.

Obsecro Domine fac me frequentissimè, & semper dignum participare pretiosissimum donum Corporis & Sangvinis tui, ad gloriam tuam.

§ stus.

§. 5tus.
De Passione & Morte Christi.

INcomprehensibilis DEI Potentia, Sapientia, & maximè justitia ac Bonitas, in passione ac morte Christi relucens, tum alia præclara pulchrè delineantur à Seraphico Doctore dum ait: Nunc inquit breviter tangamus, qualiter contemplando ad veram sapientiam pervenitur. Per contemplationem namquè transit mens nostra ad supernam Jerusalem, ad cujus instar Ecclesia est formata, secundùm illud Exodi: 25 Inspice & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est in monte. Et infrà: Gradus autem perveniendi ad splendorem veritatis, ad quem pervenitur imitatione Christi, sunt septem: Scilicet assensus rationis, affectus compassionis, aspectus admirationis, excessus devotionis, amictus assimilationis, amplexus Crucis, & intuitus veritatis. In quibus hoc ordine progrediendum est. Primò considera, quis est qui patitur, & ei subsidere per rationis assensum, ut credas firmissimè ipsum veraciter esse DEI Filium, omnium rerum principium, Salvatorem hominum, & retributorem meritorum omnium. Secundò considera qualis est qui patitur, & ei configurare, per compassionis affectum, scilicet ut ei compatiaris tanquam innocentissimò, mitissimo, nobilissimo, & amantissimo. Tertiò considera, quantus est qui patitur, & ad ipsum egredere per admirationis aspectum, & attende quòd ipse est immensus potestate, speciositate, felicitate, & æternitate. Igitur admirare immensam potestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, æternitatem mori. Quartò considera, qua de causa patitur, & te ipsum oblivíscere per devotionis excessum; quia patitur scilicet pro tua redemptione, illuminatione, sanctificatione, & glorificatione. Quintò considera quali forma patitur, & ipsum induere per assimilationis amictum. Passus est enim sicut verus Agnus, libentissimè respectu proximi, severissimè respectu sui, obedientissimè respectu Patris, & prudentissimè respectu adversarii. Stude igitur ad habendum habitum secundùm

cundùm effigiem imitationis Christi, scilicet benignitatis, humilitatis, severitatis, & perspicacitatis. Sextò considera, quanta sint quæ patitur, & crucem amplectere per passionis desiderium, ut sicut Christus passus est vincula, ut impotens omnipotentia; convitia, ut vilis bonitas; ludibria, ut stulta sapientia; & suppllicia, ut iniqua justitia: sic & tu considera passionem crucis, hoc est passionem plenam injuriis in rebus, contumeliam in verbis, ludibria in signis, & supplicia in tormentis. Septimò considera, quid ex hoc consequitur, quod patitur, & veritatis radium intuere per contemplationis oculum; quoniam ex hoc quòd Agnus passus est, septem signacula libri aperta sunt: liber est universalis rerum notitia, in qua septem erant clausa homini, quæ quidem sunt per passionis Christi efficaciam reserata: scilicet DEUS admirabilis, spiritus intelligibilis, mundus sensibilis, paradisus desiderabilis, infernus horribilis, virtus laudabilis, reatus culpabilis.

Primò enim DEUS admirabilis manifestatus est nobis per crucem esse summæ & inscrutabilis sapientiæ, summæ & irreprehensibilis justitiæ, summæ & inenarrabilis misericordiæ: summa enim sua sapientia decepit diabolum, summa sua justitia quæsivit redemptionis pretium, summa sua misericordia pro nobis tradidit Filium suum. Quæ si diligenter considerentur, DEUM nobis clarissimè manifestant.

Secundò Spiritus intelligibilis nobis manifestatus est per Crucem secundùm differentiam triplicem, scilicet quantæ sit benignitatis, quantùm ad Angelos; quantæ sit dignitatis, quantùm ad homines; & quantæ sit crudelitatis, quantùm ad dæmones: Nam Angeli permiserunt crucifigi Dominum suum, DEI Filius Crucifixus est propter genus humanum, & hoc ad crudelem suggestionem dæmonum.

Tertiò, Mundus sensibilis nobis manifestatus est per Crucem, quoniam est locus tenebrarum plenus, in quo regnat cæcitas, quoniam lucem veram & summam non cognovit; regnat sterilitas, quoniam JESUM Christum tanquam infructuosum despexit; & regnat impietas, quoniam DEUM & Dominum suum & amicum innocentem damnavit & interfecit.

Quartò

Quartò, Paradisus desiderabilis nobis manifestatus est per Crucem, in quo est fastigium totius gloriæ, spectaculum omnis lætitiæ, & promptuarium omnis opulentiæ. Unde DEUS propter illam habitationem nobis restituendam, factus est pro nobis homo, scilicet vilis, miser, & pauper: in quo celsitudo abjectionem induit, justitia reatum subiit, opulentia egestatem suscepit. Nam altissimus Imperator accepit servitutem abjectam, ut sublimaremur in gloriam: justissimus Judex subiit reatum pœnalissimum, ut justificaremur à culpa: opulentissimus Dominus subiit egestatem extremam, ut locupletaremur in copia.

Quintò, Infernus horribilis nobis manifestatus est per Crucem, locus utiquè plenus omni egestate & penuriâ, vilitate & ignominiâ, & omni calamitate & miseriâ. Unde si necesse fuit hæc Christum pati propter peccati deletionem, multò fortius oportet hæc pati damnatos propter justam meritorum suorum retributionem.

Sextò, manifestata est nobis per Crucem Virtus laudabilis, quantùm scilicet sit pretiosa, speciosa, & fructuosa. Verè pretiosa, quia potiùs voluit Christus vitam corporalem perdere, quàm virtuti contraire: verè speciosa, quia in ipsis contumeliis relucebat: & verè fructuosa, quia unus actus perfectæ virtutis, infernum spoliavit, cælum aperuit, & perdita restauravit.

Septimò, manifestatus est nobis per Crucem Reatus culpabilis, quantùm sit detestabilis, cùm ad sui remissionem indigeat tam magno pretio grandi piaculo, & tam difficili medicamento. Ecce igitur habes, quomodo in Cruce omnia manifestantur, si bene ad hæc septem reducantur omnia, enim ad hæc septem reducuntur. Unde ipsa Crux verè beata, est clavis, porta, via, & splendor veritatis. *Hæc S. Bonaventura.*

Verùm *Opus immensæ Charitatis* DEI in passione Christi liber paulò fusiùs describere; tum quia imperfecta & rudis meus humana tantopere non movetur nisi particularibus: tum quia hæc materia est necessaria ad plura exempla virtutum de quibus suprà. In decursu tamen sequentis discursûs semper habeto præ oculis modò specificatas à S. Bonaventura circum-

 stantias

stantias, nempè quis patitur, quid patitur ? &c. ita enim intenditur æstimatio dicendorum, & eam consequentes actus & affectus. Porrò in proposita materia passionis Christi ampliùs proponenda placet *Lessius* hoc in puncto succinctus, omnia tamen proponi solita attingens, luculentus, emphaticus, penetrativus, cum quo exordior. *Considerandus* est modus, quo Christus nobis beneficia (scilicet Redemptionis à jugo peccati, mortis, & diaboli, vocationis, justificationis, glorificationis) contulit, quanto labore, quantis doloribus, acerbitatibus, incommodis: hoc enim summopere ad magnitudinem misericordiæ declarandam facit. Si enim beneficium non nisi maximis incommodis benefactoris collatum est, non minùs æstimatur ex modo conferendi, quàm ex magnitudine rei collatæ. Qui enim miseriæ alienæ absque difficultate aut incommodo aliquo suo consulit, solùm rem illam externam, quàm illi donat, expendit: qui verò ut succurat, multos labores & dolores subire debet, non solùm rem illam, quam misero tribuit, quaquè ejus levat miseriam, conferre censetur; Sed etiam suos labores, sudores, afflictiones (quæ longè pluris æstimantur) in illum expendere. Ingens fuit benignitatis opus, quòd nos ex nihilo ad imaginem & similitudinem suam creârit, & ad statum Divinum evexerit; Sed magna facilitate absque ullo suo incommodo, & quasi ex redundantia bonorum suorum id præstitit. Nulli in eo labores exantlandi, nulli perpetiendi dolores, nullæ difficultates tolerandæ. Ex immensitate bonorum parva duntaxat scintilla delibata vel adumbrata est, & totum opus absolutum exstitit. At perditos redimere, & ab exitio revocare non ita facilè fuit; Sed multa & varia incommoda eaquè gravissima subeunda illi fuêre. Undi S. Bernardus Tractatu de diligendo DEO Col: 6. sic ait: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto, & refecto hoc modo? nec enim tam facilè refectus quàm factus. Nam qui semel, & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, sed & indigna &c.* Idem Sermone 20. in Cant: *Super omnia reddit amabilem te mihi, JESU bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc inquam est, quod nostram devotionem & blandiùs allicit, & justiùs exigit, & arctiùs stringit, & vehemen-*

Lessius de perfect, Div: lib; 12. c, 17.

hementiùs afficit. Multum quippe in eo laboravit Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis Auctor assumpsit. Ille deniquè dixit, & facta sunt, mandavit, & creata sunt: at verò in hoc, & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis observatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit?

Prima difficultus in redemptionis nostræ opere fuit in acceptando peccatorum totius mundi reatu, & obligatione pro eis satisfaciendi. Cogita, quanta sit illa scelerum colluvies, quantum malitiæ pelagus, & quàm inexhaustum, quod totum mundum ab initio usque ad finem inundat. Hoc totum clarè & distinctè oculis Christi objectum, & simul humeris ejus impositum, ut loco generis humani se veluti reum omnium istorum coram justitia Divina sisteret, & justam satisfactionem sponderet. Quantum putas in ea re illi puritati fuisse horrorem, quantam aversionem & abominationem! Sicut si vestis aliqua fœdissimis rebus undiquè aspersa & inquinata corpori delicato & nitidissimo induceretur, illudquè operiret & undiquè contingeret, magnum illi horrorem & afflictionem adferret: ita peccatorum nostrorum reatus veluti quoddam operimentum ex infinitis abominationibus contextum, ab illa puritate assumptum, & arctissimè applicitum ac inductum, maximum illi horrorem concitavit. Hac veluti veste sordidissima indutus se Divinæ justitiæ tanquam reum pro nobis stitit, & profundissimè, tanquam si ipsimet omnia illa patrâsset, humiliavit. Hanc culparum nostrarum in Dominum translationem multis locis insinuat S. Scriptura. Isaiæ 53. *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrûm.* Et paulò antè. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Ipse autem vulneratus est propter scelera nostra.* Et infrà. *In scientia justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Et paulò pòst. *Ipse peccata multorum tulit.* Hinc Dominus delicta nostra sua vocat, quia nimirum illa in se transtulit. Psal. 21. *DEUS DEUS meus, ut quid dereliquisti me? longè à salute mea verba delictorum meorum.* Quasi dicat. Ideo me dereliquisti, quia accusatio delictorum quæ in me transtuli, me salvari prohibet. Psalm. 39. *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non*

est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ. Et Psalm. 68. *DEUS tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* His & aliis locis sermo est de delictis & iniquitatibus ipsi impositis.

Petes utrum etiam damnatorum peccata in se susceperit, & pro illis satisfactionem exhibuerit? Respondeo suscepisse; non quidem eo modo, ut jam damnatis imposterum aliquid commodi posset provenire, sicut iis qui tunc nondum erant damnati; Sed quia præstitit id quod debitum erat Divinæ justitiæ, ratione gratiæ vel favoris illis olim in vita prærogati. DEUS enim intuitu satisfactionis Christi & meritorum ejus futurorum, dispensatoriè hominibus prioribus gratiam suam & remissionem peccatorum obtulit; ita ut per illos steterit, si non sint salvati. Unde Christus postea hunc favorem & gratiam præstitam, sua satisfactione veluti solutione compensare debuit, etiamsi illi non ampliùs sunt capaces imposterum ullius gratiæ aut boni.

Rom. 5. 6. *1. Cor. 16. 22.* *2. Cor. 5. 15.* *1. Joan. 1. 2.*

Nequè solùm in statu illo Rei suscipiendo difficultas fuit, sed etiam in acceptanda morte, pœnisquè acerrimis, totoquè satisfactionis onere; præsertim cùm hæc omnia clarissimè & distinctissimè tanquam præsentia, oculis mentis ipsius objicerentur. Nos quidem malorum hujusmodi impendentium apprehensione interdum parùm commovemur; quia rudi modo & tanquam adhuc procul posita illa concipimus; verùm Dominus ab initio conceptionis non minus efficaciter & vivaciter ea concipiebat, animoquè proposita habebat, quàm si præsentia oculis corporis intuitus fuisset; unde non minùs illorum consideratione moveri, & affligi poterat, quàm si mox ea sibi subeunda vidisset. Quantam autem prædictorum malorum consideratio vim in animo, & quando ipse voluit permittere, etiam in corpore Domini nostri habuerit, colligi potest ex iis, quæ in horto dum Patrem oraret, & calicem illum amarissimum deprecaretur, perpessus est, ubi tantas ex hac apprehensione angustias tantam naturæ luctam sustinuit, ut sangvineum sudorem copiosissimè effuderit. Cùm enim natura tantam suppliciorum acerbitatem, & tantum peccatorum nostrorum pondus sibi

Luc. 22.

sibi imponendum summè refugeret, & è contrario Charitas Christi & Obedientia Paterna eam efficacissimè ad illa accipienda & perpetienda propelleret, factum est, ut ex hac agonia, & veluti colluctatione, naturæ impetus victus sangvineum sudorem emiserit. Sangvis enim introrsum refugiens, mox summo impetu extrorsum ad superficiem repulsus, simul cum sudore per poros corporis foras largiter est effusus. Ex quo patet & quantopere natura supplicia illa refugerit, & quanta vi Spiritus naturam vicerit, eamquè ad illa amplectenda impulerit, & quantum in utroquè natura illa innocentissima sit perpessa.

Secunda difficultas fuit in *dolore peccatorum.* Dominus enim simul atque culpas nostras in se transtulit, sequè reum, loco nostro fecit, dolorem de illis maximum concepit, eumquè tota vita sua continuavit, etsi non semper permiserit integrè in corpus redundare. Nam sicut is qui peccavit, primò se debet reum agnoscere, deinde concipere dolorem, quòd DEUM offenderit, tertiò pro modulo suo exhibere satisfactionem: ita Dominus primò se veluti reum coram Divino tribunali loco nostro constituit; deinde dolorem internum gravissimum in se concitavit; tertiò ad externam satisfactionem, eamquè variam processit. Est enim internus dolor animi satisfactio quædam peccatorum prima & maximè efficax, ut quæ interius voluntatem commutet & corrigat, per quam voluntas retractat, & quantum in se est irritum reddit, & infectum, quod commisit, & simul se ipsa doloris acerbitate castigat & punit. Hinc etiam est primus actus pœnitentiæ ad delendum peccatum & reconciliationem obtinendam maximè necessarius. Ratio dolendi Domino potissimùm fuit duplex. Prior injuria Divinæ Majestati per peccatum irrogata. Altera, damnum humano generi inde proveniens. Cernebat ille perspicuè & in particulari peccata omnia, & quanta singulis infinitæ illi Bonitati & Majestati fieret injuria, quanta contumelia, quantus contemptus. Cernebat etiam quantum malum sit æterna damnatio, quam totum genus humanum sibi per peccatum accersiverat. Hinc dolor excitabatur acerrimus. Magnitudo enim doloris seu tristitiæ sequitur magnitudinem mali, & perfectionem cognitio-

gnitionis, quâ malum illud apprehenditur: atqui malum hîc erat maximum, tum in ratione culpæ (erat enim pelagus quoddam peccatorum, & abyssus malitiæ contra Divinum Numen) tum in ratione pœnæ. Quæ enim major calamitas & afflictio fingi potest, quàm sit æterna damnatio? Apprehensio etiam fuit perfectissima. Multò enim exactiùs, & clariùs singula considerabat & ponderabat, quàm ulla creatura posset. Itaquè oportuit & ipsum maximum esse, ut qui magnitudini mali & perfectioni apprehensionis responderit. Unde non dubitaverim affirmare hunc dolorem sufficientissimum fuisse ad vitam Domino millies eripiendam, si vim suam in corpus exerere permissus fuisset. Quod enim magnitudo doloris animi seu mœstitiæ vitam intercipere & hominem occidere possit, multis constat exemplis. Legimus enim quosdam vehementia
1. Reg. 4. contritionis subitò extinctos, & Heli dolore captæ Arcæ retrorsum cecidit & expiravit. Similiter & nurus ejus dolore ejusdem clavis extincta est. Ita enim cor concluditur, refluente ad ipsum sangvine cum spiritu, ut impedita naturali diastole & systole, multa fuligine collecta suffocetur. Sicut è contrario in maxima lætitia ita subinde dilatatur, ut spiritu effuso & dissipato vita simul evanescat. At dolor, quo Dominus noster de peccatis nostris doluit longè major fuit & intensione, & æstimatione, quàm ullus dolor qui in hominem cadere possit. Sed dispensatoriè factum est, nè vis ejus in corpus se proferret, nisi quando, & quantum Domino videretur. Habebat enim plenissimum omnium affectuum, appetitus inferioris, & commotionis spirituum & sanguinis dominum. Fuit hic dolor continuus ab initio conceptionis usque ad finem vitæ, sicut & apprehensio peccatorum; quamvis non semper æquè in appetitum inferiorem, & corpus permissus sit redundare, sed interdum plus, interdum minus, prout occasiones exteriores & locus, & tempus postulabant. Maximè autem ei laxatæ habenæ in horto, quando sudorem sangvineum expressit, & reliquo passionis tempore, nimirum ut pars inferior non solùm extrinsecùs flagellis, spinis, cruce, sed etiam intrinsecùs tristitia spontanea affligeretur: sicquè cum externa satisfactione per
passionem

passionem carnis, exhiberet simul internam per dolorem spiritûs.

Tertia difficultas fuit in *satisfactione externa*, ad quam præstandam multa & asperrima subiit. Primò: *Tolerantiam paupertatis*. Assumpsit enim statum paupertatis, qui secum multa defert incommoda, ut famem, sitim, frigus, æstum, labores, & commodorum hujus vitæ inopiam. Nasci voluit ex parente paupere, in loco alieno, in stabulo, exclusus & rejectus ab hospitiis communibus & usitatis, reclinari non aliorum more in lectulo, in molli culcitra, sed in præsepio, in fœno, in stramentis animalium, inter animalia. Quæ major paupertas animo concipi queat? Paulò pòst sæviente persecutione Herodiana fugit in longinquas & ignotas oras, ibiquè peregrinus & contemptus annos degit aliquot. Quanta in illa fuga, in mansione peregrina & in reditu paupertatis incommoda perpessum putas? Postea adultam ætatem assecutus, pauperes discipulos, & rudes sibi adscivit, eorumquè convictu, & consvetudine semper est usus, quamdiu inter mortales egit, mendicato victu, & piorum eleemosynis ipsos & se sustentans. Deniquè tanta ejus paupertas fuit, ut neque lectum, neque domicilium, quo se reciperet, haberet. *Vulpes* inquit, *foveas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Matht: 8. Ipse tamen omnium erat Dominus, omnium author & largitor, si Divinam naturam spectes: si humanam, ad ipsum pertinebant omnia sublimis cujusdam dominii jure, quod illi ratione unionis hypostaticæ competebat. Sed cùm, *Dives esset, propter nos egenus factus est* (usu & commodorum fruitione) *ut ipsius inopiâ divites essemus.* 2. Corint: 8.

Secundò: Subjectionem & obedientiam legis. *Factus enim est sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*, Et ex servis liberos, ac filios DEI efficeret. Galat. 4. Erat autem in hac subjectione, & magna molestia, & multiplex humiliatio. Molestia ob circumcisionem, & ob alias multas steriles observantias populo illi duræ cervicis & ingenii servilis præscriptas. Humiliatio, quia lex ob duas potissimas causas data est. Primò ut mundo idololatriâ obruto, populum illum ab illicitis cultibus averteret, & partim timore pœnarum temporalium, partim innoxio illo cæremoniarum Legis exerci-

tio detineret, nè æstu communis consvetudinis abreptus, in barathrum idololatriæ devolveretur. Secundò, ut carnalis populus & rerum spiritualium rudis, umbris & figuris legis informaretur ad mysteria Christi; ut quia nudam veritatem illorum capere non poterat, saltèm in figuris & umbraticis signis ea teneret: sicut pueris & rudibus Spiritualia bona per sensibilia explicari solent. Unde Apost: ad Gallat: 3. *Lex* inquit *Pædagogus noster erat in Christo.* Pædagogus, qui & timore supplicii homines ad illicita pronos, compesceret; & rudes puerorum instar symbolicis typis ad Christi veritatem instrueret. Subjectio itaquè legis signum erat & innatæ pravitatis & ruditatis. Magna igitur humiliatio fuit illi Sapientiæ & Sanctitati, legi subiici; quasi ipsa illis imperfectionibus subjecta, & hujusmodi Pædagogiæ indiga esset. Potuisset se meritò à lege eximere utpote legis Auctor, lege omni superior, ad quem præfigurandum & excipiendum lex condita, in quo lex omnis impletur, & umbræ omnes evanescunt, & salutaris veritas omnis aperitur, & omnis justitia, sanctificatio, & redemptio repræsentatur, sed spontè se subjecit, tum in satisfactionem & redemptionem nostram, ut dictum est, tum nè Judæi tanquam legis prævaricatorem reijcerent, nevè hanc speciem justæ excusationis suæ impietati & infidelitati possent prætendere.

Tertiò: Obedientiam parentum, & humilem illum obscurumquè vitæ modum, quem usquè ad annum 30. ætatis suæ tenuit. Lucæ. 2. *Venit enim Nazareth, & erat subditus ilis*, inquit Evangelista! Erat ipse plenus sapientiâ, imo Sapientia ipsa gubernans & disponens omnia, & tamen tanquam insipiens & directione humana egens, subjicit se parentibus simplicibus, eorum imperium & ductum sequitur in obscuro illo vitæ modo, tanquam aliquis è vulgo ignotus & inglorius se continens, & parentem putatitium in arte fabrili rebusquè externis, ad victum vestitumquè conquirendum adjuvans Non enim credibile est tanto tempore otiosum vixisse, sed voluisse liberis dare exemplum, quo modo parentibus suis obedire & auxilio esse debeant. Quàm mirabile erat mundi fabrum & Conditorem homini fabro servire, instrumenta fabrilia porrigere, ex ejus præscripto ligna secare, dolare, serram ex adverso aptare, reciprocare,

trabes machinis attollere, locare, componere, & alia more famuli, vel discentis, fabrilia obire. Quâ putas modestiâ, quâ promptitudine, quâ mansuetudine? nimirum instar obedientissimi filii & famuli. Hæc omnia faciebat Divinitatis suæ Majestatem obtegens, servi formam duntaxat præferens, in eaque humiliter homini plebejo inserviens, & obedientiæ documenta proferens, ut omnem virtutem prius ostenderet exemplo, quàm doceret verbo, & hac conversationis suæ humilitate pro nostra superbia Patri faceret satis. Quàm longè ab his absunt mores nostri! qui si quid præclari in nobis esse putamus, non valemus illud intra nos continere, sed importunè, opportunè, effundimus, ostentamus, jactamus, & vanè gloriamur, quasi aliquid præ cæteris sciamus, vel possimus, vel simus; cùm tamen nihil simus. Eandem conversationis humilitatem etiam post sui manifestationem retinuit, adjunctis sibi rudibus & infimæ sortis discipulis, cum illis tanquam sociis, amicis & fratribus familiariter & assiduè agens, totamquè regionem obiens, eorum imperitiam & mores incompositos benignè tolerans, publicè & privatim eos erudiens. Ecce quò se illa Sapientia demittit? quibus se accommodat? quomodo cum rudibus & insipientibus tanquam similis illis se gerit?

Quartò: Sustinuit ingentes molestias in hominibus tum exemplo, tum sermone erudiendis: magno enim labore corporis & fatigatione vicos, castella, civitates totamquè Palæstinæ regionem per tres annos & menses aliquot obivit, prædicans regnum DEI, & viam salutis omnem docens, pauperes & afflictos consolans, morbos curans, dæmones expellens, & eorum antiquam tyrrannidem in corpora & animas evertens, & vitam æternam omnibus in se credentibus promittens, idquè tanta assiduitate, ut vix aliquid temporis ad quietem vel corporis refectionem suppeteret, ut ex Evangelistis constat. *Meus*, inquit, *cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Quoties in hoc opere fatigatus est? quoties fame, siti, frigore, æstu, afflictus? quoties post labores & sudores vel sub dio in oratione pernoctavit, vel sub pauperculo tugurio, humanis destitutus commodis per noctem delituit? Non aderant deliciæ ciborum, quibus vires reficeret, non indusia munda aut vestes mutato- John: 4.

riæ, quibus sudore madenti corpori consuleret, non molles culcitræ, quibus membra defessa reclinaret, nec alia id genus consveta laborum solatia: sed his omnibus salutis nostræ desiderio contemptis, laborum quidem meras molestias perferre voluit, remedia autem & solatia admittere noluit; tum ut pro nimia carnis nostræ indulgentia Divinæ justitiæ satisfaceret, tum ut suo exemplo nos ad similes labores pro salute animarum subeundos, & commoda carnis contemnenda animaret.

Quintò: Sustinuit probra & contumelias, quantas nullus unquam mortalium. Etsi enim esset innocentissimus, purissimus, sanctissimus, atque adeò ipsa Puritas & Sanctitas, tamen à primariis Judaicæ gentis viris infamatus est, & contumeliosè appellatus potor vini, publicanorum amicus, legis eversor, populi seductor, ambitiosus, seditiosus, perduellis, samaritanus, præstigiator, blasphemus, Divinitatis impius usurpator. Quid his dici potest atrocius, aut ignominiosius? Quid calumniosius? Nos qui innumera peccamus, & in omne vitium, in omnem infamiam proni sumus, vix minimam calumniam sustinere possumus, turbamur, clamamus, protestamur: *Libera me,* inquit Propheta *à calumniis hominum, ut custodiam mandata tua.* (Psalm. 118.) Quia calumniæ sensum hominis maximè transversum agunt, & ad impatientiam impellunt. Ille in tanta innocentia & sanctitate; post tanta beneficia & mira opera ad eorum salutem gesta, patientissimè gravissimas illas calumnias & contumelias sustinuit, idquè ab iis, quos è diaboli tyrannide eripere, ab æterna morte ad æternam vitam perducere, & filios DEI efficere conabatur. Neque solùm contumeliis verborum, sed etiam factis contumeliosissimis affecêre, rapientes illum, tanquam latronem & seditiosum ligantes, velantes faciem, illudentes, alapis in faciem cædentes, conspuentes, albâ veste induentes, flagellantes instar servi, spinis coronantes, arundine velut sceptro & chlamyde coccinea tanquam veste regali per ludibrium (quasi regnum affectâsset) ornantes: deniquè inter latrones crucifigentes, & in ipsa cruce felle & aceto potantes. Quid his cogitari possit acerbius, atrocius, contumeliosius? Quid simile unquam in aliquem etiam maleficum

leficum & regni insidiatorem, designatum? Hæc omnia ille mansvetissimè, patientissimè, & modestissimè toleravit, sine querelis, sine clamoribus, imprecationibus, sine vindicta, sine comminatione, cum summa charitate & affectûs dulcedine in eos, qui amarissimo animo irrogabant, deprecans pro illis Patrem, & remissionem tantorum scelerum eis flagitans.

Sextò: Perpessus est dolores animi & corporis longè gravissimos. Dolores animi nascebantur ex consideratione offensionis Divinæ, & paucitatis salvandorum, & magnitudinis ingruentium tormentorum. Horum enim omnium clarissima & vividissima apprehensio dolorem in superiore parte gignebat tantum, ut brevi tempore mortem esset illaturus, si in partem inferiorem laxatis habenis refundi permissus fuisset, ut suprà ostensum est. *Dolor corporis* erat ex læsione corporis, quæ extrinsecùs multis modis inferebatur. *1mò* ipsâ ligatione & vinculorum constrictione. Captum enim sævissimè funibus costrinxerunt, nè posset effugere: experti enim erant ipsius potentiam, neque facilè posse ipsum vi retinere; & Judas monuerat, ut eum tenerent, & ducerent cautè. Deinde odium & rabies animi, quâ in Dominum ferebantur, eos impellebat, ut statim ab initio comprehensionis, tantum mali, quantum licebat, illi inferrent. Itaquè validis funibus & etiam catenis, (ùt valde credibile est) eum arctissimè vincierunt, brachiis post tergum colligatis, collo similiter & medio corpore acriter constricto. Quantum autem ea res dolorem adferat, testantur aliquando rei extremo supplicio afficiendi, qui interdum tantum afflictionis ex ipsis vinculis, quantum ex ipso genere mortis, ad quod damnati sunt, sentiunt. Accedebat raptatio, impulsio, protrusio, dum huc illuc magno furore per vias impellitur, dum ex horto ad Annam, ab Anna ad Caipham, à Caipha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, ab Herode rursus ad Pilatum, ab hoc ad crucem rapitur. Hæc enim arctè vincto supra modum dolores exasperabant.

2dò flagellatione. Fuit enim Dominus longè sævius flagellatus, quàm solent, crucifigendi. Jusserat id Pilatus, partim ut gratificaretur Judæorum Primoribus, quos sciebat summâ ipsius invidiâ flagrare, ac proinde hoc illis fore gratissimum

 partim

partim ut tam crudele spectaculum, ipsorum odia exsatiaret, & furorem poscentium illum ad mortem compesceret. Itaquè immanissimam, & quæ instar mortis censeri posset, quâve major salvâ vitâ vix posset sustineri, censuit flagellationem adhibendam; sicquè dum unam mortem nititur à Domino avertere, geminam ei irrogat, & illa aliqualis benevolentiæ Judicis species, versa est ei in augmentum supplicii.

Quantam autem doloris acerbitatem Dominus ex illa flagellatione sustinuerit, quis æstimet? Sanè dubitandum non est, quin longè graviorem dolorem senserit, quàm quivis alius mortalium ex hujusmodi supplicio perciperet. Quo enim temperamentum corporis est nobilius, & major sensuum vigor, eò quoquè dolor ex illato supplicio est acerbior. Hinc videmus nonnullos, quibus tangendi sensus est acrior, ex attactu rei calidæ, vel ictu flagelli;, intolerabilem percipere dolorem: alios in quibus iste sensus est stupidior, ex iisdem rebus exiguum vel penè nullum. Quare cùm ille sensus in Domino ob summam perfectionem temperamenti & spirituum fuerit exactissimus, necesse est dolorem quoque fuisse maximum, qui homini tali genere supplicii possit irrogari. Unde valde credibile est, fuisse majorem & acriorem, quàm unquam aliquis Martyrum pertulerit. Etsi enim supplicium ignis videatur immanius, quàm flagellorum, tamen potest in aliquo esse tanta sensuum acrimonia, ut ipsi sint acerbiora flagella, quàm aliis ignis incendia. Accedit, quòd doloris acerbitas ex flagellis vel igne in aliis si continuetur, obstupefaciat sensum, ita ut post breve tempus non tantopere percipiatur, idquè partim evanescentibus spiritibus in parte, quæ affligitur, partim concurrentibus ad cerebrum humoribus, & principia nervorum occupantibus, ut spiritus, sine quibus non est sensio, diffundi nequeant. Quam ob causam apoplectici & comate affecti, nihil sentiunt. At in Domino neutrum horum fuit, perstitit enim ille sensuum vigor ab initio usque ad extremum, ipsâ animâ suâ potentiâ vel Divinitate corpus illud ita regente, & interiùs conservante, ut plura pati posset, cujus signum est, quòd clamans expiravit. Non ergo sensim ita extremè debilitatus est tormentis, ut alii solent; sed retinuit vires aliquas supra naturæ conditionem,

easquè, dum tempus fuit, simul effluere cum anima permisit. Quod etiam significat Dominus cùm ait, *Nemo tollit eam* (animam) *à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Joan. 10.
Vires ergo retinuit, & vigorem sensuum usquè ad mortem, sicquè non minus supplicia in progressu & in fine, quàm in principio sensit, sed toto tempore passionis summos & acerrimos dolores ex tormentis illatis percepit. Unde meritò Isaias. *Vidimus eum despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Isai. 53. Et Psalmista. *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Psalm. 37.

3tiò *Coronatione*. Domino enim flagellis immanissimè toto corpore conciso & sangvine manante, nè vel caput doloribus liberum relinqueretur, coronam ex spinis acutis, & robustis contextam (paliurum quidam fuisse putant, alii spinam marinam, horrendis utraquè aculeis) imponunt, & magnâ vi in caput adigunt, ut firmiter adhærescat, qua in re & acerrimi fuêre dolores, & summa ignominia. Dolores, quia cutis capitis totumquè pericranium in orbem cum suprema frontis parte spiculis coronæ confixa fuêre & perforata. In istis autem locis sensus est acerrimus ut experientiâ constat, cùm vel leviter pungitur. Quanti igitur dolores ex tot & tantis puncturis in capite tam sano, tam nobili temperamento, tanto sensuum vigore prædito? Accedebant percussiones sacri capitis, quibus aculei illi magis magisquè adigebantur & infigebantur. *Percutiebant enim arundine caput ejus.* Matth. 27. Jam de ignominia quid dicam? nulla enim animo major comprehendi potest, quàm quæ Domino hìc irrogata. Coronatur Rex cæli & terræ ad publicam infamiam; tanquam iniquus & ambitiosus regni temporalis occupator: coronatur spinis ad dolorem, quasi nulla alia corona dignus: induitur veste coccineâ veteri ac sordidâ veluti regali amictu, & inseritur manui arundo in speciem sceptri, ad augmentum dedecoris. Deniquè tanquam regio habitu pulchrè instructus, per summum ludibrium adoratur genu flexo cum amara salutatione. *Ave Rex Judæorum:* & mox ad extremum contemptum & vilipensionem conspuitur in fa-

ciem, percutitur arundine in caput, cæditur alapis, protruditur pedibus, illuditur, blasphematur, & infinitis sannis, irrisionibus, sarcasmis, cachinnis, cum ingenti strepitu & insolentia exagitatur, tanquam omnium mortalium sceleratissimus, ambitiosissimus, & vilissimus. Et quidem videntur hæc omnia milites suo arbitratu, Judæorum instinctu, absquè judicis sententia fecisse. Nimirum tam vilis tamquè nihili æstimabatur, ut contra morem omnium tribunalium, libidini & licentiæ militari relinqueretur, quasi crimen ipsius tam grande esset, ut nihil attrocitatis vel ignominiæ posset in eum à quoquam effundi, quod non mereretur, magnitudine sceleris omnem supplicii & dedecoris modum excedente. Quàm verè de se per Prophetam dixit: *Ego vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*. Quis enim hominum post homines natos, ita fuit aliquando tractatus; quis ita arbitrio carnificum concessus? quis unquam reus in ipsa suppliciorum acerbitate tam inhumaniter illusus, irrisus, exagitatus? Omnes enim tunc misereri potiùs & compati, quàm illudere solent. Sed voluit Dominus, ut nobis præberet exemplum patientiæ supra omne exemplum pati, & ut ostenderet nobis immensitatem nostrarum offensionum, supra omnem mensuram repræsentare satisfactionem.

Psalm. 21.

4tò *Crucis bajulatione*. Hæc fuit imposita & ad ignominiam, & ad tormentum. *Ad ignominiam*: quid enim potest esse ignominiosius, quàm damnatum ad infame genus mortis, cogi etiam ipsum supplicii instrumentum suis humeris deferre, nullâ pœnarum præcedentium habita ratione? Quasi ipse indignus sit, qui vel à jumentis ea in re juvetur, aut instrumentum destinatione supplicii & contagio personæ adeò maledictum & contaminatum, ut nemini præter sontem conveniret illud attingere: unde etiam cùm Dominus sub pondere fatisceret, nullus Judæorum admovit manum; tanquam metuens pollui infami ligno, sed quendam gentilem Simonem Cyrenæum coëgerunt post Dominum deferre. Et apud Romanos nonnisi sceleratissimis servis imponebant; quasi nemo tanti dedecoris notâ esset afficiendus, nisi in quo summa conditionis vilitas cum

cum summis sceleribus conjuncta foret. Idem ipsi voluerunt hâc ratione significare in Domino. Summum itaquè contemptum, summum dedecus continebat hæc bajulatio. *Ad tormentum.* Ingens enim tormentum est corpore toto flagellis secto, sangvine defecto, & capite tot spinarum aculeis confixo, tanto pondere asperæ trabis onerari; cogiquè tam longo itinere eam suis humeris deferre, nequè lento passu incedere licebat, aut quietem subinde respirandi causâ capere; sed vel fustibus, vel stimulis (ut apud Romanos servi, cùm ad crucem adigebantur) impellebatur, vel funibus raptabatur; vel pedibus, calcibusquè protrudebatur ad properandum, & sequendum comitatum. Ibat igitur mansuetus ille Agnus sudore & sangvine madens, dehiscentibus præ labore & corporis contritione vulneribus, ibat tacitus & anhelus, mole crucis incuruus, & in terram depressus, in saxa & aspera offensans, & interdum sub pondere concidens toto corpore graviter colliso. Ibat inimicis cinctus, sicut ovis lupis ipsis plaudentibus & insultantibus, crudelitate militari Dominum impellente, protrudente, raptante, & pugnis ac fustibus malè mulctante. Deniquè tanta fuit hæc afflictio, ut cùm ulteriùs procedere non posset, alium ei substituere sint coacti, non misericordiæ affectu, non aliquo humanitatis sensu, sed nè viribus planè exhaustis, crucis supplicium sustinere non posset: nimirum ut hâc brevi relaxatione ad productius & majus supplicium servaretur, quo rabies illa immensa, quâ in ipsum ferebantur, posset exsatiari.

Quintò in ipsa Crucifixione. In hac quoquè & summum probrum, & summum tormentum, ut meritò censeri posset, omnium suppliciorum maximum. Quod enim ad probrum attinet, nullum supplicium magis infame, aut magis abominandum: nam & apud Judæos *maledictus*, id est detestandus & execrandus *erat* DEO, *omnis qui pendet in ligno.* Et apud Romanos nonnisi infimæ sortis hominibus, id est servis iisquè extremè sceleratis irrogari solitum fuit, unde & *supplicium servile* vocatum est. Tormento quoquè & sensu doloris cætera superat: etsi enim pœna ignis videatur acrior, crucis tamen longè est & diuturnior, ut hâc ratione etiam multis ignibus æquari possit. Hinc Deuter. 21.

 veteres

veteres hoc supplicium peculiariter vocârunt *summum & supplicium supremum* (quasi magìs illo reperiri nequeat) & ignis supplicio prætulerunt. Dominus igitur noster, qui omnium probra & culpas in se transtulerat, ut copiosum exhiberet lytron, elegit supplicia, & ad contumeliam probrosissima, & ad sensum doloris asperrima. Vestibus igitur in rupe calvaria publico suppliciorum loco, coram infinita hominum multitudine rursus exuitur, nudus cruci imponitur, coaptatur, extenditur, manus clavis validis vi malleorum transfiguntur, rumpuntur nervi, venæ, arteriæ, & una cum carne in foramina crucis adiguntur; fit magna sangvinis effusio, & brachiorum violenta ex nervorum punctione convulsio. Hinc venitur ad pedes; trahuntur injecto fune magnâ vi ad foramen paratum, fit corporis totius valida extensio, apparent costæ & ossa corporis divulsa, dissiliunt sectæ cutis & carnis vulnera, rursus sangvinis copia effunditur, tandem malleorum ictibus sacri pedum tori clavis transverberantur, crucique affiguntur, abruptis unà cum carne nervis, venis & arteriis; quorum ibi præcipuus concursus. Deniquè in altum erigitur, & solo non sine concussione depangitur, sicquè tres horas colluctans extremis illis tormentis vivus perstitit. Quis æstimet doloris, quem Dominus hìc sustinuit immensitatem? nam præterquam quòd in manibus & pedibus maximè sensus ob nervorum coitionem vigeat, hæc non tàm fuêre incisa, quàm vi disrupta, & divulsa, & simul arctissimè compressa, & affixa. Multò autem major est dolor in diruptione & compressione, quàm incisione. Deinde hic dolor pondere corporis assiduè deorsum trahente, factus est sensim etiam auctior. Quò enim quis diutiùs pendet, etsi non perfossus clavisquè affixus, sed solùm ex brachio ligatus, hòc majores sentit dolores, adeò ut tandem fiant intolerabiles, ut ex tortura reorum constat: Sic enim malefici torqueri solent, ut crimen vel socios fateantur. Quantus ergo dolor erit manibus pedibusquè confixis, diruptis, affixis, & appressis immitti ligno, præsertim in tam sano corpore, in tam nobili corporis temperamento, tantaquè sensuum perfectione & vigore? Accedit vulnerum totius corporis concisi divulsio, apertio, & renovatio.

Acce-

Accedunt ſpineæ coronæ ad crucem offenſiones, quibus aculei impulſi latiores & profundiores fecêre punctūras. Deniquè totius corporis inſtar chordæ in arcum valida extenſio, ita ut omnia oſſa teſtimonio Prophetæ dinumerari potuerint, quæ extenſio vel ſola ad ſummum tormentum ſufficit, ut æquulei teſtantur. Hos omnes dolores ſimul ſuſtinuit, & quidem pro inimicis, & iis ipſis, qui illos irrogabant, non ut ab illis aliquid commodi perciperet, ſed ut debitum eorum, quod illi ſolvere non poterant, dependeret, & chirographum quo morti & inferno obſtringebantur, deleret, ut ab exitio æterno, cui jam pridem addicti erant, eximeret, & vitam, ſalutem, ac gloriam ſempiternam conciliaret. Quid ad tantam benignitatem, ad tam inauditam & ineffabilem miſericordiam addi poteſt, per quam non ſolùm infinita mala à nobis depulſa, & infinita bona procurata, ſed etiam tam miris tamquè difficilibus modis cum tanta Divinitatis exinanitione, & ut ita dixerim incommodo, cum tantis laboribus, ac Divinorum bonorum expenſis, exhauſto in id pretio immenſo vita nimirum & ſangvine Filii DEI, idquè pro ingratis & inimicis. *Hactenus Leſſius.*

1mò Ex his admirare DEI potentiam, debilitatem humanæ naturæ noſtræ in Chriſto, tot, tamquè horrendas anguſtias, & cruciatus ad perferendum, confortantem.

2dò Admirare DEI ſapientiam in hoc quòd & miſericodia DEI ſuam infinitudinem in hominem explicaret, & diabolus de mancipio hominis ex ſua poteſtate liberato minimè poſſet contra juſtitiam conqueri: Deniquè quòd ille antiquus ſerpens in ſua aſtutia ſtupendum in modum caperetur, dum electam eſcam perſequens Chriſtum, ejus Divinitatis inſcius hamo ex occulto transfigeretur vinciendus, nè ampliùs tantoperè deſæviret in miſeram ſobolem Adæ.

3tiò Admirare rigidisſimam DEI juſtitiam, adeo rigoroſam ſatisfactionem pro peccatis humani generis, & quidem à dilectisſimo Filio ſuo exigentem.

4tò Et ſuper omnia obſtupeſce infinitam DEI bonitatem, charitatem, miſericordiam, ipſum DEUM pro ſalute hominis, adeo indigna, adeo crudelia toleraſſe. Etſi nemo ma-

jorem charitatem habet, quàm ut animam suam ponat pro amicis suis. Ecce DEUS-Homo hâc majorem charitatem habuit, moriendo etiam pro inimicis suis.

In Praxi formandi actus & affectus diversos admirationis, adorationis, amoris, laudis, cæterarumquè virtutum vide sequentem §. 7. Decade 7. 8. 9. 10. Cætera supplebit Clibanus ignis ardentis Amoris, JESUS passus & crucifixus, è fissuris vulnerum suorum potenter flammas ejaculans, & cor tuum incendens in sui reciprocam Amoris vim.

§ 6tus.

Vide quoquè admiranda de Christo Domino supradicta sub Paupertate, Patientia, Humilitate: Ubi Christus pro Idea & exemplari earumdem Virtutum inducitur.

Vide item præclarissima de D. N. JESU Christo supradata sub Amore in Christum Dominum; & sub Fine Cui respectu Christi.

In quibus & ex quibus pius Contemplator sciet DEUM admirabilem suis perfectionibus & operibus in DEO-HOMINE cognoscere, stupere, adorare, amare, laudare, & pro suo modulo imitari.

§ 7timus.

Aspirationes per varios Actus & Affectus Virtutum maximè Charitatis, collectæ ex Mysteriis Incarnationis, Vitæ, Passionis, Glorificationis Christi, per Emin: S. R. E. Cardinalem Joannem Bona.

PRolixi voluminis opus foret bona omnia commemorare, quæ ex vita Christi velut ex fonte uberrimo, & nunquam deficiente scaturiunt, & perenniter fluunt. Ipse enim Salvator noster factus est nobis à DEO sapientia, justitia, redemptio, & sanctificatio. In ipso habemus divitias salutis, thesaurum meritorum, cumulum perfectionis. Sicut sol aspectu suo lætificat, illuminat, nec unquam cessat operari: ita verus Sol animarum

marum JESUS Christus iugi influxu infundit in nos, & imprimit mores suos, virtutes suas, suam Divinitatem. Vitæ ejus consideratio erigit in adversis in prosperis reprimit, tollit peccata, conciliat gratiam, excitat ad amorem, juvat incipientes, dirigit proficientes, edocet perfectos. Quemadmodum unguentarii semper olent id, quod attrectant; Sic Christianus, qui assiduè cum Christo versatur, ejus redolet patientiam, charitatem, humilitatem, cæterasque virtutes, quas vitæ suæ studioso sensim instillat idem Dominus virtutum: cujus doctrina seminarium justitiæ, vita speculum prudentiæ & temperantiæ, mors exemplum est fortitudinis. Sed quia non sufficit Christi vitam meditari, nisi etiam ex ea pii, & devoti affectus eliciantur; hujus praxim hìc breviter indicabo ; ut Autorem fidei respcientes, eundem salutis nostræ atque perfectionis consummatorem habeamus.

DECAS I.

1. DOmine JESU Christe, concede mihi misero peccatori vitam & mores tuos præ oculis mentis semper habere, & pro viribus imitari.

2. O Charitas infinita, o admiranda dignatio tua Domine! ut servum redimeres, Filium tradidisti.

3. Vidisti, suavissime JESU, afflictionem populi tui, & grave onus filiorum Adam, & tactus stimulis charitatis intrinsecus cogitasti super nos cogitationes pacis, & redemptionis. Nam ubi advenit plenitudo temporis, visitasti nos Oriens ex alto.

4. DEUS immensæ Majestatis, quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Laudent te Angeli tui ob tantum amorem, quo nos miseros prosequeris.

5. Salve dies tot ætatibus optata, quâ DEUS pro nobis factus est Homo. Salve Gabriel Archangele tanti gaudii annuntiator. Salve Virgo gloriosa, in cujus castissimo utero carnem assumpsit DEUS.

6. O quàm potens es Amor, qui ad tam infima abiicis DEUM o quàm Divino dissimilis est amor meus!

7. Princeps Supreme, qui de Cælo in terram pro mea salute descendisti, tantò mihi charior es, quantò pro me factus es vilior.

8. *Verbum incarnatum plenum gratiæ & veritatis, eâdem gratiâ imple animam meam, ut tibi placeat.*

9. *Verbum Divinum, partem aliquam largire mihi lucis & gratiarum, quas tribuisti assumptæ Humanitati. Deprime cor meum humilitate usquè ad infimum locum; erige gratitudine & amore ad altissimum gradum.*

10. *Christe Salvator, qui adhuc clausis maternis visceribus ad Præcursorem Sanctificandum properasti; da mihi peccatorum veniam, & Spiritualem in tuo obsequio lætitiam.*

DECAS II.

1. *JESU amabilissime, qui pro me nasci in sordenti stabulo voluisti, illumina mentem meam, & accende volunatem, quòd tuam Nativitatem contemplari valeam, & elucentes in ea virtutes imitari.*

2. *Cur non ardet cor meum tenerrimo tui amore, Infans formosissime, qui salutem meam in ipso tui ortu operari cœpisti?*

3. *Utinam Nativitati tuæ præsens fuissem dignusquè habitus, qui te amplecterer, & mea tibi obsequia deferrem? Accepta Domine, hanc voluntatem, & præsta, ut, quidquid possum, quidquid sum, tuo semper famulatui impendam.*

4. *O inaudita amoris prodigia! Dilecti mei cubile stabulum est, desponsationis meæ thalamus præsepe, lectus sponsi mei foenum, pulvinus stramen, aula vilis spelunca.*

5. *O Sanctam Filii DEI paupertatem, omnibus mundi divitiis pretiosiorem! hanc mihi commendabilem tuo exemplo reddidisti, bone JESU, natus in stabulo, pannis involutus, qui cælum stellis, terram floribus adornasti. Infunde cordi meo ejus amorem, da patienti animo ejus molestias perferre.*

6. *O quantum lugere debeo pro peccatis meis, piissime JESU, quandoquidem tu pro eis ploras. Me enim abluunt vagientis tuæ infantiæ fletus, mea delicta tuæ deplorant lacrymæ.*

7. *JESU Sapientissime, qui tacendo doces, & vagiendo prædicas; doce me in silentio humilitatem tuam sequi, tibiquè conformem fieri infantili simplicitate & innocentia.*

8. *Fortunati Pastores, quibus ante omnes lapsus è Cælo DEUS, stabiloquè reconditus angelicâ voce nuntiatur.*

9. Vere

9. Verè gloria in excelsis DEO; nam cui gloria, nisi tibi Rex gloriæ? Trahe cor meum in excelsa, ut nunquam degenerem ab excelsis cogitationibus filiorum tuorum.

10. Da mihi Saluator dulcissime, quam omnibus offers, bonam voluntatem, pacemquè Divinam, ut abjectâ mundi inconstantiâ & discordiâ in beneplacito tuo stabilis perseverem.

DECAS III.

1. LAudo te, Redemptor mundo, pro prima sanguinis tui in tenerrima ætate effusione; cùm tua caro immaculata poenam circumcisionis, quam non meruit, sustinuit.

2. O lapsus Adæ, quàm es amarus Domino meo! ego peccavi, & tu, Domine, poenam exsolvis, ego in concupiscentia conceptus & natus sum, & tu suscipis in te ultionem.

3. Sponsus sanguinis tu mihi es, qui cùm voce nondum posses, ipso cruore tuo clamas pro me ad Patrem: mihiquè tribuis arrham desponsationis sangvinem tuum pretiosum super aurum & topazion.

4. Circumcide, Domine, omnia membra & sensus meos spirituali petrâ, quæ tu ipse es, & quidquid in me reperens, carnale, & superfluum, abscinde, & extirpa; vitamquè meam disciplinæ tuæ rigore coerce.

5. O dulcissimum nomen JESU, super omne nomen in Cælo & in terra benedictum, esto mihi salus & redemptio: non enim est aliud hominibus datum, in quo oporteat nos salvos fieri.

6. Esto mihi, JESU, id, quod diceris. Esto mihi turris fortitudinis à facie inimici. Scribe nomen tuum salutiferum in corde meo: ut ibi maneat semper impressum, donec perducar ad æternam salutem.

7. Glorifico te DEUS, pro primis gentium, & earum admirabili illuminatione; cùm eas ab Oriente in persona trium Magorum ad fidem tuam secretâ inspiratione traxisti.

8. Adoro te, Rex Regum, cum Sanctis Magis & pro illorum muneribus offero tibi aurum paupertatis, thus obedientiæ, myrrham castitatis.

9. Utinam omnes gentes te fide vivâ cognoscerent, & adorarent, & tibi fideliter servirent.

10. Da mihi, Domine, horum virorum fidem & constantiam, ut eâdem, quâ illi, perseverantiâ te quæram, donec inveniam.

DECAS

DECAS IV.

I. *Voluisti, Domine, præsentari in templo, & more servorum quinque siclis redimi: sit benedicta immensa charitas tua: & quia Pater tuus te mihi tradidit quinque siclorum pretio, ego vicissim trado me tibi in servum perpetuum. Fiat per gratiam tuam, ut nec tu me unquam deseras, nec ego te.*

2. *Benedico te Sanctissime Redemptor, quia, ut nobis veræ obedientiæ exemplum relinqueres, te legalibus institutis, tanquam unus de populo, subdidisti. Da mihi in omnibus perfectissimam obedientiam.*

3. *Offero tibi, Domine, par turturum, geminam scilicet compunctionem, primò quidem pro peccatis, & negligentiis meis, deinde verè pro æterna felicitate, ad quam jugiter suspiro.*

4. *Da mihi, bone JESU, radium aliquem illius lucis, quam sancto seni Simeoni tribuisti, cùm te infantem in ulnas suas suscepit, ut te agnoscam; sicut ille te novit & amavit.*

5. *Sapientissime JESU, qui Sanctæ Genitrici tuæ doloris gladium, quo transfigenda erat, revelari voluisti; transfige animam meam gladio compunctionis, nè me dissolvant vanæ mundi consolationes.*

6. *Vix natus eras, Rex amantissime, cùm subitò mundus te persequitur, & Rex Herodes statim te quærit, ut perdat te: sicut autem te caput bonorum persecuti sunt impii, ita & membra tua. Da mihi igitur hanc veritatem agnoscere, & malorum persecutiones patienter ferre.*

7. *Tecum fugere, JESU dulcissime, & omnia quæ mundi hujus sunt relinquere grave mihi non erit: nam si tu mecum fueris, quid poterit mihi deesse?*

8. *Comitare fugientem DEUM, anima mea, nec erubesce ad hanc fugam. Gloriosum est & dulce pro DEO abiici & contemni.*

9. *Adesto mihi DEUS gratiâ tuâ, ut in hujus vitæ exilio, voluntati tuæ subjectus vivam, semper bonum exemplum illis præbens cum quibus vixero.*

10. *Dulcis JESU, revocatus ab Ægypto, ubi exul diu fuisti, in Nazareth secessisti, & Nazaræus vocatus es: da mihi leges Nazaræorum spiritualiter observare: abstinere nimirum ab omni amore inordinato, & nihil tangere, quod possit maculare animam meam.*

DECAS V.

1. Nihil scimus de te, ô Sapientia incarnata, usquè ad annum duodecimum ætatis tuæ, & multa scimus. Ipsa enim taciturnitas tua clamat in cordibus nostris; ut silentium tuum & humilitatem admiremur, & imitemur.

2. Sedisti in medio Doctorum, Sapientissime puer, interrogans prudenter, & respondens modestè, ita ut omnes mirarentur. Utinam illic adfuissem, & sermones tuos audire licuisset. Repete eos, Domine, in corde meo, ut fructu eorum perfruar in æternum.

3. O quàm dolenter quæsivit te amissum Mater tua, quàm lætanter te invenit! Da mihi exemplo tuo in his semper esse, quæ DEI sunt, nullâ habitâ ratione cognationis & sanguinis: & fac ut te absentem solicitè semper quæram, donec inveniam.

4. Congratulor tibi, Beatissima Virgo, quòd dilectissimum tuum inveneris: ora pro me, nè unquam illum amittam, aut ab eo discedam.

5. Proficiebas, dulcissime puer, sapientiâ, ætate, & gratiâ, apud DEUM, & homines: quia majora quotidiè edebas virtutis indicia, ego autem proficere opto à remissiori vita ad ferventem & perfectam. Da tu mihi benedictionem tuam, ut juxta desiderium meum crescam de virtute in virtutem, donec ad gradum supremum perveniam.

6. O humilitas Christi quantùm confundis superbiam & vanitatem meam! Tu latuisti Domine, & tacuisti usquè ad trigesimum annum, cùm esses Sapientia æterna; ego verò stultissimus cùm sim, inaniter loqui præsumo & apparere. Doce me viam solidioris humilitatis, & tuis semper inhærere vestigiis.

7. Domine JESU, fons bonitatis & origo virtutum, qui à baptismo Joannis prædicationem tuam auspicatus es, quid tibi & Baptismo isti, cùm sis innocentissimus? Utinam superbia mea hoc tam mirabili humilitatis exemplo exterminetur.

8. Rex altissime, qui omnem justitiam sic implere voluisti, baptiza me in igne & spiritu, & ablue animam meam ab omni sorde iniquitatum.

9. Imple me, Domine, Spiritu Sancto, ut eo inspirante sequar te in desertum, & secedam ab hominibus, orationi, jejunio, & poenitentiæ incumbens.

10. Fortissime athleta, JESU Christe, qui strenuè contra diabolum

dimicâsti; & eum gloriosè superâsti; da mihi viriliter contra ipsum decertare; & mitte Sanctos Angelos tuos, qui me fideliter custodiant, potenter adjuvent, & benignè consolentur.

DECAS VI.

1. CONsiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia Redemptionis nostræ mysteria abscondisti à sapientibus & prudentibus hujus seculi, & parvulis piscatoribus revelâsti, ut mundi sapientiam destrueres. Fac me parvulum in oculis meis, ut magnus fiam in tuis.

2. Dux supreme, qui omnes ad te vocas per viam crucis & abnegationis, gratiam tuam largire mihi, ut crucem meam indefessus portem usq; ad mortem.

3. Aliam viam, Domine, tenere nolo, quàm tuam: nec aliam quàm tuam veritatem amplecti: nec aliam vitam ducere, præter eam, quam tu docuisti. Tu es enim via, veritas, & vita.

4. Gratias ago tibi, æterne Pater, quòd talem mihi magistrum, legislatorem, & consiliarium dederis, cujus præcepta & monita via tutissima salutis sunt.

5. Aperi os tuum, Salvator mundi, & loquere ad cor meum, quia audit servus tuus, desiderans id exequi, quod audierit.

6. Illumina me splendoribus tuis, superne Magister, ut perfectionem agnoscam, quam mihi commendas: igne tuo accende, ut eam amem: potentiâ corrobora, ut eam quæram & assequar.

7. Salvator potentissime, qui tot miracula verbo virtutis tuæ patrare dignatus es: innova signa, immuta mirabilia, & animæ meæ languores sana, eamquè resuscita à morte vitiorum.

8. Inclyte JEsu, lux mundi, salus populi, & gloria nostra, respice propitiùs infirmitatem meam: nemo enim potest spiritualia vulnera curare, nisi tu qui solus es DEus.

9. Circuîsti vicos & plateas, dulcissime JEsu, ut peccatores converteres, & poenitentibus indulgentiam conferres: fac me hujus charitatis tuæ participem: & miserere mei, quoniam iniquitatem meam cognosco.

10. Millies te laudo, & benedico, JEsu Sanctissime, exemplar omnium virtutum, pro vita tua pauperrima, humillima, purissima, patientissima: tribue mihi miserrimo servo tuo mores tuos sedulò meditari, & ad eorum normam omnes actus, sermones, & gestus meos efformare.

DECAS

DECAS VII.

Quàm immensa fuit Charitas tua, benignissime Redemptor, qui non solùm pro salute mea, vitam ærumnosam ducere, sed eam insuper acerbissimâ passione & morte claudere voluisti. O quàm gravia sunt peccata mea, quæ talem poscebant satisfactionem!

2. Clementissime Pater, per passionem & mortem Unigeniti tui ignosce peccatis famuli tui. Suscipe sacrificium Filii tui, & oblivìscere injuriarum nequissimi servi tui. Multò enim plura ille solvit: quàm sit debitum meum.

3. O Passio Christi desiderabilis, o amabilis mors, sana vulnera mea, & vivifica me: inflamma pectus meum, ut præ amore liquescat.

4. Non peto mundi divitias, sed tuas angustias, Domine JESU: non carnis delicias, sed tua flagella.

5. Rogo te dulcis JESU, nè sinas unquam me oblivisci mortis & passionis tuæ; sed præsta, ut in ea mihi sit requies & accessus ad Divinitatem.

6. Omnia vulnera tua, Domine, inscribe cordi meo, ut tu solus tuaquè passio in eo legantur. Intra vulnera tua absconde me.

7. Domine JESU, qui nos sic amâsti, ut tibi non parceres; veni & nè differas vulnerare cor meum, ut solùm tua vulnera sentiam, & in iis jugiter maneam & requiescam.

8. Tui dolores semper occupent pectus meum, ut eorum memor dicam cum sponsa: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

9. Dulcis JESU, qui tanto fervore & festinatione in Hierusalem ascendisti, ut durissimam mortem pro me patereris, fac me alacrem & ferventem ad omnia, quæcunquè volueris pro te sustinenda.

10. Salvator mundi, qui à perdito discipulo venditus fuisti: nè quæso permittas, ut pro vili pretio rerum terrenarum te summum Bonum vendam & derelinquam.

DECAS VIII.

1. Humillime JESU, qui servili obsequio lavisti pedes discipulorum tuorum, ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à spiritu superbiæ libera me.

2. O dilecte cordis mei, qui imminente passione tuâ perpetui amoris tui pignus immensum reliquisti nobis, corpus tuum scilicet in cibum, & sangvinem in potum: præpara me ad hoc convivium, & orna animam meam virtutibus tuis.

3. O Rex supreme, qui nutris sangvine tuo populum tuum, ut simus omnes de regio tuo sangvine genus electum, regale sacerdotium, gens sancta: fac me agnoscere genus meum, & de eo gloriari, & à moribus tuis nunquam degenerem esse.

4. Ut passio tua esset acerbior, amabilissimè JESU, omnem lætitiam à te procul abjecisti, incipiens pavere, contristari, & mæstus esse: & ubi dolor meus, in causa tua & mea? Fac me semper memorem tristitiæ tuæ, ut omnem angustiam quacunque ex causa mihi advenientem pro tui nominis gloria libenter patiar.

5. O lætitia Angelorum, qui in tristitia tua ad orationis remedium confugisti, concede mihi misero, ut ablacter à lacte, & avellar ab uberibus humanarum consolationum, meque totum orationi applicem, in qua sanctissimam voluntatem tuam & cognoscam, & exequar.

6. Transeat à te, Domine, ad me calix tuus: omnis enim amaritudo pro te degustata erit mihi jucundissima.

7. Quis mihi det dolores tuos ita sentire afflictissime JESU, ut vel eorum cogitatio sanguineum à me sudorem elliciat? Adjuva me gratiâ tuâ, ut voti hujus compos efficiar.

8. Laudo & glorifico te mitissime JESU, pro tua ineffabili mansuetudine, quam ostendisti à perfido discipulo osculo traditus, & ab impiis comprehensus, atquè ligatus: da mihi hunc spiritum lenitatis, quo ergà meipsum severus sim, & erga proximum mansuetus.

9. Quàm celeriter ire cogeris à tuis hostibus raptatus, dulcissime JESU, sed multò magis à tua Charitate: nè quæso patiaris, ut à te alacriter sequendo desistam, etiamsi multi labores, & dolores subeundi sint.

10. JESU innocentissime, qui per diversa tribunalia crudeliter trahi voluisti, victima meorum criminum; dirige gressus meos in viam pacis, & jube me venire ad te: nam etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.

DECAS IX.

1. O Bone JESU, virtus, fortitudo animæ meæ, qui tot irrisiones, percussiones,

cussiones, & contumelias admirabili patientiâ tolerâsti; doce me omnia mihi adversantia miti silentio vincere; & tranquillo corde suscipere.

2. *Piissime* JESU, *qui nequissimo latrone & homicidâ nocentior proclamatus fuisti; fac me vana hominum judicia contemnere, & opprobrium tuum semper præ oculis habere, falsisquè mundi honoribus præponere.*

3. *Mitissime* JESU, *qui nudus ad columnam alligatus, & durissimè propter scelera mea flagellatus fuisti; concede animæ meæ, ut diuturnis criminum tempestatibus jactata, in hac columna portum inveniat. Liga me ad eam in funiculis Adam, in vinculis Charitatis.*

4. *Rex Christe, Corona Sanctorum omnium, qui inaudito supplicio spinis coronatus fuisti, & joculari purpura indutus; fac me omnem contemptum patienter ferre, atquè inglorium omnibus apparere, tuasquè spinas semper amare.*

5. *Benignissime amator hominum, qui ab iniquo judice morte turpissimâ damnatus fuisti, cùm sis speculum innocentiæ, & sanctitatis: quantò magìs me pati oportebit sinistra hominum judicia, qui in multis tam sæpe deliqui?*

6. *Proficiscere, bone* JESU, *ligno Crucis onustus, sed multò magìs amoris pondere pressus: & qui dolori tuo non parcis, parce peccatis meis.*

7. *Jugum tuum, Domine, suave est, & onus tuum leve, fac ut illud gaudenter portem, abnegans memetipsum, & crucem meam bajulans post te.*

8. *Suavissime* JESU, *qui tam inhumaniter in cruce extendi voluisti, ut numerari possent omnia ossa tua; præsta ut omnia membra, sensus & potentias ad te semper erectas tibi amanter uniam, & clavis timoris tui cruci tuæ perpetuò affixus maneam.*

9. *Ad te, Domine, clamantem exaudi, & qui dixisti Apostolis tuis, cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum; trahe me à te, & excipe animam meam in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ.*

10. *Agnosco, gloriosissime Fili* DEI, *titulum tuum; tu es enim* JESUS *Nazarenus Rex Judæorum. Utinam orbis universus hunc titulum legat & admittat, tequè omnes confiteantur Regem suum & Salvatorem.*

DECAS

DECAS X.

1. *JESU vita morientium, qui, cùm jam mortuus esses pro nobis, latus tuum lanceâ aperiri voluisti, ut accedentibus ad te facilis pateret aditus ad cor; admitte me in latus tuum, ut in eo sit requies mea in seculum seculi.*

2. *O quinque Christi pretiosa vulnera, Divinâ dulcedine plena, saluto & veneror vos: in vobis enim medicina vitæ, copia gratiæ, plenitudo indulgentiæ.*

3. *In latere tuo latere volo, JESU mi crucifixe, ibi orare, ibi tractare negotia mea: quia ibi quidquid voluero obtinebo.*

4. *Gratias ago tibi Salvator mundi, quia opus Redemptionis nostræ perfectissimè peregisti: perfice & in me opus quod incepisti, ut plena in me, & consummata justitia reperiatur.*

5. *Quanta duritia cordis mei! concutitur terra, dissiliunt saxa, obtenebrantur cæli, moriente Domino: solum cor meum immotum erit, qui tantæ necis causa fui; scinde illud, Domine, & frange sanguine tuo.*

6. *Sepeli cor meum tecum, & absconde me intra vulnera tua, dilectissime JESU, ut extra te nusquam reperiar.*

7. *Obsigna cor meum, Domine, & sensus ac facultates sigillo Charitatis tuæ, ut sic obsignatus tecum maneam in æternum.*

8. *O Rex gloriæ, Domine Virtutum, qui post mortem descendisti ad inferos, & justos è carcere eduxisti; gaudeo de hoc tuo triumpho, & precor, ut omnem tartaream potestatem virtute tuâ vincere me facias.*

9. *O Triumphator gloriosissime, fac me participem passionis tuæ, ut sim etiam resurrectionis: tecum moriar, ut tecum resurgam, & tecum tandem ascendam in cælum.*

10. *Rex sempiterne, qui sedes ad dexteram Patris, trahe me post te, ut illic semper fixum sit cor meum, ubi tu es thesaurus meus, & gloria mea, DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.*

§ 8tavus.
De Contemplatione DEI Perfectionum in vita & gratiis, donisquè DEIPARÆ.

VIrtutes & Sanctitatem DEIparæ adumbratam colliges ex super

ſupradictis in hoc Opere; ferè ſub ſingulis Virtutibus exemplum Beatisſimæ Virginis adducimus, ſed ſpecialiter ſub incitamentis Virtutis in genere parte 1. 2. tract: 1. cap. 1. ſect: 3. enumerantur ejus Virtutes eximiæ, & ſub dilectione DEI ſimiliter inæſtimabilis amor DEI Matris delineatur.

Immenſa dona & gratiæ Virginis Matris tum locis citatis, tum maximè ſub incentivis amoris in DEIparam ſupra deſcribuntur, ſicut & ſub Fine *Cui* reſpectu Sanctisſimæ Virginis eadem monſtrantur.

V. Amor erga DEIparam.

Ex his igitur DEI Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, Sanctitatem, ſi in ulla creatura poſt Chriſtum, tum in Beatisſima DEI Matre admirare, adora, ama, lauda &c.

Actus & Affectus Anagogici in DEUM.

DEUS meus, O quàm verè Virgo & Mater, canit lætabunda dicens de Te: Fecit mihi magna qui potens eſt, & Sanctum Nomen ejus. O DEUS meus, quàm ſtupenda Potentia, Sapientia, Bonitas tua! quâ potuiſti, ſciviſti, voluiſti creaturam facere Matrem Creatoris, naſci in tempore, ab æterno genitum Filium tuum! ex mortali prodire immortalem, ex finita infinitum & immenſum, ex homine DEUM! O miracula! O prodigia! Adoro hanc tuam Potentiam, Sapientiam, Bonitatem.

Amo infinitum Amorem tuum DEUS meus, quo elegiſti tibi in amantiſſimam Matrem tuam, Beatiſſimam Virginem MARIAM.

Amo immenſam Bonitatem tuam, quà inæſtimabiles theſauros gratiæ & gloriæ in Virginem Matrem benevolentiſſimè & liberaliſſimè profudiſti.

Adoro magnitudinem immenſam Sanctitatis tuæ in Virgine MARIA ad ſummum miraculum refulgentem. O Utinam ejus particeps eſſem pro modulo meo.

Laudo, glorifico, magnifico excellentiam Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Sanctitatis Tuæ in Virgine Matre ad delicium totius Univerſi radiantiſſimam.

§ 9nus.

§. 9nus.

De Contemplatione DEI Perfectionum in sanctitate & excellentia S. JOSEPH, Sponsi DEIparæ, ac Nutricii Filii DEI.

VItæ Sanctimoniam S. Joseph colliges ex supradictis in hoc Opere sub præcipuis Virtutibus, ubi in exemplum earum S. Josephum citamus: Tum sub incitamento Virtutis in genere par: 1. 2. trac. 1. c. 1. sect: 3. & potissimùm sub Fine Cui respectu S. Joseph, ubi ejus quoquè eximias prærogativas, sicut, & sub Cultu S. Joseph, reperies.

Actus & Affectus anagogici in DEUM.

AMo infinitam Bonitatem tuam DEUS, quâ propensissimè ad tantum sublimâsti gradum S. Josephum, ut eum Sponsum & Dominum suæ Matris esse volueris; quin & Te ipsum ô immensa Majestas subdideris, & in providentiam ac tutelam tradideris, qui totum Universum omni plenitudine bonorum adimples, & ab omni malo tutaris.

Adoro, amo, glorifico tuam profusissimam liberalitatem, ex qua præcellentibus gratiis & charismatibus S. Josephum exornâsti. Fac me participem ejus puritatis ac perfectionis.

SECTIO II.

DE ESSENTIA DEI ET EJUS PERFECTIONIBUS, VIA AFFIRMATIVA ET NEGATIVA CONTEMPLANDIS IN SECUNDA HIERARCHIA CONTEMPLATIVORUM.

OBjectum hujusmodi Contemplationis est DEUS, in Creatura spirituali, nempe Spiritu humano, & Angelico, tam naturalibus, quàm supernaturalibus donis, exornatis relucens.

SUB-

SUBSECTIO I.

IN SECUNDÆ HIERARCHIÆ PRIMO GRADU. De Contemplatione DEI Unius & Trini, ejusquè Perfectionum, in Anima Rationali donis naturalibus insignita.

A Consideratione DEI per sensibilia, & materialia in prima Hierarchia, ad Contemplationem ipsius per intelligibilia & spiritualia in secunda Contemplativorum Hierarchia recto ordine progredimur, Et quidem infimum hujus Hierarchiæ gradum vendicat sibi Animus Rationalis hominis, in quo tanquam imagine sua, mirè refulget DEUS Trinus & Unus ejusquè attributa.

Sed cumprimis sciendum est, necessariam esse cognitionem sui, quâ perveniatur ad cognitionem DEI, nè in hac comparanda incassum laboretur. Unde Richardus: Nescit omnino, nescit quid de spiritu Angelico, quid de Spiritu Divino, sentire debeat, qui spiritum suum priùs non cogitat. Si nondum idoneus es intrare ad teipsum, quomodò ad illa rimanda idoneus eris, quæ sunt intra vel supra temetipsum.)) *Richard. lib. 3. de Contemp. DEI cap. 6.*

Modus autem quo animam nostram contemplari debeamus, scilicet non sub specie aliqua corporali, verùm altiori & spirituali modo, quantum fas datur homini à phantasmatibus in hac mortalitate dependenti. Audi S. Gregorium super illa verba Ezech. *Et ostium contra ostium*; ita differentem: Nam sæpè, inquit, volumus Omnipotentis DEI naturam invisibilem considerare; sed nequaquam valemus: atquè ipsis difficultatibus fatigata anima ad seipsam redit, sibiquè de seipsa gradus ascensionum facit, ut primùm semetipsam, si valet, consideret, & tunc illam naturam, quæ super ipsam est, inquantum potuerit, investiget. Sed mens nostra si in carnalibus imaginibus fuerit sparsa, nequaquam vel se vel animæ naturam considerare sufficit: quia per quot cogitationes ducitur, quasi per tot obstacula cæcatur. Primus ergo gradus est, *D. Greg. hom. 17. in Ezech.*

ut se ad se colligat: Secundus, ut videat, qualis est collecta: Tertius, ut supra semetipsam surgat, ac se contemplationi Authoris invisibilis intendendo subjiciat. Sed se ad se nullatenus colligit, nisi priùs didicerit terrenarum atquè cælestium imaginum phantasmata ab occulo mentis compescere: quidquid de visu, quidquid, de odoratu, quidquid de tactu, & gustu corporeo, cogitationi ejus occurrerit respuere, atque calcare: quatenus talem se quærat intus, qualis sine istis est. Nam hæc quando cogitat, quasi quasdam umbras corporum introrsus versat. Abigenda sunt ergo omnia manu discretionis ab oculis mentis, quatenus talem se consideret anima, qualis sub DEO super corpus creata est, ut à superiore vivificata, vivificet inferius, quod administrat. *Et paulò post:* Cùm ergo seipsam sine imaginibus corporis cogitat anima, jam primum ostium intravit: Sed ab hoc ostio ad illud tenditur, unde de natura DEI Omniporentis aliquid contempletur.))

Igitur essentiam animæ, potentias, operationes, ex quibus ascenditur in cognitionem Divinitatis, pulchrè describit *Richardus* dicens: In primo itaquè gradu hujus contemplationis, consideremus ea, quæ pertinent ad animæ qualitatem, vel essentiæ ipsius proprietatem: quòd vita quædam & perpetua sit, quæ nullis pœnis, nullis unquam tormentis extingui possit; quòd non solùm ipsa possit in perpetuum vivere, sed corpus etiam ad vitam & sensum animare; quòd nullo sustentamento egeat; quòd sine subsidio sempiternè subsistat; quomodò sit per tot corporis membra diffusa, cùm sit ipsa simplex, partibusquè carens, individua essentia; quomodò in toto corpore suo quasi in suo quodam mundo, sit, utiquè ubiquè tota, quemadmodum DEUS invenitur ubiquè totus in omni creatura sua; quomodò in illo suo mundo solâ voluntate omnia movet atque disponit, sicut in hoc mundo DEUS solo voluntatis nutu omnia regit, qui eodem voluntatis nutu omnia creavit. Invenies in hoc spectaculo & alia multa consideratione digna, quæ nec sine admiratione speculari, nec sine jucunditate possis admirari. Quid tamen mirum si invenimus in spiritu rationali miranda multa atque stupenda, cùm sit præcipua DEI

Cap. 20. *lib.* 3. *de Contempl.*

creatura

creatura, & ad imaginem & ſimlitudinem ipſius facta? Cùm enim ſit mirabilis DEUS in operibus ſuis, magnus atquè laudabilis nimis in omnibus magnaliis ſuis; ubi tamen, obſecro, apparebunt mirabilia virtutum ejus inſignia, quàm in imagine ſua, quàm in ſimilitudine ſua? Absquè dubio Omnipotentis Artificis induſtria, quæ ubiquè mirabilis apparet, in ejusmodi opere ſingulariter eminet. *Et cap.* 21. In ſecundo hujus contemplationis gradu, conſiderantur illa, quæ ad cognitionem ſunt, vel veritatis ſtudio deſervire poſſunt; & quæcunquè in augmenta ſcientiæ concurrunt atquè conducunt. In hac ſine conſideratione rectè miramur volubilitatem cogitationis, agilitatem imaginationis, ingenii acumen, diſcretionis examen, capacitatem memoriæ, vivacitatem intelligentiæ, & circa hæc, alia quælibet ſtupenda & admiratione digna. Quis enim dignè penſare, quis æſtimare valeat ſufficienter, quis in ejus conſiderationis admiratione non expaveſcat, diligenter attendendo quæ ſit illa tam multiplex cogitationis humanæ volubilitas, quæ ſit ejus tam inquieta & infatigabilis velocitas, quæ per tam multa, tam varia, & tam infinita diſcurrit; quæ nullâ horâ, nullo temporis momento, quieſcit, quæ tot ſpatia locorum, quæ tot volumina temporum in tanta feſtinatione pertranſit, cui undiquè patet tam facilis tranſitus, tam agilis diſcurſus de ſummis ad ima, de imis ad ſumma, de primis ad novisſima, de novisſimis ad prima. Sed de imaginationis agilitate, facultatisquè ejus facilitate quid nos dicturi ſumus, vel quid inde dignè dicere poſſumus, quæ omnium eorum, quæ animus ſuggerit, in tanta velocitate imaginem depingit? Quidquid à foris animus per auditum haurit, quidquid ab intus ex ſola cogitatione concipit, totum imaginatio absquè mora, omni difficultate ſepoſita per repræſentationem format, & quarumlibet rerum formas ſub mira feſtinatione repræsentat. Quale, quæſo, eſt, tot rerum atquè tantarum in momento, in ictu oculi, picturas efficere, & iterum eaſdem eâdem facilitate delere, vel alio atquè alio multiformiter variare? Nonne per imaginationem animus quotidie novum cælum, novam terram creat, & in illo phantaſtico mundo, quaſi alius quidam creator,

quantaslibet ejusmodi generis creaturas omni horâ actitat, & pro arbitrio format? Nihilominus autem, si ingenii acumen attendimus, quod in illo mirari debeamus, citiùs invenimus. Vide quàm multa imò penè infinita humano ingenio pervia sunt, quæ nullo unquam corporeo sensu attingi possunt. Vide quomodò illud humani ingenii acumen soleat profunda investigare, intima quæque penetrare, involuta, perplexa, obscura, & in tenebris posita evolvere, enodare, illustrare, & in lucem evocare. Intimos (ut ita dicam) latitantis naturæ sinus, abditosquè recessus vivacitatis suæ subtilitate quotidiè adit, irrumpit, atque pertransit, festinans, & anhelans semper in ulteriora penetrare, & altiora conscendere. Attende, quot scientiæ disciplinas invenerit, quomodò tot artes excuderit, & tunc incipies obstupescere, & ex nimia admiratione deficere. Sic sanè, si memoriæ capacitatem, ejusquè amplitudinem attendas, invenies absquè dubio, quod dignè mirare debeas. Quantus quæso, est ille tam immensæ amplitudinis sinus, qui tot rerum substantias; tot substantiarum formas, tot genera rerum, tot species generum, tot individua specierum, individuorum verò tot proprietates, tot quantitates, tot qualitates, actiones & passiones, situs, loca & tempora latitudinis suæ ambitu comprehendit, abscondit, atquè custodit, diuquè custodita iterum in medium producit! Cogita si potes, quæ sint illa gazophylacia, quàm multa, quàm lata, quàm ampla, quàm profunda, vel alta, quæ tot scientiæ thesauros & sapientiæ gazas possunt undecunquè colligere, & inconfusè custodire. Miranda procul dubio memoriæ capacitas, sed non minùs mirabilis Intelligentiæ vivacitas. Quàm sit autem magna vel miranda, facilè est perpendere, & ex prædictis colligere; Quidquid enim sensus attingit, cogitatio parit; quidquid imaginatio format, ingenium investigat, memoria conservat, horum omnium notitiam intelligentia capit: & cùm libuerit, in considerationem admittit, vel in contemplationem adducit. *Et cap. 22.* In tertio hujus contemplationis gradu consideramus Rationalis animi voluntatem, multiplicemquè ejus affectionem. Quis enim dignè explicare possit, quot alternationis modos momentaneis permutationibus induit; quàm multiformiter se alternantium

vicissi-

vicissitudinum motibus variare consvevit? Cogitet quisquè quibus perturbationibus quotidiè animus suus afficitur, indequè colligat, quàm multiformiter variatur. Modò se in fiduciam erigit, modò in diffidentiam cadit, nunc per constantiam figitur, nunc subitaneo timore concutitur: modò eum ira perturbat, modò ingens furor exagitat: nec illud adeo mirum, quòd variis qualitatibus, diversisquè perturbationibus per singula momenta afficitur, sed illud supra modum stupendum, quòd sub eodem penè momento sæpè contrariis affectionibus tangitur, nunc odio, nunc amore ducitur, modò gaudio, modò mærore distrahitur, Quàm sæpè videmus inter mira gratulationis nostræ tripudia, quomodò superveniens subitoquè emergens tristitiæ causa animum vehementer concutit, ac dejicit, & omnem illam exultantis animi solemnitatem subitò in mærorem vertit. Nec tamen adeò mirum, quòd pro diversis rebus animus sæpè & subitò contrariis se qualitatibus induit; sed illud multò mirabilius, quod propter unam eandemquè rem contrarios affectus superducit. Nam diu multumquè dilecta nimio postmodum odio sæpè prosequimur, & vehementer approbata atquè desiderata, subitò detestamur. Sed ut adhuc ampliùs mireris, unum eundemquè hominis affectum si diligenter attendere velis, circa unam eandemquè rem multiformiter variare videbis. Nam modò de magno fit paruus, modò de paruo fit magnus, quandoquè autem de magno fit major, quandoquè de modico fi adhuc minor. *Deinde cap: 23. ita prosequitur:* In quarto hujus contemplationis gradu virtutem deliberationis contemplamur pariter & admiramur, quomodò tot animi affectiones quotidie in virtutes redigit, inquantum eas & per discretionem disponit, & in bona intentione figit. *Et paulò post:* Nonnè illius officium est totam illam internæ familiæ turbam, tot cogitationum, tot affectionum pro arbitrio disponere, & imperantis more sub legibus subjugare, quotidiè judicium & justitiam facere, dominari à mari usquè ad mare, & à flumine usquè ad terminos orbis terrarum? Nonnè ipsius est carnalia desideria forti castigatione percutere, fluctuantium cogitationum tumultus violenter reprimere, sequè quotidiè ad spiritualem pugnam accingere ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in

populis? Nonne ipsius est omnes rebelles animi motus,elationumq; fastus fortiter premere, hostilemq; illum vitiorum exercitum viriliter opprimere ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis? Debet autem non solùm vitia reprimere, verùm etiam virtutes excolere, familiam Nabuchodonosor forti animadversione ferire, domum autem David sagaciter disponere & diligenter enutrire. Iudicabit itaquè in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum. Sed & super solium David & super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud & corroberet in judicio & justitia. Quis autem dignè describat, quæ vel quanta sit illa virtutum turbas terribilis est ut castrorum acies ordinata, ipsius disciplinis instruenda, ipsius ordinatione disponenda? Quales, quæso vel quantæ credendæ sunt illæ virtutum phalanges, quæ currus Pharaonis & exercitum ejus evertunt, quæ Salomonis nostri currum undiquè cingunt & muniunt? Currus DEI decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis, in Sinai Sancto. Sed si tantis virtutibus pollet in hac etiam vita quælibet anima perfecta, quanta, quæso, erit illa virtutum consummatio, quam habebit in illa summa futuræ plenitudinis gloria? *Hæc Richardus.*

In eadem materia, si qua adeò propria homini, ejusquè notitia digna placet & *Hugo Victorinus* præclarè differens in hunc modum. Tanta dignitas humanæ conditionis esse cognoscitur, ut non solùm jubentis sermone (sicut alia sex dierum opera) sed consilio S. Trinitatis, & operâ Divinæ Majestatis creatus sit homo, ut ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum deberet suo Conditori, dum tantum in conditione mox dignitatis Privilegium præstitit ei Conditor; & tantò ampliùs Conditorem diligeret, quantò mirabiliùs se ab eo conditum intelligeret. Nec ob hoc solùm quidem quòd consilio SS. Trinitatis sic excellenter à Conditore conditus est, sed etiam quòd ad imaginem & similitudinem suam, Creator omnium eum creavit, quod nulli alteri ex creaturis donavit. Quæ imago diligentiùs in interioris hominis nobilitate est consideranda.

Primò quidem, quòd sicuti DEUS unus, semper ubiquè totus

totus est, omnia vivificens, movens & gubernans, sicut ait Apost. Act. 17. quòd *in ipso vivimus, movemur, & sumus*: sic anima in suo corpore ubiquè tota viget, vivificans illud, movens, & gubernans. Non enim in majoribus corporis sui membris major, & in minoribus minor; sed in minimis tota est, & in maximis tota. Sic infusa corpori est, ut non per membrorum partes partibus sit divisa; nam in quocunquè loco pars corporis percutitur, tota dolet. Miro autem modo, unâ eâdemquè vivificatione membris præsidens, cùm ipsa per naturam non sit diversa, per corpus tamen agit diversa: ipsa quippe est quæ per oculos videt, audit per aures, per nares odoratur, per os gustat, per membra omnia tangit, & tangendo lene ab aspero discernit, & cùm non sit diversa per sensus operatur diversa. Ex qua re intelligitur, quòd ita est anima secundùm modum suum in corpore, sicut DEUS est in suo mundo; interius siquidem & exterius, superius & inferius est, regendo superior, portando inferior; replendo interior, circumdando exterior: Sic est intus, ut extra sit, sic circumdat, ut penetret, sic portat ut præsideat. Et sicut DEUS nec crescentibus creaturis crescit, nec decrescentibus decrescit: sic anima nec minutis membris minuitur, nec adauctis augetur. Hæc est imago sive similitudo Omnipotentis DEI, quam anima habet in se. Quandam etiam SS. Trinitatis habet imaginem. Primò in eo, quòd sicut DEUS est, vivit, & sapit; ita anima secundùm modum suum est, vivit, & sapit. Est quoquè & alia Trinitas in ea; quia ad imaginem perfectæ quidem & summæ Trinitatis, quæ est in Patre & Filio & Spiritu Sancto, condita est. Et licèt sit unius anima naturæ, tres tamen in se vires habet, id est intellectum, voluntatem, & memoriam. Quod idem (licèt aliis verbis) in Evangelio designatur cùm dicit Matth. c. 12. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua*: id est ex toto intellectu, ex tota voluntate, & ex tota memoria. Nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre Filioquè procedit Spiritus Sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, & ita ex illis ambobus procedit memoria, sicut facilè à sapiente quovis po-
test

test intelligi. Nec enim anima perfecta esse potest sine his tribus, nec horum trium aliquod sine aliis duobus integrum constat, quantùm ad suam pertinet beatitudinem. Et sicut DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus Sanctus est, non tamen tres Dii sed unus DEUS, & tres Personæ: ita anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen animæ tres in uno corpore, sed anima una & tres vires. Atquè in his tribus, Divinam imaginem gerit mirabiliter in sua natura noster interior homo, & ex his, quasi excellentioribus animæ viribus jubemur diligere Conditorem; ut quantum intelligitur, diligatur, & quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solùm sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore ejus voluntas: imò nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, quòd semper in mente intelligentis & diligentis maneat DEUS, ut nullum potest esse momentum, quo præsentem non habeat in memoria. Et ideo mihi justè videtur dictum: Interiorem hominem imaginem esse DEI. *Hucusquè Hugo.*

S. Bonavent. itinera. ment. cap. 3.

Concludit *Seraphicus Doctor* hæc asserens: Vide ergo quomodò anima DEO est propinqua, & quomodò memoria in æternitatem, intelligentia in veritatem, electiva potentia ducit in bonitatem summam secundùm operationes suas. Secundùm autem harum potentiarum ordinem, originem, & habitudinem ducit in ipsam beatissimam Trinitatem. Nam ex memoria oritur intelligentia, ut ipsius proles: quia tunc intelligimus, cùm similitudo quæ est in memoria resultat in acie intellectûs, quæ nihil aliud est, quâm verbum. Ex memoria & intelligentia spiratur amor, tanquam nexus amborum. Hæc tria scilicet mens generans, verbum, & amor sunt in anima quoad memoriam, intelligentiam, & voluntatem, quæ sunt consubstantiales, coæquales, & coævæ, se invicem circumincedentes. Si igitur DEUS perfectus est Spiritus, habet memoriam, intelligentiam, & voluntatem, habet & Verbum genitum, & Amorem spiratum, qui necessariò distinguuntur, cùm unus ab altero producatur, non essentialiter, non accidentaliter; ergo personaliter. Dum igitur mens seipsam considerat, per se, tanquam per speculum consurgit ad speculandam Trinitatem beatam,

tam, Patris, Verbi, & Amoris, Trium Personarum, coætêrnarum, coæqualium, & consubstantialium, ità quòd quilibet Trium in quolibet est aliorum, unus tamen non est alius, sed ipsi tres sunt unus DEUS. *Hæc S. Bonaventura.*

Actus & Affectus anagogici in DEUM.

CRedo Domine Te esse & existere. Impossibile enim animam humanam, ens adeò nobile & admirabile uniformiter se in substantialibus habens, & licèt in accidentalibus infinitis modis sit disforme, illa tamen multiplicitas ad uniformia principia ejus naturæ reducitur, unde & producitur; impossibile inquam ut tale ens sit casu, vel ab aliqua creatura sensibili; sed est à Te DEO Conditore suo.

Spero Domine, quia animam meam, præclaram imaginem Tuam non permittes à peccatis conspurcari, & ignis æterni incendio tradi: quin potiùs gratiâ tuâ & gloriâ exornatam, reddes eam magis similem Tibi Principio & Prototypo suo.

DEUS meus, si animæ meæ imaginis tuæ, tam excellens est natura, proprietates, operationes, ut prorsus in admirationem sui rapiat: quis & qualis es Tu ejus infinitum exemplar, forma, idea? O infinita excellentia DEI mei, quàm admirabilis es & mihi amabilis, adoranda, laudanda!

Adoro, amo, magnifico Tuam Potentiam, Sapientiam Bonitatem, quâ potuisti, scivisti, voluisti adeo præcelsam creaturam, animam meam, ut imaginem quoquè Summæ Divinitatis tuæ repræsentaret, producere. Amo Bonitatem Tuam, quam tantum in modum participari voluisti ab anima mea.

Gratias ago Bonitati tuæ, quæ me indignum in Divinitatis usquè imaginem efformavit.

Sicut O infinitum Bonum meum omni amore & laude es dignissimus, qui dignitatem mihi Imaginis tuæ communicâsti; ita ego omni despectu & confusione dignissimus sum, qui ex meipso & Nihil sum; & quod majus est, hanc prænobilem imaginem tuam peccatis horribiliter foedans, turpissimum diaboli monstrum superindui, igni inextinguibili urendam destinavi. Prò pudor! pro ignominia mea!

Obsecro Domine nè, permittas ab infelicitate mea confundi imaginem tuam.

SUBSECTIO II.

IN SECUNDÆ HIERARCHIÆ SECUNDO GRADU.

De Contemplatione DEI in sua Imagine donis gratuitis reformata.

S. Bonav. itiner. men. in DEUM cap. 4.

Modum Contemplationis ejusmodi proponit *S. Bonaventura* dicens: Sed quoniam non solùm per nos transeundo, verùm etiam in nobis contingit contemplari primum Principium, & hoc majus est, quàm præcedens; ideo hic modus considerandi quartum obtinet contemplationis gradum. Mirum autem videtur, cùm ostensum sit, quòd DEUS ita propinquus sit mentibus nostris, quòd tam paucorum est in seipsis primum Principium speculari. Sed ratio est in promptu, quia mens humana solicitudinibus distracta, non intrat ad se per memoriam phantasmatibus obnubilata; non redit ad se per intelligentiam, concupiscentiis illecta, nequaquam revertitur ad seipsam per desiderium suavitatis internæ, & lætitiæ spiritualis. Ideo totaliter in his sensibilibus jacens, non potest ad se tanquam ad DEI Imaginem reintrare.

Et quoniam ubi quis ceciderit, necesse habet ibidem recumbere, nisi apponat quis & adjiciat, ut resurgat, non potuit anima nostra perfectè ab his sensibilibus relevari ad contuitum sui, & æternæ Veritatis in se ipsa, nisi Veritas assumpta forma humana in Christo fieret sibi scala reparans priorem scalam quæ facta fuerat in Adam. Unde quantumcunquè sit illuminatus quis lumine naturæ, & acquisitæ scientiæ, non potest intrare in se, ut in seipso delectetur in Domino, nisi mediante Christo, qui dicit: *Ego sum Ostium. Per me si quis introiverit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Ad hoc autem ostium non appropinquamus, nisi in ipsum credamus, speremus, & amemus. Necesse est igitur si reintrare volumus ad fruitionem Veritatis, tanquam ad paradisum, quòd ingredia-

Joan. 10.

mur

mur per fidem, ſpem, & charitatem Mediatoris DEI & hominum JESU Chriſti, qui eſt tanquam Lignum vitæ in medio paradiſi.

Superveſtienda igitur eſt imago mentis noſtræ tribus Virtutibus Theologicis, quibus anima purificatur, illuminatur, & perficitur: & ſic imago reformatur, reficitur, & conformis ſupernæ Hieruſalem efficitur, & pars Eccleſiæ militantis, quæ eſt proles ſecundùm Apoſtolum, Hieruſalem Cæleſtis. Ait enim: *Illa quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt mater noſtra.* Anima igitur credens, ſperans, & amans JESUM Chriſtum, qui eſt Verbum Patris, Incarnatum, Increatum, & Inſpiratum, ſcilicet Via, Veritas, & Vita; dum per fidem credit in Chriſtum tanquam in Verbum increatum, quod eſt Verbum & ſplendor Patris recuperat ſpiritualem auditum, & viſum, auditum ad ſuſcipiendum Chriſti ſermones, viſum ad conſiderandum ipſius lucis ſplendores: Dum autem ſpe ſuſpirat ad ſuſcipiendum Verbum inſpiratum, per deſiderium & affectum recuperat ſpiritualem olfactum: Dum charitate complectitur Verbum incarnatum, ut ſuſcipiens ab ipſo delectationem, & ut tranſiens in illud per ecſtaticum amorem, recuperat guſtum & tactum. Quibus ſenſibus recuperatis, dum Sponſum ſuum videt, & audit, odoratur, guſtat, & amplexatur, decantare poteſt tanquam Sponſa, Canticum canticorum, quod factum fuit ad exercitium contemplationis, ſecundùm hunc quartum gradum, quem nemo capit, niſi qui accipit, quia magìs eſt in experientia affectuali, quàm in conſideratione rationali. In hoc namquè gradu recuperatis ſenſibus interioribus ad videndum ſummè pulchrum, ad audiendum ſummè harmoniacum, ad odorandum ſummè odoriferum, ad deguſtandum ſuave, atquè ad apprehendendum ſummè delectabile, diſponitur anima ad mentales exceſſus ſcilicet per devotionem, admirationem, & exultationem, ſecundùm illas tres exclamationes, quæ fiunt in Canticis canticorum. Quarum prima fit per ſuperabundantiam devotionis, per quam fit anima ſicut Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris. Secunda per excellentiam admirationis, per quam fit anima ſicut aurora, luna, & ſol ſecundùm proceſſum illuminationum ſuſpendentium animam ad admirandum

Gen. 2.

Galat. 4.

Cant. 3.

mirandum Sponsum consideratum. Tertia per superabundantiam exultationis, per quam fit anima suavissimæ delectationis deliciis affluens, innixa totaliter super Dilectum suum. Quibus adeptis efficitur spiritus noster Hierarchicus ad conscendendum sursum, secundùm conformitatem ad illam Hierusalem supernam, in quam nemo intrat, nisi priùs per gratiam ipsa in cor descendat, sicut vidit Joannes in Apocalypsi sua. Tunc autem in cor descendit, quando per reformationem imaginis per virtutes Theologicas, & per oblectationes spiritualium sensuum, & suspensiones excessuum efficitur spiritus noster Hierarchicus, scilicet purgatus, illuminatus, perfectus. Sic etiam gradibus novem Ordinum insignitur, dum ordinatè in eo interiùs disponitur nuntiatio, dictatio, ordinatio, roboratio, imperatio, susceptio, revelatio, & unitio, quæ gradatim correspondent novem Ordinibus Angelorum; ita, quòd trium primò dictorum gradus respiciunt in mente humana naturam, tres sequentes industriam, & tres postremi gratiam. Quibus habitis anima intrando in seipsam, intrat in supernam Hierusalem, ubi Ordines Angelorum considerans videt in eis DEUM, qui habitans in eis, omnes eorum operatur operationes. Unde dicit Bernardus ad Eugenium: quòd DEUS in Seraphim amat, ut Charitas; in Cherubim novit ut Veritas; in Thronis sedet ut Æquitas; in Dominationibus dominatur ut Majestas; in Principatibus regit, ut Principium; in Potestatibus tuetur, ut Salus; in Virtutibus operatur ut Virtus; in Archangelis revelat ut Lux; in Angelis assistit ut Pietas. Ex quibus omnibus videtur DEUS omnia in omnibus per contemplationem ipsius in mentibus, in quibus habitat per dona affluentissimæ Charitatis.

Cant. 8. *Apoc. 21.* *S. Bernardus de Consid. lib. 5. c. 5.* *1. Cor. 15.*

Ad hujus autem speculationis gradum, specialiter & præcipuè adminiculatur consideratio sacræ Scripturæ divinitùs immissæ, sicut Philosophia ad præcedentem. Sacra enim Scriptura principaliter est de operibus reparationis. Unde & ipsa præcipuè agit de Fide, Spe, & Charitate; per quas Virtutes habet anima reformari, & specialissimè de Charitate, de qua dicit Apostolus 1. Timoth. 1. quòd est finis præcepti, secundùm quod est de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Ipsa est pleni-

plenitudo legis, ut dicit idem: & Salvator noster asserit totam legem Prophetasquè pendere in duobus præceptis ejusdem, scilicet in dilectione DEI & proximi, quæ duo innuuntur in uno sponso Ecclesiæ JESU Christo, qui simul est proximus & DEus, simul Frater & Dominus, simul etiam Rex & Amicus, simul Verbum increatum & incarnatum, Formator noster & Reformator, Alpha & Omega: qui etiam summus Hierarcha est, purgans, illuminans, & perficiens sponsam scilicet totam Ecclesiam, & quamlibet animam sanctam. De hoc igitur Hierarcha & Ecclesiastia Hierarchia est tota sacra Scriptura, per quam docemur purgari, illuminari, & perfici, & hoc secundùm triplicem legem in ea traditam scilicet naturæ, scripturæ, & gratiæ. *Hactenus S. Bonaventura.* *Rom. 13.* *Matth. 22.*

Hæc quidem profunda Sapientia S. Doctoris est difficilis via inexpertis ita contemplari DEum in anima gratiis Divinis exornata. Quarè pro parvulis & incipientibus hunc gradum contemplationis scandere, facilior modus erit considerare naturam, proprietates, effectus Gratiarum actualium, Gratiæ habitualis, habitus & actus Virtutis, & Donorum Spiritûs S. in genere & specie, tum Gratiarum gratis datarum, de quibus hoc toto Opere fusissimè agitur, & ex Indice colligere poteris) Ex quibus nullo negotio, illustrante & inspirante Spiritûs S. ope illucescet menti devotæ: *Primò* summa *Dei Potentia* per, gratiam in momento saxea emolliens corda, in mediis tenebris limpidâ affulgens luce, ex mancipio diaboli Filium DEI, ex inquinatissimo mundissimum, ex desperato peccatore efformans Sanctum. Hinc *Angelicus Doctor* super illa Augustini verba: *D. Thom. 1. 2.* *Majus opus est, ut ex iniquo justus fiat, quàm creare cælum & terram*, ita *q. 113. a. 9.* discurrit: Dicendum, quòd opus aliquod potest dici magnum dupliciter: Uno modo ex parte agentis, sicquè maximum opus est creationis, in quo ex nihilo fit aliquid. Alio modo potest opus dici magnum propter magnitudinem ejus quod fit, & secundùm hoc majus opus est justificatio impii, quæ terminatur ad bonum æternum Divinæ participationis, quàm creatio cæli & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis: & ideo August. cùm dixisset quòd majus est, quòd ex impio fiat justus

quàm creare cælum & terram, subjungit; cælum enim & terra transibit, prædestinatorum autem salus & justificatio permanebit. Sed sciendum est, quòd aliquid magnum dicitur dupliciter: uno modo secundùm quantitatem absolutam, & hoc modo donum gloriæ est majus, quàm donum gratiæ justificantis impium; & secundùm hoc glorificatio justorum est majus opus quàm justificatio impii: alio modo dicitur aliquid magnum quantitate proportionis, sicut dicitur mons parvus & milium magnum; & hoc modo donum gratiæ impium justificantis est majus, quàm donum gloriæ beatificantis justum; quia plus excedit donum gratiæ, dignitatem impii, qui erat dignus pœnâ, quàm donum gloriæ dignitatem justi, qui ex hoc ipso quòd justificatus, est dignus gloriâ. Et ideo Augustinus dicit ibidem: Judicet qui potest, utrùm majùs sit Angelos creare, quàm impios justificare, certè si æqualis utrumquè est potentiæ, hoc majoris est misericordiæ. *Hæc D. Thomas.* Jam quid dicam de heroica virtute Sanctorum, etiam tenerrimarum Virginum asperrimam vitam ducentium, horrendissimos Martyrii cruciatus, ignes, bestias, furores Tyrannorum, superantium, idquè cum gaudio & tripudio in mediis tormentis? Non naturæ corruptæ & fragilis hoc opus, sed dextera Domini facit virtutem. Verè gloriosus DEUS in Sanctis suis! Verè mirabilis in Sanctis suis! Et hæc quidem quoad gratiam gratuitam, quid verò de gratia gratis data? Quod totus mundus suâ nequiret efficere omni virtute & potentiâ v. g. Unum miraculum cæci oculis donandi, idipsum aliquis homo à mundo despectus, sed DEO dilectus, in instanti exequi posset, &c.

Secundò, Incomprehensibilis *DEI Sapientia*; de qua circa collationem gratiarum supernaturalium meritò exclamat Apostolus Rom. 11. *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI, quàm incomprehensibilia sunt Judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Patet autem ista sapientia etiam præcipuè in hoc, quòd ita disponat cuncta suaviter, ut & penes DEUM maneat absolutissima potestas, quem voluerit salvare, vel reprobare, juxta illud Apostoli Rom. 9. *Non volentis, nequè currentis, sed miserentis est DEI:* & liberum arbitrium hominis plenissimo jure suo gaudeat,

deat, & gratia suâ non frustretur efficaciâ, ut deniquè salvatus, DEO imputare debeat salutem propriam, non sibi; perditus verò sibi imputare perditionem suam cogitur non DEO juxta illud: *Perditio tua Israel* (Adde; ex te, *tantummodò in me auxilium tuum.* Quæ omnia concordare quantæ sit difficultatis, patet; quòd modum istius concordiæ necdum sufficientem repererit, licèt immensùm desundans tot præclarissimorum Doctorum Theologia. *Osee: c. 13*

Tertio, Infinita Bonitas DEI, elevans de stercore peccatorum, & è pulvere imperfectionum hominem miserum, ad sublimem statum supernaturalitatis, statum quasi Divinum, in quo supernis irradiatus fulgoribus, disponatur ad capessendum summum Bonum in æterna felicitate,

Quartò, Sanctitas DEI, conformans Electos ad sui similitudinem, ut quis fuerit sanctior, eò sit DEO similior. Ast quanta Sanctitas multorum fuit potiùs miranda quàm imitanda? Conjice ex ea ineffabilem DEI Sanctitatem.

Quintò, Pulchritudo DEI. Tanta enim elegantia est animæ gratiâ DEI exornatæ, ut teste *S. Catharina Senensi* si eam homo conspiceret magna quæque pati ejus amore, imò & mortem subire sæpiùs pro grato haberet. Hinc eadem Sancta ex amore pulchritudinis animæ, quoties Operarium aliquem spiritualem transeuntem videret, pedum illius vestigia exosculabatur. Et Christus eidem aliquando pro fœminæ peccatricis anima deprecanti, illius animam è corpore egressam ostendens, dixit: Vides Filia, quàm meritò homini pro salute rei tam pretiosæ, & tam eximiæ pulchritudinis, omnes labores sunt sustinendi? Et cùm ego tanta pro ipsa fecerim & passus sim, homini non inferiora sunt toleranda. *In Vita ejus.*

Sextò, Admirabilis DEI, *Providentia* in collatione multiplicis varietatis gratiarum, quibus eâdem quidem viâ virtutum Theologicarum & Cardinalium, sed non eodem modo in regnum æternum ducit. Hinc *Pr. Druzbicki*, vir opinione Sanctus Soc. J. dicere solebat se in Cælo millionem integrum annorum impensurum investigandis admirabilibus modis, quos Deus adhibet in directione cordis. *In Vita ejus.*

Verum

Verùm hæc Providentia DEI tum, ejus incomprehensibilis Sapientia, & nimis ſtupenda ſupereffluentisſima Bonitas ipſius, quantùm eluceat in promotione ſalutis humanæ, patet in vita S. Gertrudis & ejus Revelationibus, ſeu Inſinuationibus Divinæ pietatis. Ibi nunquam ſatis admirari poteris, quomodò incontinentisſima DEI Bonitas & dulcedo invigilet ad juſtificandos peccatores, perficiendosquè juſtos; quomodò minutisſimas occaſiones capit in maximum profectum ſalutis noſtræ, quàm deniquè liberalisſimus ſit in præmiando: & alia multa hujusmodi reperies; ut vel hìc ſolus liber Inſinuationum Divinæ pietatis à S. Gertrude conſcriptus ſufficiens ſit ad incendendum cor tuum amore Seraphico erga profuſisſimam Divinæ Bonitatis & Charitatis dulcedinem.

Deinde eximias prærogativas, proprietates, effectus Gratiarum DEI (operantium in anima) ſupra in prima parte cap. 3. delineatas vide, & ex eis ad ampliorem perfectionum DEI contemplationem conſurge.

Deniquè ſummam Bonitatem Amoremquè immenſum, & alias Perfectiones ejus in magno lumine & ardore colliges ex Dono Contemplationis & Amoris, quo DEUS in hac valle lachrymarum quosdam Electos ſuos beatos facit. Quod ipſum tibi ſternet viam ad contemplandum DEUM ejusquè Perfectiones in Gloria Patriæ Sanctis collata; cujus inchoatio aliqua datur in vita hac Electis per Gratias DEI, donum Contemplationis & Amoris fruitionisquè nonnullæ DEI per myſticam Theologiam. De quibus vide in Indice ſuis locis.

Quoniam donorum gratuitorum conſummatio eſt, *Gloria æterna*: Igitur ſimili modo (ut ob brevitatem ampliùs nos non extendamus) proportionatè & in Contemplatione DEI ex Beatitudine Sanctis in æternitate collata procede. De qua vide ſuprà *tertia hac parte ſub fine cujus in Patria reſpectu hominis.* Facilè enim quivis ex collatione illius Felicitatis Sanctis & Electis facta obſtupeſcet infinitam DEI Potentiam, Sapientiam &c. & ſuper omnia Bonitatem, quâ DEUS potuit, ſcivit conferre, & liberalisſimè ac amoroſisſimè confert adeò inæſtimabile, immenſumquè bonum perennis Gloriæ. Unde meritò totus

homo

homo absorberi deberet præ magnitudine dulcedinis amoris Divini, qui in suam creaturam adeò profusus æternaliter perseverat.

Actus & Affectus Anagogici.

CRedo Domine non modò ad imaginem tuam hominem esse conditum: sed etiam similitudine Sanctitatis tuæ posse insigniri peccatorem, modò à peccatis ad Te convertatur per poenitentiæ amorosæ lamenta, vel per Sacramenta.

Confido Domine, me quoquè similitudinis tuæ in Sanctitate esse participem per gratiam tuam.

O quanta Sanctitas tua DEUS meus, quæ adeò stupendis modis relucet in Sanctis tuis! Adoro, amo, magnifico Te Sanctum Sanctorum.

Adoro, amo, glorifico tuam Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, valentem, scientem, volentem operari magnalia sanctitatis in Electis tuis:

Amo infinitum amorem tuum, quo in Charitate perpetua dilexisti Electos tuos, ab æterno per prædestinationem, in tempore per similitudinis tuæ seu gratiæ, perfectionis, ac sanctitatis collationem, in æternum per ejusdem similitudinis tuæ in Gloria plenam consummationem.

O similitudo DEI! O Gratia! O Gloria! quanta, quanta hæc bona! O quantum me incendunt ad amorem tui ô summum Bonum, adeò liberaliter Tui in tuam creaturam diffusivum!

Et ego Domine qualis? nunquid tibi nunc per gratiam, sicut in futuro per gloriam ero similis? Spero quidem de infinita Bonitate tua: sed timeo de inexplicabili indignitate & miseria mea, quâ adeò pronus sum ad perdendam hanc similitudinem pretiosissimam, & induendam diabolicam monstrositatem & æternam infelicitatem, ut nihil facilius in orbe contingere possit: nisi me tuo speciali auxilio gratiæ sustentaveris. O me probrosum! O execrabilem! O omni contemptu dignum!

Aspirationes ex Cardin. Bona Via Compendii ad DEUM Cap. 16.

DEUS perfectissime, & causa omnium entium, perfice gratiâ tuâ esse, quod mihi dedisti, ut perfectum sit, sicut & tuum perfectum est; quia ex me ipso nihil sum.

Quàm immensa & incomprehensibilis est perfectio tua, Domine, cui nihil deest, & à quo omnia perfectionem accipiunt? Sim & ego pro modulo meo perfectus, sicut & tu perfectus es. Operare in me quod jussisti; & fac me ita perfectum, ut nihil mihi desit.

DEUS meus, qui realiter intra me es, magis intimus mihi, quàm sim ego mihi ipsi; perfice in me hanc conjunctionem, quam mecum habes, addens perfectissimam unionem Gratiæ & Charitatis tuæ, ut unus tecum spiritus efficiar in æternum.

Rerum omnium summe Artifex DEUS, qui omnia disposuisti in numero, pondere, & mensura; juxta exemplar in mente tua præexistens; fac me ita perfectum, ut ideam veræ perfectionis in te existentem, quantum fieri potest, imiter, & exprimam in meipso.

Lux beatissima DEUS, & lumen cordium, qui lucem habitas inaccessibilem, & illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, emitte lucem tuam à montibus æternis, & splendoribus Sanctorum illumina cor meum, ut verbo & exemplo cunctis præluceam.

SUBSECTIO III.

IN SECUNDÆ HIERARCHIÆ TERTIO GRADU.

De Contemplatione. DEI in Natura, Gratia, & Gloria Angelorum.

IN *Natura* rationali creata, Angelica supremum tenet gradum; proximiùs enim accedit ad Divinam Naturam, ejusquè est magis expressiva & repræsentativa. Hinc etiam ex illa clarior DEI sumitur contemplatio. Igitur quanquam natura Angelica conveniat cum natura animæ rationalis, in multis tamen perfectionibus istam superat illa.

imò. Quòd Angelus in suo Esse sit plenè perfectus & simplex, quatenus nullum habeat appetitum ad materiam, cum qua constituat aliquod compositum, quem appetitum habet anima rationalis ad corpus suum. Quare in Angelo cerne Simplicitatem DEI.

2dò. Angelus intelligit per species sibi congenitas easquè universales, nunquam interituras; Anima verò cognoscit per species à rebus operatione phantasiæ acquisitas, particulares, facilè interituras. Quare in Angelo cerne majorem identitatem Intellectûs Divni cum sua Intellectione; Item cerne intelligere DEUM per unum seipsum, quò enim superiores Angeli sunt eò universaliores ac per consequens pauciores habent rerum similitudines seu rationes; Cerne principium intelligendi in DEO perpetuum.

3tiò. Angeli sine discursu, sine compositione & divisione cognoscunt: non ita anima rationalis. Ubi cerne simplicitatem Divinæ cognitionis omnia ab æterno penetrantis.

Denique *Lessius* inquit: Qui verò est in statu naturæ innocentis: (*ex suppositione loquitur, si scilicet nunc talis status daretur*) nunquam poterit ad perfectionem Angelicam pertingere, etiamsi absquè fine bonis humanis, quorum scilicet natura illius, vi suâ est capax, ut robore, agilitate, pulchritudine, sanitate, eloquentiâ, industriâ, experientiâ rerum, artibus liberalibus, mechanicis, mathesi, astronomiâ, & omne genus scientiis augeatur. Tota enim humanæ naturæ perfectio ad Angelicam comparata, est instar nihili & veluti punctum ad Cælorum immensitatem.)) *Lessius de perfect. Divin. lib. 12. c. 11.*

Ex his conclude multò altiori modo competere Angelo perfectiones animæ rationalis supra præcedenti Subsectione primâ & secundâ enumeratas; sed quàm stupendæ sunt illæ, vidisti. Unde sequitur nobiliorem quoquè DEI & Divinorum cognitionem ex Angelorum notitia posse te comparare: quod ipsi etiam actu facito.

Quod concernit *Gratiam* & *Gloriam* Angelorum, cùm eadem sint illius speciei cujus & hominum proportione tamen servatâ. Igitur quam DEI contemplationem elicuisti ex gratia & gloria hominum, eandem suo modo facere potes ex gratia & gloria Angelorum in fundamento, quod *Lessius* ponit dicens: Sicut enim inter naturas rationales nostra natura infimum locum tenet, ita quoquè actus naturales intellectûs ac voluntatis naturæ *Ibidem.*

Rationalis infimum gradum obtinent. Similis ergo erit proportio inter actus supernaturales, si istæ naturæ per gratiæ dona eleventur, & operentur. Licèt enim dona gratiæ habitualia, quâ nos & Angeli elevamur ad statum supernaturalem, sint ejusdem speciei; longè tamen perfectiùs Angeli his donis utuntur quàm homines, ac proinde eorum actus magìs sunt supernaturales, veluti colore gratiæ magìs tincti, quàm hominum actus. Cujus etiam signum est, quòd ipsi minimo temporis spatio amplius sint promeriti gloriæ, quàm nos plurimorum annorum tractu; quod in solam graduum intensionem referri non potest. Sic enim v. g. Dilectio quâ ipsi diligebant DEUM innumeris gradibus dilectionem quâ homines DEUM diligunt, superare debuisset; cùm tamen credibile sit, illum actum, si graduum multitudinem spectes, non superâsse dilectionis habitum. Referendum itaquè erit in substantialem perfectionem actûs, in quem donum gratiæ ob perfectiorem sui usum & applicationem in Angelis longè excellentiorem influxum habuit, quàm in hominibus. Alia tamen fortè Ratio est in Visione beatifica, quæ pro diversa perfectione potentiæ naturalis intellectivæ non videtur variari, quod ad claritatem attinet. *Hæc Lessius.* Addo breviter ad propositum ex *mellifluo Doctore* sive id solùm de gratia & gloria, sive etiam simul de natura Angelorum intelligatur: sic autem disserit: His ita expeditis, age jam dirigatur consideratio in eam quæ sursum est Hierusalem, quæ est Mater nostra, ac totis tribus memoratis viis cautè & vigilanter vestigemus investigabilia: quatenus tamen licet, vel magìs quatenus nobis donabitur. Et primò quidem Cives spiritus esse illic, potentes, gloriosos, beatos, distinctos in personas, dispositos in dignitates, ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo, immortalitate perpetuos, impassibiles, mente puros, affectu benignos, religione pios, castimoniâ integros, unanimitate individuos, pace securos, à DEO conditos, divinis laudibus & obsequiis debitos. Hæc omnia legendo comperimus, fide tenemus. *Et paulò post:* Cernere est in his qui *Seraphim* appellantur

S. Bernardus de Consideratione ad Eugenium lib: 5. cap. 4.

tur, quomodò DEUS amet, qui unde amet non habet, sed est, & qui nihil horum, quæ fecerit, odit: quos salvandos fecit, quomodò foveat; quomodò provehat, quomodò amplexetur, quomodò delicta neglectæ juventutis, & paleas ignorantiarum ejus ignis ille consumens ipsam purgatissimam & suo amore dignissimam reddat.

Cernere est in *Cherubim*, qui plenitudo scientiæ dicuntur, DEUM scientiarum Dominum esse, qui solus solam nesciat ignorantiam, qui totus sit lux, & tenebræ in eo non sint ullæ, totus sit oculus, & qui minimè aliquando fallitur, quia minimè clauditur, qui extra se non quærat lumen, cui admoveatur ut videat, ipse qui videt ipse unde videt.

Cernere est in *Thronis*, quàm non suspectus omni innocentiæ judex sedeat in his, qui circumvenire nolit, circumveniri non possit, quippe qui sit amans & videns. Nec vacat sessio: tranquillitatis insigne est. De vultu tali judicium mecùm prodeat opto, cui insit amor, error absit & perturbatio.

Cernere est in *Dominationibus*, quantæ sit Dominus majestatis! cujus nutu imperium constat, & imperio universitas atque æternitas termini sunt.

Cernere est in *Principatibus* Principium ex quo omnia, & quo modo à cardine ostium, sic ab ipso regi universitatem.

Cernere est in *Potestatibus*, quàm potestativè idem Princeps quos regit, protegit, contrarias potestates arcens & propulsans.

Cernere est in *Virtutibus* unam ubiquè æqualiter præstò esse Virtutem, perquàm omnia vivificam, efficacem, invisibilem, immobilemquè, omnia tamen moventem utiliter, tenentem fortiter. Quæ cùm in minùs usitata effecta apud mortales eruperit, miracula sive prodigia vocant.

Cernere postremò & mirari est in *Angelis* & *Archangelis* veritatem atquè experientiam vocis illius: *Quoniam ipsi cura est de nobis*: qui talium nos & tantorum non desinit jucundare visitationibus, instruere revelationibus, suggestionibus commonere, sedulitate solatiari.

Idem *mellifluus Doctor* cap. 5. prosequitur dicens: Hæc omnia *S. Bernardus*

de Considerat: omnia contulit illis spiritibus, ipse qui condidit illos unus atquè
lib: 5. cap: 5. idem summus Spiritus, dividens singulis prout vult; hæc operatur in illis, hæc dedit operari & illis, sed aliter. Ardent *Seraphim*, sed igne DEI, vel potiùs igne DEO. Quòd præcipuum est in eis, amant, sed non quantum DEUS nec quomodò. Lucent *Cherubim*, & scientiâ eminent, sed participio Veritatis, ac per hoc non ut Veritas, nec quantum. Sedent *Throni*, sed insidentis beneficio. Judicant & ipsi cum tranquillitate, sed non ad mensuram modumvè pacantis pacis, quæ exuperat omnem sensum. Dominantur *Dominationes*, sed sub Domino dominantur & serviunt pariter. Quid hoc ad summum sempiternum singularequè Dominium? Præsunt *Principatus* & regunt, sed reguntur & ipsi, ita ut regere jam non norint, si regi desierint. Præcellit in *Potestatibus* fortitudò, sed cui debent quòd fortes sunt, & aliter est fortis, & plus. Nec tamen fortis quàm ipsa fortitudo est. *Virtutes* pro suo ministerio & potentatu satagunt excitare corda torpentia hominum innovatione signorum. Virtus verò in ejs manens ipsa facit opera. Faciunt & illæ, sed in comparatione ejus non faciunt. Deniquè tantùm interest, ut quasi singulariter Propheta dicat
Psalm: 76. ad eum: *Tu es DEUS, qui facis mirabilia.* Et idem de eo: *Qui*
Psalm: 135. *facit mirabilia magna Solus.* Adsunt *Angeli & Archangeli*, sed ille germanior nobis, qui non modò adest, sed inest. *Hactenus S. Bernardus.*

Actus & Affectus Anogogici.

CRedo Domine facere Te *Angelos tuos Spiritus, & ministros tuos flammam ignis: Millia millum Angelicorum Spirituum ministrare, tibi & decies centena millia assistere tibi :* Te *esse Dominum Exercituum.*

Spero Domine cum gratia tua Angelicam vitam me imitaturum: & in societate illorum me futurum, ubi utinam amore Seraphico Te *æternùm diligam.*

DEUS meus, si adeò præcellens, stupenda, amanda est natura, gratia, gloria Angelorum; O quantùm mihi es admirabilis, amabilis, laudabilis Author omnium horum! Angeli enim sunt signacula similitudinis tuæ maximè expressiva & repræsentativa.

Adoro,

Adoro, amo, magnifico Tuam Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, quâ valuisti & voluisti Te summum Bonum nobilissimo modo communicare Angelicæ creaturæ.

Gratias tibi ago pro bonitate tua profusissima in Angelicam creaturam.

Fecisti me Domine similem Angelis in anima & gratia: Sed heu! quantùm defeci ab hac similitudine. Illi enim semper innocentes, & impetu amoris in Te ferventissimi: Ego verò infelix peccator frigidus fui toties in amore Tui. O indignitatem! O vilitatem meam!

Obsecro Domine fac me Angeli in morem vivere in puritate, in amore & cultu Tui indefesso.

SECTIO III.

DE ESSENTIA DEI, ET EIUS PERFECTIONIBUS, VIA NEGATIONIS, ET PRÆSTANTIÆ, CONTEMPLANDIS, IN TERTIA HIERARCHIA CONTEMPLATIVORUM.

HÆc Sectio continet Tertiam Hierarchiam quòad objectum Contemplationis, nempe DEUM Ter Optimum Maximum in seipso, viâ negationis, & præstantiæ, contemplandum: sicut in præcedentibus Hierarchiis, eum in Creaturis, & ex Creaturis, contemplati sumus. Hinc primâ Subsectione de Contemplatione Negationis; 2dâ de Contemplatione Præstantiæ agemus.

SUBSECTIO I.

DE CONTEMPLATIONE DEI IN SEIPSO VIA NEGATIONIS.

EJusmodi Contemplationi per viam Negationis DEUS proponitur in ratione Objecti sub prædicatis & perfectionibus Negativis, tollentibus imperfectiones à prædicatis de DEO affirmativis: Mens enim humana pro sua imperfectione & à phantasmatibus dependens, quidquid de DEO concipit, imperfectè

perfectè concipit: quia concipit ejus Essentiam, Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, Pulchritudinem &c. instar alicujus creatæ essentiæ, potentiæ, sapientiæ, bonitatis, pulchritudinis &c. & quasi limitatè, finitè, mensuratè, comprehensibiliter, effabiliter &c. Licèt qualescunquè sibi formet imagines & rationes infinitatis, immensitatis, &c. Unde ad puriorem DEI conceptum formandum oportet cogitare *DEUM Nihil esse Creaturarum* existentium, vel possibilium, id est, ut ejusmodi sit quidditatis, quantitatis, qualitatis, &c. qualis sunt vel possunt esse creaturæ.

S. Dionysius in Myst. Theolog. cap. 4.

In quo sensu audi eximium DEI Contemplatorem S. Dionysium hæc proferentem: *Dicimus ergo, Causam omnium & quæ omnia superat, nec essentiâ, nec vitâ carere; nec rationis, nec mentis expertem esse; nec corpus esse; nec figuram, nec formam; nec qualitatem, nec quantitatem, nec magnitudine esse præditam, nec in loco esse, nec cerni, nec sensum tangendi habere, nec sentire, nec sub sensum cadere; nec ordinis vacuitatem habere, nec perturbationem à perturbationibus corporeis agitatam: nec imbecillem esse, nec opportunam incommodis quæ accipiuntur sensibus: nec egere luce: nec mutationem aut interitum, aut divisionem, aut privationem, nec quicquam aliud eorum quæ sub sensum cadunt, vel esse, vel habere.*

Et cap. 5. ait: *Rursum ascendentes profitemur eundem nec animum esse; nec mentem, nec visionem, aut opinionem, vel rationem, vel mentis notionem habere: nec rationem esse, nec mentis perceptionem: nec intelligi, nec numerum esse, nec ordinem, nec magnitudinem, nec parvitatem, nec æqualitatem, nec dissimilitudinem: nec stare, nec quiescere, nec vim habere, nec vim esse, nec lucem esse, nec vitam, nec essentiam esse, nec æternitatem, nec ejus esse aut tactionem, quæ mente fiat, aut scientiam: nec veritatem esse, nec regnum, nec sapientiam, neque unum, nequè unitatem, nequè Divinitatem aut bonitatem: nec Spiritum esse, ut nos scribimus, nec Filii aut Patris rationem: nec aliquid eorum, quæ nobis aut cuiquam naturæ sunt cognita; nec quicquam esse eorum, quæ non sunt, nec aliquid eorum quæ sunt: nec ea quæ sunt, eam noscere quatenus est; nequè eam cognoscere ea quæ sunt, qua ex parte sunt; nequè ejus rationem esse, nequè nomen, nequè scientiam; nec eam tenebras esse, nec lucem, nec errorem, nec veritatem: nec esse ejus affirmationem omnino, nec negationem, sed eorum quæ illam sequuntur.*

Affirma-

Affirmationes negationesquè facientes, eam nec dicimus esse, nec negamus: quippe cùm & omnem affirmationem superet perfecta illa & singularis Causa omnium: & omni negatione superior sit Præstantia ejus, qui & ab omnibus omnino secretus est, & universa multùm superat. Hæc S. Dionysius.

§ Imus.

Dn Infinitate DEI.

VErùm ad DEI Negativa Attributa in particulari contemplanda descendamus, usi duce *Lessio* hoc in passu, ad intentum Theologiæ Spiritualis appositissimè accommodante suum luculentum, solidum, & pium discursum de Infinitate, Incomprehensibilitate, Immensitate, Immutabilitate, Æternitate DEI. Et quidem infinitatem DEI quod attinet, de ea hunc in modum disserit. Infinitum in ratione entis est infinitum absolutè, & omnibus modis infinitum; quia totam entis amplitudinem, *Lessius de perfect. Divin. lib. I. c. I.* quæ in infinitum & sine termino excurrit, in se continet, ejquè se exæquat, adeò ut nulla perfectio in tota entis amplitudine concipi possit, quæ in illo vel formaliter, vel eminenter, non contineatur.

Et Paulò infrà: His positis, dicimus DEUM esse absolutè infinitum; quia scriptura Divina ipsi tribuit absolutam infinitatem. Psalm: 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Et Baruch. 3. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Deniquè eadem infinitas insinuatur, ubicunquè scriptura extollit ipsius *magnitudinem*, vel *immensitatem*; hæc enim loca intelligenda sunt de infinitate absoluta quoad omnia, & non tantùm in certo genere: nimirum illum ita esse magnum in majestate, potentia, sapientia, omniquè perfectione, ut nihil majus cogitari possit, etiamsi quis sine fine majora, & animo concipiat. Si enim aliquid majus cogitari posset jam respectu illius non magnus esset DEUS, sed parvus. Unde non esset absolutè nec perfectissimè magnus, ut scriptura intendit; sed solùm respectu aliquorum: nequè verum esset; *quòd ejus magnitudinis non sit finis.*

Porrò *Magnum* in scriptura cùm DEO tribuitur, non solùm significat magnitudinem extensionis per omnia spatia; sed cujuslibet perfectionis, ut Sapientiæ, Potentiæ Majestatis, Naturæ &c.

Nam in omnibus quoad omnia DEUS magnus est & immensus. Unde ad unam vel alteram perfectionem restringi non potest: præsertim cùm omnia quæ DEO tribuuntur, κατ' ἐξοχὴν & ὑπεροχικῶς accipienda sint, ut passim S. Dionysius docet. Præterea eadem veritas insinuatur in Scripturis, ubicunq; DEUS dicitur *Omnipotens*. Si enim omnia potest, omnia in ipso continentur omnisq; rerum perfectio in ipso præexistit: omnis enim perfectio effectuum præexistit in causa, vel formaliter, vel eminenter. Si omnis rerum perfectio in ipsius potentia continetur, etiam continetur in essentia, cùm potentia non distinguatur ab essentia. Ipsa enim essentia, quatenus est productiva rerum, dicitur potentia, non solùm in DEO, sed etiam in rebus creatis: & quamvis nostro modo concipiendi ponatur distinctum attributum, hoc non refert; quia concipitur ut quodammodò manans ab essentia; & ita tota ejus vis est ex essentia.

Cap. 1. 2. 5. de Divin. nom.

Neque solùm ex infinitate potentiæ rectè colligimus absolutam infinitatem essentiæ, sed etiam ex infinitate cujuslibet attributi. Sapientia enim, justitia, misericordia infinita non est accommodata vel commensa nisi essentiæ infinitæ. Debet enim esse proportio inter essentiam & attributa, sive inter hæc sit aliqua distinctio formalis, ut quidam volunt, sive non sit. Parimodo ex essentiæ infinitate optimè colligimus infinitatem attributorum, quia essentiæ infinitæ non respondent, neque commensa sunt attributa perfectionis finitæ. Ut omittam quòd attributa nostro modo concipiendi manent ab essentia, vel potiùs per ipsam simplicem essentiæ rationem DEO competant. Deniquè eadem infinitudo insinuatur Exodi 3. ubi Dominus Moysi roganti Nomen DEI respondit: *Ego sum qui sum.* Vel ut LXX. vertunt: Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, *Ego sum qui est*. Et paulò pòst: *Sic dices ad eos*: Ὁ ὤν *Qui est*, *misit me ad vos*. Hic DEUS vocat se, *Qui est*; tum quia sempiternè est, tum quia in ipso est plenitudo Essendi, & ab ipso omne Esse descen-

descendit, quasi dicat: Ego sum is, qui nunquam incæpit, nunquam desinet, nunquam mutabitur; sed sempiternè & immutabiliter est, & omne Esse plenissimè continet & præhabet; & à quo omne Esse descendit: ut exponit Dionysius de Divinis nominibus cap. 5. Infinitudo itaquè Divinæ essentiæ, est omnis perfectionis & entitatis simplicissima & eminentissima complexio. *Dico omnis perfectionis*, non solùm increatæ, sed etiam creatæ. Quidquid enim est bonitatis, pulchritudinis, perfectionis, entitatis in creaturis, id totum multò perfectiùs & copiosiùs continetur in DEO. Unde meritò D. Gregorius Orat. in natali: de DEO loquens, ait: *Universum esse in seipso nunquam inceptum, nunquam desiturum, complexus continet, tanquam infinitum quoddam & interminatum essentiæ pelagus:* optimè *pelagus essentiæ*: quia infinita essentiarum, specierum, & perfectionum multitudo & varietas ibi reperitur, & eminentissimè continetur. Ob eandem causam à veteribus Philosophis vocatus est DEUS *Universum* ut docet Eugubinus de perenni Philosophia lib. 3. cap. 4. quia universa quæ aliquo modo Esse participant, complectitur. Et in oraculo illo, *Magnus Pan mortuus est* (cujus meminit Plutarchus in lib. de Oraculorum defectu) Christus vocatur *magnus Pan*; ut quidam volunt, quia est omnium Dominus, & omnia in se continet: etsi alii aliter illud intelligant. Eodem juxta multorum interpretationem pertinet illud quod Dominus ait Moysi Exodi 33. *Ego ostendam omne Bonum tibi*, nimirum quia in DEO sunt omnia. Pulchrè in hanc sententiam Gregorius Nazianzenus in quodam carmine: *In Te Omnia permanent, ad Te confestim festinant omnia. Tu omnium finis, Tu unus, & omnia, & nihil rerum. Cùm nequè unum sis, nequè omnia, quem Te appellem, Qui solus innominabilis, & omninomius?* Dicitur esse *omnia* quia omnia in ipso continentur, ita ut sit omnia formaliter, vel eminenter. Dicitur esse *Nihil rerum*, quia est supra omnia, quæ à nobis concipi possunt. Simili modo dicitur *Innominabilis, & Omninomius.* Etsi enim plurimis nominibus appelletur; ut à nobis aliquo modo concipi possit, nullum tamen nomen, nullaquè conceptio nostra illum exprimere potest, prout est in seipso.

Simplicissima conplexio. Non enim ficut mundus complectitur omnem perfectionem rerum creatarum per diversas sui particulas & formas: ita DEUS per aliquam diversitatem formarum vel partium continet omnia, sed per unam simplicissimam rationem suæ DEItatis, per quam est omnia formaliter vel eminenter. Nam per rationem suæ DEItatis non solùm est DEUS, sed etiam est Omnipotentia, Bonitas, Sanctitas, Justitia, Misericordia, Immensitas, , Æternitas. Deinde per eandem continet omne bonum Angelorum, & hominum, & totius creaturæ, non solùm existentis, sed etiam possibilis. Plurimis id locis tradit S. Dionysius Areop. nam lib. de Divinis nom. c. 5. ita scribit. DEUS non quovis modo est ens, sed simpliciter & incircumscriptè, totum esse in se pariter complexus & anticipans.)) Quia priusquàm haberent esse in seipsis, habebant esse in DEO.)) Et cap. 3. *Unum dicitur, quia est omnia unicè* (seu simplici modo) *secundùm excellentiam unius unitatis:* id est, est omnia per eminentissimam unitatem & simplicitatem suæ essentiæ. Et infrà: *In qua* (unitate Divina) *omnia unicè sunt conjuncta, superunita, & præexistentia superessentialiter*. Et S. Anselmus: *Quidquid igitur*, inquit, *eorum de illa dicatur, non qualis vel quanta, sed magis quid sit monstratur. Sed palàm est, quia quodlibet bonum summa natura sit, summè illud est. Illa igitur est summa essentia, & summa vita, summa ratio, summa salus, summa justitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa æternitas, summa potestas, summa unitas*. Et cap. 16. demonstrat, quòd DEUS sit hæc omnia per unam simplicem rationem & considerationem: *Cùm igitur illa natura nullo modo composita sit, & tamen omnimodò tot illa bona sit; necesse est ut omnia illa non plura, sed unum sint. Idem igitur est quodlibet unum illorum, quod omnia sunt simul, sive singula; ut cùm dicitur justitia vel essentia unum significat, quod alia vel omnia simul, vel singula*. Omnia itaquè attributa sunt in DEO una simplicissima ratio: & quodlibet ut est in DEO, essentialiter continet aliud; & omnia simul; & ipsa essentia intimè & formaliter includitur in ratione singulorum.

S. Anselmus in Menologio cap. 15.

Idem cap. 16.

Explicat id exemplo à contrario: *Secundùm aliud, inquit homo est corpus, & secundùm aliud est rationale, & singulum horum non est totum, quod homo. Illa verò summa Essentia nullo modo sic est aliquid, ut illud idem secundùm alium modum aut considerationem non sit: quia quidquid aliquo modo essentialiter est, hoc est totum, quod ipsa est.* Hactenus ex Lessio.

Modus apprehendendi Infinitatem DEI ex Lessio de Perfect: Divin: Lib, 1. Cap. 5.

MUltum interest ad fructum colligendum ex consideratione Infinitatis DEI, ut quis amplo & illustri modo possit eam menti obiicere, & cum rerum creatarum angustiis conferre. Hoc ut meliùs fiat, considerandum est triplex intervallum infinitum inter DEUM & hominem quemlibet.

Primum est inter singulos homines, & totum genus humanum, non solùm quòd aliquando existet, sed etiam quòd cogitatione fingi potest. Excedit enim tota illa multitudo singulos homines, & numero, & loco, & æstimatione infinitè: quid obsecro est anima una in tam immensa creatura?

Secundum est inter totum genus humanum, & totam multitudinem creaturæ rationalis possibilem. Cùm enim secundùm certam DD. sententiam Angelorum species DEO possibiles infinitâ serie excurrant, idque assiduè crescendo in perfectione, sicut crescunt species numerorum sinè fine; & sub singulis infinita sunt individua; quid est totum genus humanum, quod infimum locum tenet, ad illam infinities infinitam & in infinitum perfectiorem Angelorum multitudinem? Sanè non est tanti, quanti una arenula ad montem immensum.

Tertium est inter totam illam creaturæ possibilis infinitam congeriem & DEUM. DEUS enim totam creaturæ possibilis præstantiam & æstimationem superat infinities infinitè. Primò, quia natura sua infinitè est excellentior. Nam tota creatura ad ipsum, est sicut imago picta ad exemplar; sicut character aquæ vel potiùs vacuo impressus, ad sigillum;

sicut umbra ad solem. Unde etiamsi tota creatura possibilis simul existeret, nihilominùs DEO radium sui influxus subtrahente, statim in nihilum evanesceret, nec usquam ejus maneret vestigium. Secundò, quia quidquid in tota illa multitudine sparsim habetur boni, id totum in DEO est collectum in simplicem unitatem, omni impuritate & imperfectione detersa; ac proinde sine omni limitatione. Itaquè cùm in DEO sit absquè limitatione quam habebat in creatura, erit in eo infinitè melius quàm in creatura.

Alio modo potest concipi hæc infinitudo per quandam abstractionem: sicut enim humana natura abstracta ab individuis more Platonico apprehenditur ut quidquid infinitum secundùm illam speciem (utpote æquivalens infinitis individuis, & infinitis communicabile) ita ipsum *Esse* abstractum ab omnibus entibus per modum formæ, & per se subsistens, apprehenditur ut infinitum absolutè in genere entis; cùm ipsius Esse communione, omnia quæ sunt, rationem entis habeant. Hoc modo sæpè D. Thomas, & D Dionysius vocant DEUM, *ipsum Esse*; quia est veluti forma quædam abstracta, & separata ab omni ente limitato, per se subsistens, cujus communione & veluti attactu, omnia quæ sunt, essentiam & esse accipiunt.

S. Thom. 1. p. q. 3. a. 2. ad 3. & q. 7. a. 1. ad 3. q. 44. a. 1. in corp. S. Dionys. c. 5. de Divin. nom.

Praxis colligendi fructum ex Contemplatione de Infinitate DEI.

IS fructus juxta *Lessium* quadruplex est. *Primus est*, ut summa reverentia & humilitate cum DEO agamus, & coram ipso ambulemus. Quò enim major Princeps cum quo nobis loquendum vel versandum est, eò majorem ei reverentiam & submissionem exhibemus. Itaquè cum DEI Majestas & excellentia per omnia sit infinita, infinita quoquè reverentia, honore, & submissione dignus est. Quæ cùm à creatura præstari nequeant, convenit ut saltèm præstet summam, quam commodè potest, præsertim in oratione, quando cum ipso loquimur, & salutis nostræ causam agimus; sed potissimùm in Sacrifi-

Sacrificio Missæ, ubi infinitæ illi Majestati, infiniti pretii & immensæ dignitatis Hostia offertur. Porrò ad reverentiam DEI excitandam duæ considerationes concurrere debent, nimirum excellentiæ DEI, & nostræ vilitatis comparatione factâ ad DEUM. De cujus vilitatis cognitione vide fusè suprà dicta sub Cognitione suipsius 1. 2. Tract. 1. c 1. Sect. 4. Subs. 1. §. 7.

Secundus fructus est, ut DEUM supra omnia sincerissimâ charitate & benevolentiâ amemus; quia propter suam infinitam excellentiam infinitè dignus est omni bono, omni gloriâ, omni laude, omni cultu, omni veneratione, omni obedientiâ & obsequio. Quò enim quid est excellentius, eò dignius ut ei tribuatur omne bonum ipsi congruens: hoc autem fit per charitatem & benevolentiam. Hâc enim volumus alicui bonum, ut ei sit quàm optimè, quia dignus est tali bono. Hæc enim est justissima ratio cur talis benevolentia sit impendenda. Etsi enim possit impendi etiam indignis, tamen non debetur sicut iis, qui digni. Quare cùm DEUS sit infinitè dignus omni bono sibi congruente, infinita quoquè ei benevolentia & amor debetur.

Tertius est, ut DEUM supra omnia diligamus amore, ut sic dicam concupiscentiæ, sive ut eum super omnia desiderabilia desideremus; quia in ipso infinitè est, quidquid possumus concupiscere, ut nobis benè sit. In ipso est omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnis quies, omnes divitiæ, omnes thesauri, omnis nobilitas, omnis sublimitas, omnis majestas, omnis gloria, omnis sapientia, omnis potentia, deniquè vita æterna, & in hac quidquid mens potest boni concipere, & infinitè ampliùs.

Quartus fructus est, ut cognoscamus servitutem DEI esse nobilissimam, eamquè rebus omnibus etiam sceptris & imperiis anteponamus. Quò enim Princeps aliquis est major, eò nobiliùs est ei famulari, & obsequium præstare. Quare cùm DEUS infinitè sit præstantior omnibus Regibus terræ, infinitè quoquè nobiliùs est ei servire quàm alicui Principi hujus mundi. Imò longè præstantiùs & nobiliùs est servire DEO, quàm esse Monarcham totius orbis: sicut nobiliùs est esse

esse aulicum & familiarem potentissimi Principis, quàm esse pastorem ovium: longè præstantius est coniungi cum DEO, ab eoquè recipere Divina, quàm præesse rebus humanis, & humana in homines transfundere.

Actus & Affectus anagogici ex Lessio citato Cap. 7.

DOmine DEUS meus, DEUS magne & terribilis, DEUS immensæ Majestatis! Tu pelagus infinitum essentiæ, bonitatis & beatitudinis, omne esse, & omne bonum in Te concludens, & ab æterno eminenter anticipans, & præhabens, tanquam fons totius entitatis. Tu fundamentum possibilium omnium, esse superessentiale omnium quæ sunt, & quæ non sunt: sine quo non solùm nihil potest esse actu, sed nec potestate; nec ullam habere rationem conceptibilem, vel intelligibilem. Tu omnium principium, omnium finis, omnium conditor & formator, omnium sustentaculum, omnium locus, omnium ævum, duratio, terminatio, ordinatio, connexio, concordia, consummatio. In Te omne bonum Angelorum pariter & hominum, atque totius naturæ, quæ est, & quæ non est. In Te omnis gloria, & dignitas, omnes divitiæ & thesauri, omnes voluptates & consolationes, omnes deliciæ, omnia gaudia, omnes beatitudines. Tu DEUS meus & omnia mea, DEUS cordis mei, & pars mea, DEUS in æternum.

Vilescant mihi omnia transitoria propter Te, & chara sint mihi omnia tua; & Tu DEUS meus plus quàm omnia: quid enim sunt cætera omnia ad excellentiam bonorum tuorum? Fumus sunt, umbra sunt & vanitas omnes divitiæ & deliciæ, omnisquè gloria hujus mundi, quæ miserè oculos mortalium fascinant, ne vera illa bona, quæ in Te sunt cognoscere & persequi valeant. Et sicut qui dormiunt inani imagine divitiarum, voluptatum, & honorum delusi, nihil horum inveniunt cùm excitantur; sed cum dolore animi vident se miserè deceptos: ita accidet omnibus hujus mundi amatoribus, vitæ istius per mortem corporis discusso somno, mente in lucem alterius seculi expergiscente.

Nihil igitur illorum amem, aut æstimem, sed Te solum & bona tua, quæ in Te recondita, quæ Tu ipse es, quibus fruentur æternùm, qui hisce caducis contemptis, Tibi inhæserint. Amem Te supra omnia, & semper serviam Tibi: quia infinitè melior es omnibus, & dignus, ut omnis amor, omnis benevolentia, omnis benedictio, omnis gratulatio,

omnis gloria, omnis servitus tibi ab omni creatura in omnem æternitatem deferatur & impendatur.

§ 2dus.

De Incomprehensibilitate DEI ex Lessio de perfect. Divin. lib. 1. c. 2.

Ex Lessio de Perfection. Divin. lib. 1. c. 2.

COnsiderandum est, DEUM quatuor modis incomprehensibilem, *loco, tempore, intelligentiâ*, & *amore*. *Loco*; Quia nullus locus nullum spatium tam magnum cogitari potest, quin DEUS illud excedat, & extra reperiatur. *Tempore*; Quia excedit omnia tempora, utpotè ante omnia tempora, quæ mente concipi possunt, & omnibus temporibus in futurum posterior. *Intelligentiâ*; Quia nullus intellectus creatus potest ipsum comprehendere, sic ut nihil DEI illum lateat. *Amore*; Quia omnem amorem excedit, ita ut nulla mens creata illum pro dignitate amare possit. Omnes hi modi incomprehensibilitatis sequuntur ex ejus infinitate: sed nos hìc potissimùm agimus de tertio, quo DEus dicitur *incomprehensibilis* omni intellectui creato. Dico, omni *intellectui creato*. Nam suo intellectui DEUS non est incomprehensibilis, sed & perfectè (ut sic loquar) comprehensibilis.

Totam enim profunditatem & immensitatem Divinæ essentiæ exhaurit Divinus intellectus, eiquè se exæquat, & eam intra se concludit. Nam infinitum infinito non est infinitum, sed quasi finitum. Quod altâ mente intellexit S. Augustinus cùm ait: *Quapropter si quid, quod comprehenditur, scientis comprehensione finitur: profectò omnis infinitas quodam ineffabili modo finita est, quia scientia ipsius comprehensibilis ratio est.* *S. Augustinus lib. 12. de civit. c. 10.*

Porrò DEUM menti creatæ incomprehensibilem esse multis locis docet scriptura: ut cùm dicit, *illum incomprehensibilem cogitatu*. Et *incomprehensibilia esse judicia ejus*. Et *ipsum lucem inhabitare inaccessibilem*. Idem plurimis locis docet Dionysius, & maximè libro de Mystica: ubi totus est in eo, ut ostendat DEUM esse infinitè elevatum supra omnem essentiam, & supra omnem intellectum & cognitionem, omnesq; cognitionis terminos, & supra omne id, quod à creatura comprehendi potest; idq; *propter suam superessentialem* *Jerem. 32. Rom. 11. 1. Tim. 6.*

lem infinitatem: sic enim loquitur lib. de Divinis nominibus cap. 1. Idem docet S. Chrysostomus lib de incomprehensibili natura DEI: & Damascenus lib. 1. de fide cap. 2. & alii omnes Patres & Theologi. Pulchrè Cyprianus libro quòd idola non sint Dii: *Mundi unus est Rector, qui universa quæ sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu major: & ideo sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.* Ubi etsi loquatur de comprehensione corporali, cùm ait; *tactu purior est*: tamen cùm dicit *inæstimabilem*; significat incomprehensibilem intellectu, & quâvis facultate spirituali.

Ratio est; quia ut DEUS dicatur comprehendi, seu comprehensivè videri, necesse est ut tam perfectè videatur, quàm visibilis est, adeò ut perfectio visionis exæquet perfectionem rei visæ, sic ut DEUS non excedat visionem quasi major, sed intra illam totus claudatur, & respectu illius non sit infinitus, sed quasi finitus, ut supra ex Augustino ostensum. Hoc autem fieri non potest, nisi visio illa absolutè sit infinita, sicut DEUS absolutè est infinitus: Atqui creatus intellectus cùm sit limitatus, non est capax visionis infinitæ: Ergo nullo modo potest DEUM comprehendere. *Confirmatur*; quia cùm DEUS sit infinitè visibilis (id est; nunquam lumine finito tam perfectè videri possit, quin possit perfectiùs, & ut ità dicam, profundiùs ac penitiùs) opus est lumine infinito, ut videatur quantùm visibilis est, & visio adæquetur objecto. Atquì creatus intellectus non est capax luminis infiniti, nec tale lumen creatum possibile. Idem suadetur hoc modo: DEUS est infinitè elevatus super omnem naturam creatam, etiam intellectualem: ac proinde nec videri quidem simpliciter potest, ut est in se ipso, nisi intellectus per lumen quoddam ordinis *Divini* (quod lumen gloriæ vocatur) infinitè elevetur. *Infinitè* dico: quia per lumen ordinis naturalis quantumvis magnum, nunquam ad illam celsitudinem poterit pertingere. Hâc elevatione positâ per lumen gloriæ, videbitur quidem DEUS utcunquè clarè, non tamen poterit comprehendi: quia cùm ulteriùs per omnia sit infinitus, est etiam infinitè, ut ità dicam, penetrabilis; Non enim

nim solùm est infinitè supra omnia elevatus, sed etiam in sua illa altitudine & elevatione stabiliter fixus permanens est (ut ita dicam) infinitè profundus, & infinitè latus. Infinitè profundus, quatenus ejus perfectio, est veluti intensivè infinita: Infinitè latus, quatenus ex vi perfectionis intensivæ se extendit ad infinitam entis latitudinem.

Itaquè ut perfectè tota vis ejus penetretur, debet ita cognosci ùt ad infinita se extendit, sic ut ex vi illius cognitionis distinctè, perfectè, & simul videantur omnes ipsius conceptiones, omnia consilia, omnia decreta, & omnia quæ ipse potest facere, vel decernere, vel permittere, vel impedire. Quæ cùm infinities infinita sint, & in infinito profundo lateant: non possunt quovis lumine gloriæ videri, cùm nec ad simplicem DEI visionem necessarium sit: sed vel requiritur lumen gloriæ infinitum, quod nequè esse potest, nequè à subjecto creato suscipi: vel certè requiritur lumen altioris ordinis, quàm sit lumen gloriæ, quale etiam dari non potest, cùm lumen gloriæ sit ordinis Divini ac planè supremi. Perspicuum est ergo DEUM à nulla creatura comprehensivè cognosci posse, & omnem visionem Beatorum, etiamsi clara sit, infinitè ab ipsius comprehensione vinci & distare.

Quam infinitam distantiam inter simplicem visionem & comprehensionem considerantes multi Patres insinuant, DEum uti in se est, à creatura, imò nec ab Angelis beatis videri posse, nimirum plenè, perfectè, comprehensivè. Omnis enim visio DEI etiam Angelica est imperfecta, & quasi per similitudinem respectu comprehensionis, quæ sola est completa DEI visio. Non enim ignorare poterant sancti Patres, Ecclesiæ lumina, doctrinam Catholicam clarè in scripturis expressam, nos in futura vita DEUM visuros clarè sicuti est, *facie ad faciem*, non *ex parte*, non in *ænigmate*, *sed sicut ab ipso cogniti sumus*, & *sicut ipse est.*

Chrysostomus Theodoretus Basilius Epiphanius Ambrosius Hieronymus Gregorius Nyssenus Matth. 5. & 18. 1. Cor. 13. 1. Joan. 3.

Actus & Affectus Anagogici.

Incomprehensibilis & ineffabilis DEUS, *gaudeo, quòd ipsi supremi spiritus in tuo conspectu quasi cæci sunt, vincis enim omnem scientiam illorum, nec ulla creatura Te nominare, sicuti es, aut comprehendere potest.*

Card. Bona via Compend. cap. 16. dec. 3.

test. Utinam saltem vires omnes intendam, & applicem ad Te diligendum, quandoquidem ad comprehendendum non sufficio.

Collector. *O pelagus infinitum omnis essentiæ & bonitatis, explens capacitatem penè insatiabilem appetitus rationalis, & in infinitum adhuc ei superabundans! gratulor mihi quòd Te habeam tantum Bonum meum, & potissimùm gaudeo & exulto, quòd Tu sis in Te ipso tantum Bonum.*

O Anima mea quid inutili imò perniciosâ cogitatione vagaris per creata? quid tibi immensum damnum felicitatis æternæ ex incuria amplioris Cognitionis DEI adscisceris? quid curiositate creaturarum & hic afflictionem & perennes poenas tibi procuras? O stultitiam! o ineffabilem dementiam meam!

O Infinita Bonitas DEUS! obsecro, tribue hic longissimo ævo vivere, & si possibile singulis momentis, per altissimos gradus clarioris cognitionis & ardentioris amoris Tui proficere, ut Te in æternitate cum Seraphim eò limpidiùs contempler, & ferventiùs diligam, laudem & benedicam; qui dignissimus es infinito amore, cultu, laude.

§ 3tius.

De Immensitate DEI.

Ex Lessio lib. de Perfect. Divin. 2. cap. 1.

IMmensitas nihil est aliud, quàm ubiquè & absquè termino sui in omnem dimensionem diffusio, non per partes, sed ut ita dixerim, per totalitates: quod insinuat Cyprianus lib. quòd idola non sint Dii cùm ait: *DEUS unus est, & ubiquè totus diffusus est. Ubiquè*, id est per totum mundum, & extra mundum per immensum vacuum, ut infra ostendetur. *In omnem dimensionem*; in longum, latum, profundum, sursum, deorsum, & in obliquum, secundùm nostrum modum apprehendendi loquor. *Non per partes*; si enim daretur corpus immensum, id quidem esset ubiq; & omnia occuparet loca imaginabilia, sed non esset in singulis locis totum, sed solùm per suas partes; in parvis quidem secundùm parvas, in magnis secundùm magnas; in indivisilibus solùm secundùm quid sui indivisibile. At non sic DEUS ubiquè est, sed per se totum; ita ut in omnibus punctis spatii individuis totam essentiam, potentiam, bonitatem, sapientiam, & omnem

omnem perfectionem, omnesquè suas opes & gaudia habeat: ità ut non sit major, aut potentior, aut beatior, aut liberior, in spatio immensò, quàm in puncto indivisibili *Diffusionem* intellige, non per aliquam ex arcto & contracto in amplum expansionem, sed per indivisibilem & continuam præsentiam, quà omnibus locis, spatiis, & rebus est intimè præsens: quæ continuata præsentia non nisi per modum diffusionis cujusdam à nobis exprimi vel concipi potest.

Porrò hæc immensitas apertè nobis traditur, in scripturis. Psalm. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Quibus verbis significatur non solùm immensitas extensionis, sed etiam infinitudo essentiæ: nam de magnitudine essentiæ, sublimitatis & majestatis loquitur. Et Psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, Tu illic es. Si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Ubi ostendit Propheta, nusquam possè constitui creaturam ubi jam non sit DEus, idquè confirmat, quia ipsa ubiquè debet ab ipso teneri & conservari in essè, Job. 11. *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? Longior terrâ mensura ejus, & latior mari.* Hic apertè insinuat: DEUM excedere omnem mensuram, & expandi in immensum, cùm superet ea, quæ mens concipit ut maxima. 2. Paralipom. 6. *Si cælum, & cæli cælorum non Te capiunt; quantò magis Domus ista, quam ædificavi?* (non te capit) Jeremiæ 23. *Nunquid non cælum & terram ego implebo dicit Dominus?* Et Apostolus ad Ephes. 4. *Unus DEUS & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Baruch 3. *O Israel, quàm magna est domus DEI, & ingens locus possionis eius! magnus est; & non habet finem, excelsus & immensus.* Quasi dicat; cùm ipse immensus est, domus quoquè ejus immensa esse debet. *Quarè ipse sibi ante omnia erat & mundus, & locus, & omnia*; ut contra Praxam c. 5. dixit Tertullianus. Eadem immensitas significatur Isaiæ 66. *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Si cælum sedes DEO, extat ergò toto, ut ita dicam, pectore supra cælum. Hunc locum pulchrè prosequitur Petrus Damianus Epist. 4. c. 6. Eadem immensitas videtur insinuari ab Apostolo cap. 3. ad Ephes: cùm

ait: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & sublimitas, & profundum.* Sic locum istum exponit Ambrosii Commentarius. Nos enim DEI immensitatem, nisi per dimensiones illas concipere non possumus. Simili modo exprimitur Job 11. & Psal: 138 ut videre est in locis jam allatis, ad quæ loca videtur Apostolus respexisse. Maximi refert ad perfectionem vitæ, & inprimis ad reverentiam tantæ Majestatis, & ad internam cum illa conjunctionem, & consuetudinem (ūt quæ nobis sit intimè præsens & conjunctissima) magnitudinem & immensitatem ejus firmiter animo concipere, & veluti ante oculos positam habere. Idcirco Apostolus optat, ut Ephesii eam cum omnibus Sanctis & viris perfectis animo comprehensam teneant. Possunt tamen etiam esse alii illius loci sensus, inter quos mihi maximè placet iste: ut *Longitudo* sit DEI longanimitas & patientia, quâ tot seculis sustinuit peccatores, expectans eos ad pœnitentiam: *Latitudo* sit ejus charitas, quâ omnes gentes etiam inimicos complectitur: *Sublimitas*, gloriæ celsitudo, quam diligentibus se præparavit: *Profundum*, damnatio & miseriarum abyssus impiis præparata.

Eandem veritatem tradunt passim SS. PP. Dionysius de Divin. nom. cap. 9. *Magnus appellatur DEUS secundùm sibi propriam magnitudinem, quæ magnis omnibus de se communicat, & omni magnitudine extrinsecùs superfunditur, & supra expanditur, omnem complectens locum, omnem excedens numerum, omnemquè transiliens infinitatem.*

Hìc varias assignat causas, cur DEUS dicatur Magnus. Primò, quia omnis magnitudinis causa: omnia enim magna, ipsius largitione habent, quòd magna sint: at propter quod unumquodquè tale, illud magìs. Secundò, quia non solùm magnis omnibus coextenditur, sed etiam extrinsecus sine termino supracircumfunditur & expanditur: sicut lumen circumfunditur pilæ vitræ ad solem pendenti. Tertiò, quia omnem ambit locum, intellige non solùm verum (id enim etiam cælum extimum vel ejus convexa superficies facit) sed etiam imaginarium, quantumvis magnus extra cælum locus cogitetur. Quartò, quia omnem excedit numerum; nam & numero

meri magni dicuntur. Hanc numerorum magnitudinem excedit magnitudine potentiæ, sapientiæ, bonitatis,& extensionis: plura enim potest, plura novit, pluribus æquivalet, pluribus coëxistere, & coëxtendi, ac plura intra sinum amplitudinis suæ admittere potest, quàm numero aliquo quantumvis magno possint comprehendi. Quintò, quia omnium transit infinitatem. Est autem infinitas quinduplex. 1*mò* in substantiis, quatenus species rerum excurrunt in infinitum, aliæ aliis ,sine termino perfectiores , sicut numeri absquè termino sunt, alii aliis majores. 2*dò* In magnitudine. 3*tiò* In duratione. 4tò In numeris. 5*tò* In qualitatibus, & in perfectione intensiva. Hanc omnem infinitatem DEUS suâ magnitudine transit, sese illi veluti coëxtendens, & superextendens, eamquè intra se complectens, & totam ambiens ; complectitur enim in se, & superat omnem dimensionem, omnem æternitatem, omnem multitudinem, omnem perfectionem intensivam, imaginabilem, & omnes rerum species sub multis generibus substantiarum, & qualitatum, in infinitum excurrentes S. Athanasius in symbolo usu Ecclesiæ approbato : *Immensus Pater, immensus Filius immensus Spiritus Sanctus ; addit ; non tamen tres immensi, sed unus immensus* ; nimirum quia una est & eadem trium Personarum immensitas. Athenagoras oratione pro Christianis : *DEUS est ingenitus, & omnia quæ ipsius sunt : mundum verò ità excedit, ut impleat undequaquè quidquid supra ipsum est, nec locum ullum se vacuum relinquat.*

S. Gregorius lib. 2. mor. cap. 12. *Ipse manet intra omnia, ipse supra omnia, & infra omnia ; superior per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem, sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interiùs penetrans, nec aliâ parte superior, aliâ inferior, aut aliâ parte exterior, aliâ interior, sed unus & idem, totus ubiquè, præsidendo sustinens, & sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans.* Pulcherrimè & verissimè. S. Isidorus lib. 1. de sum. bono cap. 2. *Immensitas Divinæ magnitudinis ita est, ut intelligamus eum intra omnia, sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum ; & ideo interiorem, ut omnia contineat, ideo exteriorem, ut circumscriptâ magnitudinis suæ Majestate omnia concludat. Per id ergò quòd est exterior, ostenditur esse*

Creator

Creator; per id quòd interior, gubernare omnia demonstratur. Omitto alios.

Idem ratione convinci potest. *Imò*, Si enim non esset immensus, posset eò aliquid majus cogitari, id est, aliquid patentius magisquè in omnem partem expansum & diffusum. *2dò*, Posset aliquid esse extra DEUM; Sicut si mundus haberet animam, posset aliquid esse extra animam mundi, quod ab ea non foveretur, aut conservaretur. *3tiò*. Si non esset immensus, deberet poni commensus mundo; quia nulla convenientior mensura extensionis, ei tribui potest: Sicut anima est commensa suo corpori, nimirum quia est tota ubi est aliquid corporis, non ultra, non extra, non citra. *4tò*. Poterit moveri loco, & incipere esse in spatio, ubi nunc non est; sicut mundus potest loco moveri per immensum inane ad quodvis punctum quantumvis distans à superficie convexa cæli; & deserere locum, ubi nunc est. *Locum* verò non quantitatem, sed designationem & situm, à quo res esse dicitur hic, ibi, illic, isthic, qualis est etiam extra cælum, & ubicunquè aliquid creari potest. At hæc omnia quàm sint incongrua Divinitati satis constat, tum ex scripturis allatis, tum ex ipsa Divinitatis notione, quam omnes ità concipiunt, ut nihil extra illam, quod ab illa non penetretur & ambiatur, cogitari queat, cùm omnia ab illa essentiam dependentiam habeant, multò magìs quàm notiones animi ab anima; & forma aquæ impressa a sigillo imprimente. Ratio à priori, nostro modo concipiendi est, quia cùm sit infinitus substantiâ & entitate, debet etiam esse infinitus quantitate seu extensione: sicut quantitas sive extensio sequitur entitatem rei, ita modus quantitatis, modum entitatis. Quarè cùm entitas sit modinescia & infinitalis etiam erit extensio; ac proinde immensa. Ex hac immensitate provenit, ut DEUS dicatur *esse ubiquè, & illocabilis, & incircumscriptus. Ubiquè* enim esse dicitur, quia substantialiter præsens est omni loco, omni spatio, & omni omnino rei existenti, ita ut nulla omnino res sit, quantumvis parva vel vilis, intra quam DEUS secundùm essentiam suam totus non reperiatur præsens; nec ullus possit designari locus vel spatium, sive intra mundum, sive extra, ubi similiter ipse totus totaquè

ejus substantia præsens non existat. Dicitur: *illocabilis*, quia nullo loco vel spatio circumscribi potest. Quantùmvis enim magnum spatium cogitetur, non minus est extra illud quàm intra: quam ob causam incircumscriptus dicitur: sic S. Athanasius in rescripto ad Liberium dixit, *DEUM esse incomprehensibilem loco.* Et Damascenus lib. 10. de fide cap. 16. dicit *DEUM esse incircumscriptum, & non esse in loco, sed ipsum sibi esse locum.* Quod intellige de loco, quo circumscribatur, in tali enim loco non est: aliâ tamen ratione nimirum ob præsentiam substantialem, dicitur esse in omni loco.

DEUM ratione suæ Immensitatis esse etiam extra mundum in immenso spatio.

ITa *Lessius* prosequitur dicens: Ex supradictis testimoniis & rationibus apertè colligitur DEUM non solùm esse in hoc mundo, sed etiam extra mundum per immensa spatia diffusum; sicut lumen quoddam non solùm totum occupans mundum, sed extrorsùm in omnem partem se absquè termino extendens. Sicut enim coëxistit non solùm durationi hujus mundi, sed etiam infinitæ durationi, quæ hunc mundum antecessit: ita etiam coëxtenditur non solùm spatiis hujus mundi, sed etiam immensis intervallis, quæ sunt extra mundum, nimirum simul & semel omnia locorum & temporum intervalla occupans & adæquans. Unde sicut ante mundum nullum potest signari momentum, quantumvis à principio mundi distans, in quo non sit DEUS: ita extra mundum nullum potest fingi animo punctum, quantùmvis à mundo remotum, vel disjunctum, ubi plenissimè cum tota sua majestate, potentia, & gloria non sit DEUS.

Lessius de Div. Perfect. lib. 2. cap. 2.

Porrò talia puncta signari posse absquè falsitate non videtur dubitandum. Posset enim DEUS à parte cæli convexa extrorsùm extendere funem ad quamvis distantiam; v. g. ad 1000. leucas, & ad illud punctum movere mundum hunc; vel ibi creare aliquam creaturam, vel alium mundum, qui distet ab hoc mundo 1000. leucis. Idem dicendum de quavis alia distantia. Ergo ibi reverâ est. Ubi enim potest operari, ibi na-

turâ priùs oportet esse præsentem. Sicut enim operari supponit esse ita operari hìc, supponit esse hìc, nisi fingamus è longinquo virtutem emittere, & per medium diffundere, sicut sol calefacit inferiora; quod est absurdum de DEO imaginari. Oritur enim iste modus operandi ex eo, quòd causa sit limitata, nec possit per se adesse. Unde proximè aliquid producit per quod veluti per quandam manum & virtutem à se diffusam usq; ad effectum continuetur, & se extendat. Unde quò longiùs procedit, eò hic modus operandi est imbecillior. Denique nullum ibi est subiectum in quo virtus diffusa recipiatur, neque probari potest aliquid agere posse in distans, nisi agat etiam in medium, producendo in illud aliquid subserviens actioni distanti. *Confirmatur*, Quia si ibi non esset, posset eò moveri; nam mundus eò moveri potest, & sic DEUS acquireret novum situm, novum *ubi*, quod est contra ipsius immutabilitatem.

Dices, quomodo est in spatiis illis extra cælum, cùm ibi nulla sint spatia, nisi fictitia & imaginaria? *Respondeo* negando, non esse ibi ulla vera intervalla aut spatia. Sicut enim si aër esset diffusus in immensum, vel lumen per se subsistens esset immensum; verissima ibi essent spatia: ità si spiritus aliquis sit in immensum diffusus extra mundum in omnem partem, erunt vera & realia spatia, non corporalia, sed spiritalia, etsi inter se non realiter distincta, quia spiritus non diffunditur per partes, sed per suas (ut ità dicam) totalitates. Quarè cùm DEUS sit immensus, & in immensum diffusus, etsi non sint ibi ulla intervalla creata aut corporalia, sunt tamen increata & spiritalia, quibus tamen corporalia possunt coëxtendi, quæ non nisi ratione ab immensitate DEI distinguuntur. Ipsa enim immensitas Divinæ substantiæ & sibi & mundo sufficiens est spatium & intervallum, capax omnis naturæ creabilis tam corporalis quàm spiritalis. Sicut enim essentia divina est primæva essentia origo & fundamentum omnis essentiæ & entis conceptibilis ità immensitas divina est primum & intimum intervallum seu spatium, origo omnis intervalli, & spatium omnium spatiorum, locus omnium locorum, sedes & basis primordialis omnis loci & spatii. Indicat hoc Arnobius lib. I. adversus

gentes

gentes cùm ait : O *maximè ! ô summe rerum visibilium & invisibilium Procreator* &c. *Prima enim Tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum quæcunque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis & c.* Hìc apertè dicit DEUM esse *locum ac spatium* rerum. Et Dionysius cap. I. de Divinis nominibus dicit DEUM esse *custodiam & domicilium omnia conservans & continens.* Et cap. 10. dicit esse *sedem & fundum, in quo omnia firmantur & recumbunt.* Itaquè quando dicimus DEUM esse extra mundum, per infinita spatia diffusum, aut esse in spatiis imaginariis, non volumus dicere DEUM esse in aliqua re fictitia veluti in Chimera, vel esse in aliquo spatio re à se distincto ; sed esse in spatio, quod ipsius immensitas formaliter extendit. Cui infinitum spatium creatum potest coëxtendi. Sicut enim mundus non est in aliquo spatio creato præterquam in sua intrinseca quantitate & extensione : ità DEUS non est in aliquo spatio reali, præterquam in eo quod ipsius immensitas constituit, in quo etiam veluti priore & intimo spatio est ipse mundus & tota ejus extensio. Quarè triplex spatium distingui potest, creatum, increatum, & imaginarium. *Creatum* constat extensione corporali, quali extenditur quaquaversum mundus. *Increatum* est ipsa DEI immensitas : Hæc est primum, intimum, & fundamentale spatium, cui omne aliud spatium innititur. *Imaginarium* est quod mens nostra non valens aliter concipere DEI immensitatem, imaginatur. Sicut enim non possumus concipere DEI æternitatem, nisì imaginando tempus infinitum; ità nec DEI immensitatem, nisì concipiendo spatium infinitum Quarè cùm DEUS dicitur esse in spatiis imaginariis, nihil aliud significatur, quàm illud revera existere, ubicunquè animo spatium aliquod fingi potest.

Hæc Sententia est verè DEO digna, & omnes tollit difficultates quæ contra illud spatium obici solent. Hoc significant Patres, dum dicunt DEUM ante mundum aut extra mundum non fuisse, aut esse, nisì in semetipso, sic Tertull. contra Praxeam cap. 5. *Ante omnia erat DEUS, solus ipse sibi & mundus, & locus, & omnia.* Minulius Felix in Octavio, *Palàm est Parentem omnium DEUM nec principium habere nec terminum, qui*

ante mundum fuerit sibi ipse pro mundo &c. S. Augustinus in illud Psal 122. *Qui habitas in cælo* &c. *Sed dicet aliquis. Antequam faceret DEUS Sanctos ubi habitabat? In se habitabat DEUS, apud se habitabat, & apud se est DEUS.* S. Bernardus lib 5. de consideratione: *Non est, quod quæras ultrà, ubi erat* (nimirum ante mundum) *præter ipsum nihil erat, ergò in seipso erat.* Quæ loca intellige non tantùm de existentia objectiva, quæ erat in suo intellectu, sed etiam de existentia naturali in sua immensitate, veluti in spatio sibi accommodato. Nequè hæc & similia testimonia Patrum repugnant sententiæ eorum, qui dicunt DEUM esse in spatiis imaginariis, ut quidam volunt. Non enim mens eorum est, DEUM esse ibi tanquam in aliquo reali à se distincto, aut id quod imaginatione solâ est, posse realiter continere DEUM: sed tantùm volunt tali modo loquendi & concipiendi clariùs & distinctiùs explicare immensam DEI diffusionem, quæ se extendit ad omne punctum & spatium, quòd mens extra cælum fingere potest. Et sanè mirum est hanc sententiam impugnari, cùm illi ipsi, qui aliter sentire videri volunt, fateantur DEUM esse præsentem in omni puncto, quòd extra cælum mens potest designare, nè cogantur fateri eum illuc posse moveri.

Itaquè in re, nulla est hìc dissensio Patrum & antiquorum DD. Scholasticorum (qui docent DEUM ibi esse tantùm in semetipso) a Cajetano, Majore, Molina & aliis, qui dicunt illum esse in spatiis imaginariis, id est ubicunquè mens aliquod spatium concipere potest.

Actus & Affectus Anagogici ex Lessio cit: cap. 4.

MAgnus es, Domine, & laudabilis valde, & magnitudinis tuæ non est finis, excelsior cælo, latior mari, profundior abyssis, implens omnia circumdans omnia, & tanquam sphæram modicam totum hoc Universum palmo circumplectens. Tu sphæra incomprehensibilis, cuius centrum ubiquè, ambitus & circumferentia nusquam, ut quidam Philosophus rectè dixit si sano sensu intellexit.

Omnia locorum spatia occupas intra & extra mundum, funda-

men ipse, sedes & spatium omnis spatii extendens & substituens primò, omnium spatiorum & intervallorum tam possibilium quàm realium immensitatem, tanquam prima omnium basis cui omnia innixa. Neque enim cælum duntaxat extendis, & hujusmodi capacissimam vastitatem: sed miro quodam modo etiam hoc ipsum spatium, in quo mundum ipsum condidisti, expandis, non alio sanè intervallo quàm magnitudinis tuæ. Hæc est prima & fundamentalis capacitas, spatiositas seu laxitas, in qua omne aliud spatium constare debet, & cuius ratione immensum spatium creatæ menti est imaginabile: sicut æternitas tua est prima & originalis duratio omnis durationis conceptibilis fundamentum. Neque solùm in immensum diffusus, intervallum subtendis & extendis immensum: sed etiam in omnibus & singulis huius universi rebus & locis, in omnibus punctis designabilibus totus es collectus, totus completus, totus præsens, totus interior, cum universa potentia, sapientia bonitate, cæterisquè perfectionibus tuis, & cum omnibus donis & opibus tuis, quibus creaturam tuam beare & ornare potes. Lates intra singula totus, assiduè omnia creans, formans, conservans & tenens intrinsecus in luce ipsius esse, nè in suis tenebris, & in nihilum relabantur, & ad Te convertens per instinctum boni.

Converte, obsecro, cor meum ad Te introrsum in fundum animæ meæ, ubi silente creaturarum strepitu, & importunarum cogitationū, cessante tumultu tecum commorer, Te semper præsentem cernam, Te amem, & venerer, & vocem tuam audiam, Tibi miserias exilii mei exponam, & solatium apud Te inveniam. Nunquam me præsentiæ tuæ capiat oblivio, lux mea, dulcedo animæ meæ: nunquam obliviscar tui, sed semper quocunquè me convertero, mentis meæ oculis obverseris. Totus enim ubiquè præsens es, & radios præsentiæ tuæ diffundis per singula. Sicut enim invisibilis anima in hominibus se foris aperit per motus & operationes, quæ exteriùs parent in corpore, sic ut ipsius præsentiam clarè cognoscamus: ità Tu qui omnium es vita supervitalis, & omnium esse superessentiale, Te satis manifestè prodis per ipsam creaturarum speciem, in qua elucet admirabilis sapientia & potentia tua. Quid enim aliud est omnis creatura, quàm impressio quædam & imitatio æternorum conceptuum mentis tuæ? Tu enim sigillum, primævum & universale, creatura verò veluti ἀποσφράγισμα seu forma ex impressione sigilli resultans, non in solida aliqua materia, quæ detracto sigillo valeat speciem retinere: sed quasi

in fluxa & evanida, in nihilo. Unde nè ad momentum quidem constare potest, si sigillum absit, de assidua præsentia & impressione est opus. Agnoscam igitur præsentiam tuam in omnibus, qui in singulis delitescens, esse & speciem omnibus assiduè suppeditas.

Da mihi præterea ut comprehendam cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum Divinitatis tuæ: ut à me totus cogitatione & affectu deficiens, in illud pelagus immergar, ibiquè perdam meipsum, & creata omnia, nihil aliud attendens, nihil aliud sentiens, amans, desiderans aut requirens ampliùs; sed in Te solo acquiescens, & omne bonum in Te possidens & perfruens. Sicut enim essentia tua infinita est & immensa, ità omne bonum, quod in Te est, infinitum pariter & immensum est. Quis adeò avarus est, ut infinitum & immensum bonum ei non satìs sit? Nihil ergo extra Te quæram aut desiderem, sed Tu mihi sis instar omnium, & supra omnia, DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum. Hactenus Lessius.

§ 4tus.

De Immutabilitate DEI.

Ex Lessio de perfect. Divin. lib. 3. cap. 1.

IMmutabilitas pendet ex infinitate & immensitate. Nam quà immensus est, non potest moveri loco; quà infinitus in toto genere entis, non potest ei ulla fieri accessio; complectitur enim omnia: & quia hæc omnia continet per essentiam, non potest quicquam perdere, sicut nec suam essentiam amittere.

Est igitur prorsus immutabilis & substantiâ, & loco, & intelligentiâ, & affectu, & omni modo intrinseco. S. Thomas DEI immutabilitatem probat tribus rationibus. *Primò*, quia DEUS est purus actus, nihil habens admixtum potentialitatis; cùm potentia imperfectionem dicat, & meliùs sit esse actu, quàm potentiâ. Quidquid autem mutatur, est aliquomodo in potentia ad id, ad quod mutatur. *Secundò* Quia est omnino simplex, & expers omnis compositionis. In eo autem quod mutatur, necessariò est aliqua compositio, dum successivè res est sub diversis terminis, uno recedente, & altero succedente.

3tio, quia est infinitus, comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis.

Hanc immutabilitatem multis locis insinuat Scriptura. Numerorum 23. *Non est DEUS quasi homo ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur.* Psalm. 101. *Initio tu Domine terram fundâsti, & opera manuum tuarum sunt cæli; ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Idem es*, nempe quoad omnia quæ in te sunt, nihil tibi accedit, nihil deperit. Malachiæ 3. *Ego Dominus & non mutor*: id est, non sum mutabilis. Quæ enim DEO tribuuntur κατ᾽ ἐξοχὴν accipienda sunt. Debent enim excellentiori modo exponi in DEO, quàm in creaturis, à quibus accepta. Sic immortalitas in DEO significat omnimodam immutabilitatem. 1. ad Timoth. 1. *Regi seculorum, immortali & invisibili soli DEO honor & gloria.* Et cap. 6. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem.* Jacobi. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis adumbratio.*

Ex hac immutabilitate sequitur primò. Quidquid in tota æternitate DEO posset accedere sapientiæ, considerationis, consilii, amoris, gaudii, felicitatis, voluptatis, id totum ex omni æternitate in eo fuisse simul collectum, & firmissimè in omnem æternitatem in ipso permansurum. Tanta enim in ipso est omnis boni plenitudo, ut nulla fingi possit accessio, tanta firmitas, ut nulla diminutio.

Sequitur secundò. Cùm DEUS mundum creat, cùm res administrat, cùm immutat, cùm genus humanum delet, cùm peccatores punit, cùm tam multa, tam varia, tantâ, ut videtur solicitudine per Prophetas loquitur, cùm naturam nostram assumit, & homo esse incipit, cùm per eam tam mirabilia & multiplicia operatur, cùm tam gravia patitur, cùm crucifigitur, resurgit, ascendit in cælum, & Spiritum Sanctum ad nos mittit, non ullam vicissitudinem seu mutationem cogitationum, consiliorum, aut voluntatum subit; non affectu ullo tangitur, sed omnino immutabilis in sua simplicissima identitate & primævo statu fixus supra omnia perseverat. Simul & semel

semel ante omnia secula concepit, & statuit omnia quæ suis temporibus in lucem & existentiam sunt emersura. Ex vi hujus antiqui & æterni decreti omnia suis momentis promuntur.

Apud illum ait S. Augustinus lib. I. Confess. 6. Cap. 6. *Rerum omnium instabilium stant causæ, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, & omnium irrationabilium & temporalium sempiternæ vivunt rationes.* Et ut ait Boetius:

—— ——Immotusquè manens dat cuncta moveri.

S. Prosper sententia 145. *Æterna & incommutabilis est voluntas ejus, nec consilio alternante variatur: in qua simul est, quidquid in rebus creandis vel ordinandis præcessit, aut sequitur.* Eodem pertinent quæ scribit D. Augustinus lib. I. Conf. cap. 4. *Immutabilis mutans omnia; nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia, & in vetustatem deducens superbos, & nesciunt: semper agens, semper quietus, colligens & non egens, portans, & implens, & protegens; creans, & nutriens, & perficiens. Quæris, cùm nihil desit Tibi; amas nec æstuas; zelas & securus es; poenitet Te, & non doles; irasceris, & tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium; recipis quod invenis, & nunquam amittis; nunquam inops, & gaudes lucris; nunquam avarus, & usuras exigis; supererrogatur Tibi ut debeas, & quis habet aliquid non tuum? reddis debita nullis debens, donas debita, nihil perdens &c.*

Sequitur tertiò. Omnem cogitationem, omne consilium, omnem voluntatem, omnem amorem, omne odium, omnem complacentiam & displicentiam, omne gaudium, omnem felicitatem, omnis boni fruitionem, quæ modò in DEO est, ab æterno in ipso fuisse, & in omnem æternitatem fore absquè omni varietate, accessione & imminutione. Unde ex mundi creatione, ex Angelorum & hominum obsequiis, cultu, honoribus, laudibus, nihil illi accedit felicitatis, nihil gaudii intrinsecùs. Nequè ipse hæc fecit commodi aut solatii sui causâ, sicut homo facit domum, & conquirit familiam & famulos; aut sicut Rex instituit regna, provincias, civitates, ut potentiam suam augeat rebus alienis, & quæ extra ipsum sunt, ad hoc adjectis: sed fecit ut affluentiam bonorum suorum communicaret, & quodquè illorum prout capax est suarum divitiarum

tiarum particeps efficeret: ſicut ſol non illuminat aërem, ut ſibi proſit, ſed ut rebus inferioribus benè ſit.

Itaquè etſi totus mundus periret, & omnes Angeli & homines æternis pœnis addicerentur, ipſe nihil inde incommodi acciperet, ſed æquè beatus in ſe ipſo, ſibi ipſe plenisſimè ſufficiens ad omnem voluptatem & felicitatem permaneret. Sicut ſi Monarchæ totius orbis parvula aliqua villa periret cum mancipiis aliquot, nihil inde ſentiret damni aut mœroris. Hinc Job 35. dicitur: *Si peccaveris, quid ei nocebis? Et ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Porrò *ſi juſtè egeris, quid donabis aut quid de manu tua accipiet?* Et Pſal. 15. *Dixi Domino, DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ratio eſt. Primò, quia cùm ipſe ſit bonum infinitum, totum bonum creaturæ comparatione ipſius eſt inſtar nihili. Sap. 11. *Tanquam momèntum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum; & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.*

Deinde, quia cùm omnia in ipſo ſint eminenter, nihil ipſi perire poteſt: etſi enim res in ſe pereant, manent tamen ſemper apud ipſum in ejus ſapientia, & potentia, ubi non minùs eas contemplatur, & illis delectatur, quàm ſi foris exiſterent. Sic omnia posſibilia illi exiſtunt & vivunt.

Actus & Affectus Anagogici

Ex Leſſio lib. de perfect. Div. 3. c. 4.

Tibi Regi ſeculorum immortali, & inviſibili, apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, ſoli DEO & Domino meo honor & gloria, ab omni creatura in terra & in cælo, & ſupra omnem creaturam in altisſima & inacceſſibili luce ſapientiæ & Divinitatis tuæ. Tu omnis immortalitatis & ſtabilitatis auctor, tu gluten & nexus omnium. 1. ad Tim. 1 Jacobi. 1.

Per te Angelicæ naturæ, & animæ rationales, immortales & inexterminabiles conſtant. Per te cælorum firmitas, qui ſolidi velut ære fuſi ſunt. *Per te* terra in æternum ſtat, *ſuis librata ponderibus in medio univerſi, tanquam centrum immobile. Per te elementorum & materiæ indiſſolubilis natura tam potenti manu his omnibus ſpeciem impresſiſti, ut nullâ arte eradi; tam validè contines intrinſecus, & cohærere facis, ut nullâ vi posſint disſipari,* Job. 37. Eccl. 1

Nequè tantùm immortalitatis, & ſtabilitatis es auctor: ſed etiam

omnis motionis tam spiritalis quàm corporalis prima & suprema origo. Nihil enim fit visibiliter in hac totius creaturæ veluti amplissima Rep. quod non ab invisibili aula summi Imperatoris secundùm ineffabilem distributionem donorum & gratiarum, præmiorum & pœnarum, bonorum & malorum, & cæterarum hujus vitæ vicissitudinum, vel jubeatur vel permittatur.

Prosper sententia 58.

Apud te rerum omnium mutabilium immutabiles sunt rationes, & omnium temporalium æternæ stant origines. Semel ante secula, omnia statuisti de omnibus, semel dixisti, & ex vi hujus statuti promuntur & dispensantur secula, & quæ per seculorum decursum suis momentis & locis in lucem veniunt. Ordo temporum apud te sine tempore est, nec aliqua tibi sunt nova, qui jam ab æterno fecisti *omnia, quæ futura sunt.* Fecisti *inquam, in prædestinatione tua, in decreto tuo jubente vel permittente, & in præscientia tua infallibili omnia intuente ut præsentia.*

Apud te est omnis boni plenitudo, præexistens & anticipata ante omnia secula, cui nulla accessio, nulla fieri potest detractio. Simul habes ab initio quidquid per infinitum seculorum decursum accedere potest, nec quidquam potes amittere, quia per essentiam tuam habes & es omnia, non eges obsequiis nostris, neq; ex salute nostra tibi aliquid commodi vel ex damnatione aliquid incommodi provenire potest. Et quamvis totus periret mundus, tu tamen nihil amitteres, neq; beatitudo vel gloria tua idcirco minora forent, aut aliquid detrimenti caperent.

Amas tamen nos æterno & infinito amore; & nihil non agis ut salvi simus, & beatitudinis tuæ participes; & cùm à te recesserimus, non deseris nos, sed multis modis revocas, sicut benignus parens filios fugitivos, veniam promittens, nè in æternum exitium ruamus.

1. ad Tim. 1. Jacobi. 1.

O immensam Spiritus tui dulcedinem, qui tanta nobiscum uteris benignitate, non solùm aliquid tale promeritis, sed ingratis, sed rebellibus, sed assiduè te offendentibus, & malum pro infinitis beneficiis tuis rependentibus!

Illumina tenebras nostras, lux primæva, absterge ab oculis mentis nostræ nugacem nugarum hujus mundi fascinationem, sensum simplicem pervertentem; ut quantum inter caduca & immortalia, inter fluxa & permanentia, inter bona hujus seculi & futuri intersit, clarè perspiciamus, ut illis contemptis hæc persequamur, hæc assequamur, his inhæreamus. Aufer à nobis mentis inconstantiam, nè in bono proposito fluctuemus, nevè unquam deseramus quod semel a nobis benè acceptum. Nihil enim magis noxium ad profectum, quàm instabilitas animi, nusquam

Job. 37. Eccl. 2.

quam

quam consistentis, & levi momento huc illuc instar arundinis impulsi.

Tange apicem animæ nostræ radio lucis tuæ, & mentem nostram trahe sursum ad te, supra omnium mutabilium sphæras, supra solis anniq; vias, supra omnia bona creata, & vinculo charitatis insolubili adstringe tibi, ut nequè mors, nequè vita, nequè paupertas, neq; divitiæ, nequè gloria vel ignominia, nequè voluptas vel afflictio, nequè sublimitas vel profundum, nequè ipsæ inferorum portæ & universa diaboli tormenta valeant eum convellere, aut à te separare.

§. 5tus.
De Æternitate DEI.

Ex Lessio de Divin. perfect. lib. 4. c. 1.

ÆTernitas sequitur immutabilitatem, & non nisi ratione ab ea distinguitur. Nihil enim est aliud quàm duratio rei immutabilis, principio & fine carens: duratio autem nihil est nisi esse rei continuatum & permanens. Definitur à Boetio sic: *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Quæ definitio potiùs est causalis & fundamentalis, quàm formalis: ubi quatuor consideranda.

Primò, quòd sit *possessio vitæ*: quo significatur perfectus quidam habendi modus, per quem vita non exspectatur sed tenetur præsens, non habetur in spe, sed re ipsa obtinetur. *Vitæ* potiùs possessio quàm existentiæ; tum quia vita est perfectissimum Esse, ac proinde in ejus possessione meritò ponitur æternitas, quæ est perfectissima duratio: tum quia æternitas à nobis non concipitur nisi comparatione motûs, in vita autem apprehenditur motus quidam & actuositas.

Secundò, *Interminabilis vitæ*: nimirum non solùm in futurum, ut in posterum non possit terminum accipere, sed etiam retro in præteritum, ut nunquam illa vitæ possessio potuerit incæpisse. Debet enim utrinque esse interminabilis ut sit integra & non dimidiata æternitas. Hinc Mundus, Angeli, Sancti & Beati omnes non sunt æterni quia infinitis retro seculis non fuerunt, imposterum tamen infinitis seculis permansuri.

Tertiò, *quòd hæc possessio sit tota simul*, nimirum quia non habet partem post partem, sed omnem suam extensionem habet collectam in momentum, ita ut omni momento habeat totum, simulunitim, quidquid per infinitos seculorum tractus habet extensum. Sicut enim immensitas DEI, totam DEI magnitudinem, quæ absque termino in omnem partem diffunditur colligit in punctum, ut non minus habeat in puncto loci, quàm in spatio immenso: ità æternitas durationem DEI, & (ut ità dixerim) ætatem seu vitam, quæ infinito tempori coëxtenditur, colligit in momentum, ità ut totam possideat in momento. Sicut enim immensitas se habet ad punctum loci, ità æternitas ad punctum temporis: postulat enim æternitas, ut omnis apprehensio, omnis cogitatio, omne consilium, omne judicium, omnis voluntas, omne decretum, omnis amor, omne gaudium, omnis felicitas, omnis complacentia, & displicentia, deniquè omnes actus intellectûs & voluntatis, qui successu temporis infiniti in DEUM cadere possent, fuerint in illo & sint perfectissimè quovis momento, omnibus retro seculis, & inposterum futuris designabili. Non ità fit in creatura: nemo omnes cogitationes, omnes affectus, omnia gaudia, omnes voluptates, quas per longi temporis intervallum, successivè habere potest, simul possidet.

Cogita, *quanta* mens sit DEUS, quàm vasta, quàm capax. Finge per infinitum tempus quotidie ei occurrere novas veritates, novas sapientiæ motiones, nova gaudia: quàm infinitus horum esset numerus, per infinitum tempus? Jam cogita illum hæc omnia simul & semel comprehendisse, & possidere ab illo æternitatis nunc, ex quo fuit DEUS. Non enim fuit DEUS, quin statim simul hæc omnia comprehensa possideret.

Quartò, *Quòd hæc possessio sit perfecta*; nimirum, tum quia prorsus & ab intrinseco est inamissibilis (quod enim potest amitti non perfectè possidetur) tum quia complectitur omnes motus vitales, ità ut non solùm possideatur vita interminabilis quoad rei essentiam, sed etiam quoad omnia, quæ in illa considerantur. Unde Angeli etiamsi essent ab æterno, non tamen propriè haberent æternitatem; quia non possident perfectè vitam suam

totam

totam simul, sed solam essentiam & actus beatificos. Ex his patet æternitatem tria postulare; primò, ut sit duratio: secundò, ut sit immutabilis, seu tota simul; tertiò, ut abintrinseco, seu ex vi illius esse, in quo fundatur, careat principio & fine. Unde hoc modo breviter definiri potest. *Est duratio tota simul, ab intrinseco carens & principio & fine.*

Æternitatem soli DEO propriè convenire

Ex Lessio de perfect. Divin. lib. 4. c. 2.

EX his quæ supradicta sunt, consequens est, soli DEO competere propriè æternitatem. Primò, quia solus initio caret durationis, solus nunquam incepit, solus omne tempus & intervallum durationis occupat & ambit. Hinc vocatur *Antiquus dierum*, apud Danielem cap. 7. quia (ut Dionysius cap. 10. de Divinis nomin. exponit) *Ipse est omnium ævum & tempus, ante dies, ante ævum, ante tempus*: quod intellige de omni tempore, etiam comprehensibili à creatura. Parum enim esset, ipsum fuisse ante tempus reale, quod nondum sex annorum millia complevit; cùm etiam Angeli plurimis seculis, juxta Patrum quorundam sententiam, ante illud tempus fuerint, DEumquè laudaverint: sed fuit etiam ante omne tempus imaginabile, quantumvis illud longum concipiatur. Accipe ante conditum mundum tot secula quot sunt arenæ in littore maris; DEUS jam erat: accipe totidem myriades seculorum; DEUS antea erat: hunc immensum seculorum numerum in se multiplica; adhuc DEUS infinitis seculis est antiquior.

Origenes Greg. Nazianz. Basil. Hilarius Ambrosius Hieronymus Damascenus

Dicitur; *omnium ævum & tempus*: quia omne ævum ex ipsius duratione pendet, & omne tempus ex ipso fluit, qui ævo & tempori suum esse tribuit & continuat. Ipse est ævum ævorum existens ante omne ævum, est principium & mensura ævorum, & temporum entitas, & entium ævum. Quæ omnia causaliter intelligenda.

Omnis verò creatura initium habet, quia non ex substantia DEI, sed ex nihilo est. Imò secundùm Sanctorum Patrum sententiam, nec æterna retro esse potest: Docent enim

creaturam suo Conditori non posse esse coæternam. S. Augustinus lib. 12. De civitate c. 15. *Tempus quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum. Ac per hoc etiamsi immortalitas Angelorum non transit in tempore, tamen eorum motus quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum transeunt, & ideo Creatori coæterni esse non possunt.*

Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 3. *Hic DEUS sinè initio semper est, quia summè est, dedit rebus à se creatis, ut sint, non tamen sinè initio,* quia nulla creatura *ejusdem naturæ est, cujus est Trinitas unus DEUS, à quo creata sunt omnia.* Hic indicat creaturam non posse carere initio durationis, quia non est naturæ Divinæ, sed ex nihilo. S. Ambrosius l. 6. Hexameron c. 1. *Quid tam inconveniens, quàm ut æternitatem operis cum DEI omnipotentis conjungeret æternitate?* Et paulò infrà Lessius prosequitur.

Secundò, illi soli (DEO) competit propriè æternitas, quia solus ex se vitam habet interminabilem. Omnis creatura ex se potest desinere & in nihilum evanescere, tota ipsius duratio assiduè ex DEO pendet. DEUS ex se est non aliunde; ipse enim est prima & fundamentalis vita & duratio, fons omnis vitæ & durationis. Unde Dionys. cap. 5. de Divinis nominib in fine. *Quare ipsum ævum, & omnia quæ sunt, & mensuræ rerum, & quæ sub mensuras cadunt, per ipsum & ab ipso sunt.*

Tertiò, quia solus totam vitam simul possidet, in creaturis non est tota simul. Etsi enim in Angelis sanctis & Beatis visio beatifica & fruitio tota simul sint, alii tamen actus intellectûs & voluntatis, locutiones & auditiones non sunt simul, sed alii aliis in infinitum succedunt. Unde D. August. lib. 1. Confess. cap. 6. *Summus enim es, & non mutaris, neque peragitur in te hodiernus dies; & tamen in te peragitur, quia in te sunt & ista omnia: non haberent enim vias transeundi, nisi contineres ea. Et quoniam anni tui non deficient, anni tui hodiernus dies: & quàm multi jam dies nostri & Patrum nostrorum per hodiernum tuum transierunt, & ex illo acceperunt modos, & utcunque exstiterunt, & transibunt adhuc alii & accipient & utcunquè existent. Tu autem idem ipse es, & omnia crastina atque ultra, omniaquè hesterna & retrò, hodie facies, hodie fecisti. Quid ad me, si quis non intelligat? gaudeat & ipse dicens: quid est hoc?*

gaudeat

gaudeat etiam sic & amet, non inveniendo invenire potiùs Te, quàm inveniendo non invenire Te. Hìc per *hodie* intelligitur *nunc* æternitatis, quod nunquam est crastinum, nunquam hesternum, nunquam præteritum, nunquam futurum, sed semper hodiernum, semper præsens semper *nunc:* in quo DEUS omnia peragit, & omnia peregit, tam futura quàm præterita. Idem in Psal. 2. explicans illud. *Ego hodie genui te. In æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit; nec futurum, quasi nondum sit.* Quarè per verbum *hodie* intelligit eo loco æternitatem, quæ tota est simul ac præsens, D. Bernardus serm. 80. in Cantica. *Tempora sub ea* (natura Divina) *transeunt non ei; futura non exspectat, præterita non recordatur, præsentia non experitur.*

Quartò, quia solus totam vitam suam *perfectè* possidet, tum quia solus *totam simul*, ut dictum est, tum quia possidet illam *per Essentiam & à se*, creatura autem per participationem à DEO. Hinc ille integrè & illimitatè vitam habet tanquam totam vitam, & ipse omnis vitæ possidens: creatura limitatè, & certis terminis circumscriptam, quasi vitæ quandam particulam & scintillam. Explicat hoc fusè D. Dionysius cap. 6. de Divinis nominibus.

DEUM Ratione suæ Æternitatis esse fundamentum temporis imaginarii infiniti ex Lessio de Divin. perfect. lib. 4. cap. 3.

Sicut DEUS per essentiæ suæ infinitatem est fundamentum omnis creaturæ possibilis, ità per æternitatem fundamentum omnis temporis & durationis successivè possibilis. Nisi enim illa essent in DEO re ipsâ, hæc non haberent ullo modo Esse objectivum & intelligibile; nam etiam in Esse objectivo habent essentialem dependentiam ab illis perfectionibus Divinis. Ideo enim sunt infinitæ rerum species possibiles, quia essentia Divina per suam infinitatem infinitis modis est communicabilis: ideo spatium immensum est imaginabile, quia Divina essentia per suam immensitatem illud quasi expandit; vel potiùs, quia ipsa est spatium immensum fundamentale; cui aliud scilicet corpo-

corporeum coëxtendi potest. Deniquè ideo tempus retro infinitum cogitari potest, quia æternitas DEI est infinita duratio, cui tempus successivum infinitum potest coëxtendi (intellige quantùm est ex parte æternitatis) unde ipsa conceptum objectivum temporis infiniti substituit.

Itaquè DEUS non solùm est causa existentium, ut actu sunt; sed etiam est fundamentum possibilium, & totius esse, speciei, modi, quem singula habent in esse objectivo. Quæ sanè consideratio mirificè extollit Divinæ essentiæ Majestatem, & magnitudinem infinitam. Sic enim ab illa non solùm dependent omnia, quæ actu sunt, sed etiam omnia quæ actu non sunt, nec solùm secundùm esse actuale sed etiam secundùm esse possibile & intelligibile, licèt diverso modo. Nam secundùm esse actuale pendent à libero ejus fluxu, ac proinde à libera ejus voluntate, nulla naturali necessitate: secundùm esse possibile pendent ab eo naturali necessitate ante omne decretum liberum.

Hinc ulteriùs fit, ut sicut infinitudo essentiæ non potest concipi à nobis, nisi in ordine ad rerum species possibiles; nec immensitas nisi respectu spatii imaginarii possibilis, ità nec æternitas nisi comparatione temporis imaginarii infiniti.

Ex dictis sequitur primò, Æternitatem simul esse & longissimam & brevissimam. *Longissimam*, virtute & coëxtensione; quia infinitis temporum spatiis se exæquat. *Brevissimam*, quia in puncto temporis habet omnia, quæ per infinitum tempus habere potest. Itaquè sicut tempus est *Nunc volans* (nihil enim de tempore est nisi ipsum *Nunc*, sed illud semper fluit, estquè omni momento aliud & aliud) ità æternitas est *Nunc stans*: nam in ea omnia sunt simul, & semper in eodem consistunt statu, sub ipsa volant omnia tempora, & prætereuntibus aliis succedunt alia; & omnis creata natura suos accessus, & recessus patitur, amissis antiquis nova acquirens. Hinc tempus & temporalia omnia sunt sicut flumen quoddam, æternitas sicut rupes firmissima, sub qua flumen raptim transit, omnes aquæ partes successivè adlabentes rupem subeunt, & transeunt, nec unquam redeunt, rupes autem semper eodem loco manet. Sic omnia temporalia alia post alia succedunt, & transeunt sub æternitate nunquam

quam reditura, ut rursus fluant. Est enim æternitas similis puncto, circa quod describitur circulus: sicut enim punctum illud respondet toti circumferentiæ, & singulis ejus punctis, ita æternitas respondet & assistit toti tempori & singulis ejus momentis.

Sequitur secundò; Æternitatem omne bonum quod affecerit, efficere infinitè melius, idquè dupliciter: primò ratione durationis, quia tribuit ei durationem infinitam, atquè adeò infinitum Esse. Esse autem eò melius est, quò majus, sive intensivè majus sit, ut cùm res in se perfectior est; sive extensivè, ut cùm diffunditur per subjectum majus, vel per majus tempus: quæ ergò infinitè durat, infinitè melior est. Exemplum: Voluptas unius diei magnum bonum est, magniquè penditur: voluptas unius hebdomadæ pluris penditur; unius anni, pluris; centum annorum longè pluris; 1000. in decuplum; & sic deinceps quò diutiùs durat, eò ampliùs æstimatur. Ergò quæ durat infinitè, infinitè pluris æstimabitur. Idem dicendum de gloria, divitiis, pulchritudine, cæterisq; bonis. Contrarium accidit in pœnis: æternitas enim pœnam facit infinitè peiorem & molestiorem. Secundò ratione collectionis illius boni, quia totum commodum quòd res illa infinito tempore successivè adferre potest, colligit in unum, & simul conferri, percipi, ac gustari facit: ut si tota voluptas, quam lautum convivium per partes & successivè adferre potest tempore infinito colligeretur in unum, & tota simul æterno tempore tribueretur, esset infinitè melior & majoris æstimationis: simili modo æternitas in malis, nempe in pœnis, colligit illas quodam modo in unum, & simul sentiri facit, etsi enim simul non existant, tamen facit simul apprehendi & sic infinitum quendam dolorem animo inurit.

Actus & Affectus Anagogici

Ex Lessio cit. lib. 4. cap. 5.

PRiusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à seculo usque in seculum tu es DEUS. *Tu enim principium & artifex omnium,*

um, unde & ante omnia. Non naturæ aliqua necessitate impulsus hanc rerum universitatem, hoc magnum palatium cum incolis & opibus Suis effudisti (sicut sol lumen effundit) ut opus tuum tibi coæternum esse possit: sed liberrimâ voluntate, ut summus artifex finxisti & ædificâsti. Antiquior ergo es opere isto, quod nondum sex annorum millibus constitit. Sed quot obsecro, seculis antiquior? neque illud omninò absurdè quæritur, quasi ante hunc mundum secula nulla fuerint, in quibus Tu existeres & bonis tuis fruereris.

Etsi enim ante cæli & terræ conditionem, solis & lunæ conversiones; quæ nostros dies, menses, & annos metiuntur, ex quibus quantæ sint rerum nostrarum minutæ durationes cognoscimus, non fuerint, dubium tamen non est (nisi de vocibus contendere velimus,) quin durationes & spatia aliqua fuerint quasi dierum, mensium, annorum, & seculorum, sub quibus isti motus extendi & transigi potuissent, si tunc exstitissent: sicut nec modò absoluto hujus mundi curriculo, cessantibus cælorum motibus, durationes & spatia temporum abolebuntur. Capiamus ergò retro ante conditum orbem, centum millia seculorum; jam tunc eras DEUS. Capiamus totidem seculorum milliones, jam ibi eras, æquè magnus, æquè potens, æquè sapiens, æquè beatus: Denique sine fine majorem & majorem seculorum numerum retrorsum mens concipiat, & inveniet Te cum omnibus bonis & gaudiis tuis, infinitis seculis adhuc priorem & antiquiorem.

Tu enim & hypostasis, & principium, & mensura omnium seculorum; tuâ æternitate prior, omnibus seculis es superior, sub quo omnia volvuntur secula. Sicut enim tua immensitate extendis, ambis, & contines omnia spatia locorum: ita tua æternitate anticipas, protendis, & ambis omnes durationes & moras temporum, tanquam omnium radix & origo. Sub te omnia inchoantur principia, omnes accedunt profectus, omnis transigitur vita, omnes procurrunt motiones, omnis perstat existentia, omnes proveniunt termini, omnes clauduntur fines.

O æternitas, omnis boni primæua & interminabilis complexio, omnis vitæ insenescibilis tota simul & perfecta possessio; omnis beatitatis sinè principio & fine superplenissima fruitio! Tibi nihil præteritum, nihil futurum; tibi nulla accessio, nulla decessio fieri potest. Nam altitudine tui nunc, quod infinitum tempus ambit, omnia simul colligis; in illo omnia tenens præsentia, ut nec fugere possint in præteritum, nec de

novo

novo in futurum advenire: omnia enim præsentia, præterita, & futura præcipis & anticipas, & tibi jam præsentia erant priusquam futurorum notionem haberent. Etsi enim quæcunquè aliquando futura sunt, ab æterno futura fuerint: nisi tamen ea scivisses, & vel facere vel permittere voluisses, ab æterno non futura fuissent.

In tuo nunc omnia semel constituta & decreta; omne consilium de omnibus captum & conclusum. Nihil de novo restat deliberandum, nihil non plenissimè expensum; omnia definita & decisa, quæ vel fient unquam, vel non fient. Ibi quoquè & nos numerati & appensi sumus, & librata sunt omnia opera nostra. Ibi nobis poena vel gloria æterna præparata; ibi vel regnamus cum Sanctis omnibus in gloria; vel incendiis inferorum cum impiis & dæmonibus ardemus. Æternitas præscientiæ & decretorum tuorum anticipat omnia, & quidquid unquam in tempore futurum est, ibi jam factum est.

O *Æternitas! abyssus gaudii Sanctis, abyssus miseriarum & dolorum impiis! sicut enim omne bonum facis infinitè melius & optabilius; ita omne malum efficis infinitè peius & molestius. Quæ mens magnitudinem tuam capere, quod robur animi pondus tuum sustinere queat? Tu omnem superbiam retundis, omnem duritiem frangis, omnem animositatem reprimis, & omnes peccatores perturbas, omnes pios in afflictione recreas, & ineffabili gaudio perfundis.* Momentaneum enim & leve tribulationis hujus, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *Pro* momentaneo malo *rependetur æternum bonum; pro* levi tribulatione *pondus gloriæ immensum; pro* afflictione terrena *gloria in sublimitate. Væ miseris peccatoribus! qui momentaneum & leve hujus vitæ solatium, æterno illi gloriæ ponderi anteponunt: qui æternum malunt subire supplicium, quàm momentaneo hujus vitæ carere commodo; qui terrena ista præferunt cælestibus, infima sublimissimis, momentanea sempiternis.*

O *Æternitas! tu semper menti meæ obverseris, tu intimis mihi sensibus inhæreas, tu omnium mearum actionum, & totius vitæ sis regula. Omnia temporalia, sive bona sive mala, præ te contemnam, & nihili ducam. Tu mihi in omni afflictione sis solatium, & in omni tentatione præsidium, & in omni prosperitate monitorium. Tibi verò* πρῳ αἰωνίῳ & αἰωνοτόκῳ *Principio, quod omni principio antiquius, tibi ævorum Parenti, seculorum Regi, temporum dispensatori, ætatum provectori, omnis*

permansionis & durationis basi, & beatæ æternitatis largitori, omnis bonor & gloria in omnem æternitatem Amen.

SUBSECTIO II.

DE CONTEMPLATIONE DEI IN SEIPSO, VIA PRÆSTANTIÆ.

HÆc via contemplationis potiùs est comprehensorum, quàm viatorum; patriæ non exilii. Quid enim est contemplari DEUM in seipso viâ præstantiæ, nisì demptis imperfectionibus; quas ex suo imperfecto modo concipiendi affingit intellectus humanus perfectionibus Divinis, cognoscere DEUM? Verùm sicut imperfectus modus concipiendi manebit durante hac vitâ ita demere imperfectiones omnes à perfectionibus Divinis non est potentiæ intellectûs nostri in hac vita. Attamen quod naturæ impossibile, hoc gratiæ possibile etiam in præsenti dare & principium, & modum concipiendi ac contemplandi DEUM; etsi nondum in propria specie seu facie ad faciem, multò tamen puriùs, quàm sub ullis creaturæ similitudinibus. Unde & in ratione objecti vel balbutiendo lingva humana conetur proponere *Quid & qualis sit DEUS supra omne, quod est.* In quo more meo non meum, sed sanctorum vel laudatissimorum in Ecclesia DEI virorum sentire & dicere affero.

In contemplatione summæ Divinitatis Princeps & exercitatissimus Magister *S. Dionysius* Areopagita in suis lucubrationibus planè Divinis, ubi mentionem facit naturæ & attributorum DEI, ad expressionem quasi genuinam quidditatis illorum, qualem lingva humana efferre potest, nihil frequentiùs utitur quàm DEUM esse essentiam *supra omnem essentiam*; unitatem, veritatem, bonitatem DEI, &c. esse *supraunitatem*, *supraveritatem*, *suprabonitatem* &c. Sed quid multis? O Contemplator! O Amator DEI! O quisquis es, qui anhelas gustare & videre, quàm suavis est Dominus! En ducet te illuc hic beatissimus Divinorum contemplator, porrigit media tum alibi, tum maximè in libro de Divinis nominibus, de Mystica Theologia, in Epistolis, ubi ejus cælesti doctrina instructus, insuper ad cælestem

ſtem Divinitatis ſplendorem & amorem potenter levaberis.

Suarez explicans prædicata naturæ Divinæ (idem eſto & de perfectionibus, quæ modo noſtro concipiendi ſunt quaſi qualitates naturæ Divinæ) docet ſic dicens: Ad complendam ali- „ aliqualem deſcriptionem quidditatis DEI, addendum eſſe ali- „ quid, quo denotetur peculiaris, ſingularis, & excellens modus „ quo hæc omnia (id eſt ſuum eſſe & attributa) habet. Hoc „ quidem etiam continet doctrinam fidei, & per ſe ſatis eviden- „ tem; quia illa prædicata ex ſe communia ſunt creaturis, unde „ niſi ampliùs determinentur, non declarant naturam DEI, „ quàm conſtat ſecundùm fidem eſſe eſſentialiter diverſam ab „ omni natura creata. Hoc autem ultimum determinans hæc „ omnia ad propriam DEI naturam poteſt variis modis expli- „ cari. Primò, ut hæc omnia prædicata quæ in hoc capite nu- „ meravimus determinet *Ens illud per ſe neceſſarium*, quod primò „ & ſecundò capite demonſtravimus eſſe DEUM eſſentialiter: „ ſic enim cùm dicitur DEUS ſpiritus vivens, intellectualis, in „ ſingulis intelligendum eſt quaſi tranſcendentaliter includi „ particulam illam *à ſe, vel intrinſecâ & abſolutâ neceſſitate.* „

Suarez de Deo lib. 1. cap. 3. n. 15. & 16.

Aliter hoc ipſum explicui ſectione decimâ quar- „ tâ, Metaphyſ. addendo particulam *per eſſentiam*; quæ declarat „ ſingularem modum habendi illam omnem perfectionem, ex „ vi ſolius eſſentiæ, id eſt, ſine efficientia alterius, & ſine effici- „ entia intrinſeca ſeu adjectione alicujus accidentis. *Hæc Suarez.* „

Leſſius conceptum Deitatis per præſtantia intelligit idem eſſe, quod concipere DEUM per eminentiam, ſeu id habere DEUM in ſe eminenter, quod eſt, vel imaginabile, aut poſſibile eſt eſſe. Sed placet audire quæ dicit: Ex vi eminentis complexionis (*nempe DEI eſſentiæ & perfectionum ejus cum ea, ac inter ſe*) provenire, ut omnia de DEO affirmentur, & omnia rurſus quadam ratione negentur. Theologi, & imprimis S. Dionyſius Lib. De Divinis nominibus cap. 1. & 3. & lib. Myſticæ Theol. cap. 4. & 5. & alibi ſæpe. *Affirmantur*, quia omnia ſunt in ipſo formaliter, vel eminenter. Hinc dicitur potentia, ſapientia, bonitas, fortitudo, vita omnium viventium, eſſe omnium exiſtentium, omnium perfectio, pulchritudo, menſura, ratio,

Leſſius de perfect. Divin. lib. 1. c. 3.

ratio, salus, conservatio. Unde Divus Bernardus lib. 5. de consideràt: *Quid est DEUS? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, æterna beatitudo.* Et infra: *Amat ut charitas, novit ut veritas, judicat ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, operatur ut virtus, tuetur ut salus, revelat ut lux, assistit ut pietas, &c.* Et quamvis plurium rerum nomina illi non tribuantur, ob imperfectionem quam involvunt; tamen omnes rerum species, & omnia individua sunt in ipso eminenter secundùm sua prototypa, & veluti primæva & in ipso æterna semina, ex quorum vi pullulârunt; atque adeò sunt intrinsecè, non quidem secundùm suum esse formale & essentiale, sed secundùm esse suum eminens & superessentiale. Unde ipse est omnia & singula eminenter & superessentialiter.

Negantur de ipso omnia, quia ipse est *supra* omnem rationem, & speciem, creatæ menti conceptibilem. Sic Dionysius cap. ult. de myst: Theolog. dicit DEUM esse *non substantiam, non vitam, non lucem, non sensum, non mentem, non sapientiam, non bonitatem, non Deitatem, sed quiddam his omnibus eminentius & præstantius.* Ratio est, quia omnia ista quatenus menti creatæ sunt comprehensibilia & nominabilia, habent conceptus objectivos limitatos in ratione Entis: *limitatos* inquam, non ex parte rei quæ concipitur, sed ex parte modi concipiendi. Unde ut sic concipiuntur; non includunt formaliter alias perfectiones. Ratio enim substantiæ ut à creatura concipitur non includit rationem sapientiæ, aut cæteras perfectiones, nec è contra; sed quæquè suum limitatum conceptum habet. DEUS autem est ratio prorsus illimitata, unde formaliter vel eminenter includit omnem perfectionem conceptibilem. Hanc rationem insinuat Dionys. de Divinis nominibus c. 13. *Nihil eorum quæ sunt, aut eorum, quæ alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud, omnem rationem & intellectum superans, super Deitatis, superessentialiter, supra omnia superexistentis.* Ex quo loco clarè probatur, DEUM ut in se est, non posse videri per speciem creatam, quæ illum objectivè repræsentet; quomodo videtur intelligendus S. Thomas 1. p. q. 12. art. 2. Notandus hic mirabilis & plùs quàm humanus modus loquendi S. Dionysii, ad exprimendam suorum

suorum conceptuum sublimitatem & eminentiam Divinitatis infinitam supra omnia mente creata comprehensibilia. Simili modo idem Dionysius vocat sæpè DEUM ὑπερέσιον ἐσίαν *Essentiam superessentialem*; nimirum quia est essentia seu substantia eminentior omni essentia conceptibili à creatura. Rursus vocat illum bonitatem & Divinitatem omni bonitate & Deitate conceptibili eminentiorem. Simili modo exponenda sunt omnia nomina composita ex particula ὑπὲρ ut ὑπερφωτ⊙, ὑπεράρχι⊙, ὑπερτελής, &c. id est *omni luce, omni principio, omni perfectione excellentior.* Illud enim ὑπὲρ & *super* in compositione designant excellentiam supra omnem modum intelligibilem menti creatæ apud Dionysium. Ob eandem causam lib. de Divin. nom. cap. 2. § 1. vocat DEUM *omnium positionem, & omnium ablationem*; quia eminenter ponit omnia, tanquam omnia continens, & formaliter omnia auffert; quia ratio propria quâ DEUS est, excludit ab ipso omnem formalem rationem à creata mente comprehensibilem.

Hinc patet omnes perfectiones, quæ DEO tribuuntur absque metaphora, dupliciter in ipso contineri *formaliter* & *eminenter*. *Formaliter*, si spectentur secundùm proprium conceptum, quo à DEO & à Beatis concipiuntur, qui est illimitatus in genere entis. *Eminenter*, si considerentur secundùm conceptus proprios, quos habent, ut à creaturis absquè lumine gloriæ apprehenduntur; etsi enim res concepta sit propriè in DEO, non tamen cum eo modo & limitatione, sub qua concipitur. *Hactenus Lessius.*

Et capite 5. idem citatus *Lessius* hæc prosequitur dicens: Ut meliùs intelligatur quomodo Deus omnia eminenter contineat, & omnia in ipso existant, & præexistant, explicandum est, quænam ad eminentem complexionem, seu continentiam requirantur.

In rebus creatis ut aliud in alio eminenter contineri dicatur, duo requiri videntur. Primum est, ut id quod continet, sit præstantioris naturæ, quàm id quod continetur. Si enim non est præstantius, non est ratio cur illud dicatur esse in eo eminentiori

tiori modo, quàm inseipso. Unde plantæ & animalia non dicuntur esse eminenter in semine, nec in causa sua univoca.

Alterum est ut illud quod minùs præstans est, aliquo modo in alio præstantiori reperiatur. Hoc autem fit potissimùm quatuor modis. Primò, si res per seipsam sit in alia, tanquam sua causa. Esse enim productivum alterius, signum est, in eo id, quod produci potest, contineri. Sic qualitates, accidentariæ perfectiones continentur in substantiis eminenter, ex quibus promanant: & res inferiores in virtute cælorum tanquam in causa universali, radii in sole, folia in arbore.

Hic modus eò est perfectior, quò causa perfectiùs est productiva illius rei. Unde cùm DEUS omnes res producere queat perfectissimo modo, (nimirum ut causa integra & independens ab alterius ope, & solo voluntatis suæ nutu) idquè secundùm naturam, formam, rationes individuas, qualitates, & modos omnes, consequens est, res omnes in ipso perfectissimè contineri.

Secundò, si sit in alia per sui quasdam similitudines. Sic omnia inferiora dicuntur contineri eminenter in intellectu, cùm ea intelligit: quia sunt in ipso per suas notiones, quæ sunt expressæ species & imagines rerum intellectarum, per quas intellectus dicitur fieri ipsum intelligibile. Hoc modo Phylosophi dicunt intellectum fieri omnia, & omnia in ipso existere. Ratione hujus continentiæ intellectus est causa exemplaris rerum, ab ipso foris productarum.

Tertiò, secundùm vim agendi vel extendendi se ad obiecta; ut cùm quidquid potest causa inferior, potest superior causa nobiliori modo. Hoc modo sensus externi continentur in interno eminenter, & sensus internus in intellectu. Nam intellectus percipit omnia, quæ sensus interior, & nobiliori modo; & sensus interior, quidquid sensus interni. Simili modo anima vegetativa plantarum continetur in sensitiva animalium, & hæc in intellectiva: & prudentiæ instinctus animalium in prudentia humana.

Quartò, secundùm ordinationem & æstimationem seu secundùm rationem boni & appetibilis; Sic media sunt eminenter

nenter in causa finali; quia solùm propter finem æstimantur, & ad illum ordinantur, & tota illorum bonitas ex fine pendet.

Hi quatuor modi perfectissimè locum habent in DEO. Omnia enim sunt in ipso perfectissimè & eminentissimè tanquàm in *causa efficiente*, ut dictum est, & tanquam in *causa exemplari*, ratione idearum, quæ sunt vivæ notiones & similitudines rerum; *per quas, & secundùm quas ipse omnia produxit*, ut ait Dionysius de divin: nom. cap. 5. Et tanquam in *causa finali*; omnia enim sicut naturâ suâ sunt ab ipso, ita etiam sunt propter ipsum. Unde omnia nobis ad ipsum referenda: alioquin parum boni ex rebus ipsis percipiemus. Deniquè tanquam causæ particulares in universali. Hos modos insinuat Dionysius lib. de divin. nom: cap. 4. *In ipso*, inquit, *est omne principium, exemplare, finale, efficiens, formale, elementare; & simpliciter omne principium, omnis connexio, omnis terminus.* Ubi quinque Principiorum genera in DEO contineri attendit, ita ut ipse sit Principium omnis principii, & Causa omnium causarum: nec tantùm res ipsas in DEO eminenter contineri, sed etiam omnia rerum principia, & omnes causas. Unde passim vocat DEUM principium omni principio superius, & eminentius. Idem significat Apostolus cùm ait. *Ex ipso, per ipsum, & in ipso*, & ad ipsum sunt omnia. Sic enim citat ibidem Dionysius. *Ex ipso* designat primam & originalem causam efficientem: *per ipsum*, exemplarem; *ad ipsum*, finalem; *in ipso*, causam sustentantem omnia veluti quidam fundus & fundamentum omnium, cui omnia innixa recumbunt. *Hucusquè Lessius.* Rom. II.

§ Imus.

DE SUPER-ESSENTIA DEI

Constat abundè ex dictis, quid *superessentia* DEI sit, nempè *superens, supersubstantiale, superspirituale, supervivens superintellectuale, superperfectum.* Id est non tantùm secundùm humanum inperfectum modum concipiendi, verùm etiam ipsâ re & actu infinitè altioris ordinis esse DEUM ens spirituale, vivens, intellectuale, perfectum: quàm est, vel possibilis est, aliqua

creatura. Hucusquè conceptus & verba humana deficiunt in explicanda Natura DEI. Qui hoc ipsum quod dictum est de DEO, altiùs penetrare cupit, & ad cognitionem DEI puram à phantasmatibus, mediamquè inter abstractam & intuitivam (de qua supra sub Contemplatione agimus) pervenire, non suæ confidat activitati; quæ hic jam deficit, sed supplicet purus Divinæ bonitati, quæ sola illum elevare possit, ad contemplandum, amandum, degustandum, *Desiderium collium æternorum.* Hic sensus & regula semel pro semper esto. De Attributis quoquè seu Perfectionibus Divinis mox proponendis, etsi non ubiquè ly *super* addatur; tamen hæc particula, vel ipsi aliquid æquivalens, in contemplatione Divinorum per viam Præstantiæ, seu Eminentiæ, adhiberi debet saltem mentaliter.

Audi *S. Damascenum* qui ait; De DEO tamen, quid est secundùm substantiam, dicere impossibile, convenientiùsquè de DEO longè est per omnium ablationem facere sermonem: nam nihil eorum quæ sunt, est; non ut non ens, sed ut omnia entia supereminens, & super ipsum esse ens. Si enim eorum quæ sunt cognitio est, quòd omnem superat cognitionem, & ipsum quoquè super substantiam erit: & id reccurrit: quod super substantiam est, & id quoquè super cognitionem erit. Infinita igitur Divinitas & incomprehensibilis; & hoc solùm ejus comprehensibile, infinitas & incomprehensibilitas. Quæcunquè autem per Theologiam affirmativam de DEO dicimus, non naturam ejus, sed ea quæ sunt circa naturam insinuant. Nam & si bonum, si justum, si sapiens, si quidvis aliud dixeris, non naturam DEI dici, sed ea quæ circa naturam. Sunt etiam & nonnulla affirmativè de DEO dicta, vim superexcellentiæ negationis præseferentia; ut cùm tenebras de DEO dicimus, non tenebras intelligimus, sed quòd non lux, quippe qui super excellit lucem; & lucem dicimus, quia non est tenebræ. *Ita Damascenus.*

Actus & Affectus Anagogici in DEUM Ex Blasio Palma thesauri Indefic.

DOmine mi, tu es simplicissima Essentia, & ideo in omni genere perfectionum absolutè infinitus, nec quidquam tibi potest addi, vel deesse.

esse. Incomprehensibilis es, respectu omnium locorum, omnium temporum, omnium voluntatum, & omnium intelligentiarum. Quia tu excedis omnia loca, comprehendis omnes differentias temporum, transcendis omnes mentes, absorbes omnia corda hominum & Angelorum, & tu solus teipsum dignè potes comprehendere, metiri, intelligere & amare.

Es immensus, implendo, penetrando, eminendo super omnes res creatas & creandas: immobilis, indeterminatus, incircumscriptus: quia tuâ infinitate omnes terminos, & spatia imaginaria infinitè transcendis. Et ideò naturâ, operatione, cogitatione, affectibus es immutabilis; quia non cadit in te umbra vicissitudinis, mutabilitatis; Sed in eodem esse & velle semper es firmissimus.

Es æternus absquè principio & fine: amplecteris unico puncto indivisibilis æternitatis omnem durationem & differentiam temporum: neq; obis aliud tempus quàm perfectissimum Nunc illud, quod tempori semper ex æquo respondet: tibi ipsi es adæquata & perfectissima mensura æternitatis.

Quia igitur ut firmiter credo, tam grandis est Domine mi tua excellentia: nunc toto meo corde, summa cum humilitate & reverentia, te adoro & veneror, & unà cum spiritibus beatis & justis, te confiteor esse, qui es: & coram te humi prostratus reverenter me inclino, & profundissimâ humilitate submitto: & quia dignus es omni amore, te in æternum amabo integro & sincero amore. Et præterea pro gloria tua desidero, ut omnes creaturæ in æternum te ament, agnoscant, revereantur, honorent & laudent: ideoquè offero tibi meam vitam, vires, facultates, & quidquid habeo vel possum habere.

Insuper gaudeo & exhilaror quoties cogito, te esse tam magnum Dominum, infinitum, incomprehensibilem, immensum, immutabilem, æternum: & in te inveniri omnes perfectiones prædictas.

Congratulor tibi intimo affectu cordis tuam tantam Majestatem, gloriam & beatitudinem, quam possides, & in æternum possessurus es: ideo convoco omnes creaturas, ut tibi congratulentur, dicendo: Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula, &c.

Duplici superabundo consolatione & jubilo, cùm spero & considero istud ipsum tuum bonum, futurum aliquando meum: quia illud mihi promisisti, promeruisti, præparasti, largitus es, per Christum Filium tuum Unigenitum, & Redemptorem meum: quo itidem tecum in æternum fruar, modò fidelis in amore tuo permaneam. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.

§ 2dus.

DE SUPER-SIMPLICITATE DEI.

CErtum est, DEUM omni simplici esse simplicissimum Ens, id est nullam prorsus sui admittens compositionem ex materia & forma, ut simplicia & mixta corpora; vel ex subjecto & accidentibus, ut quoquè est in spiritibus Angelicis; vel deniquè ex genere & differentia, prout sunt omnes creatarum rerum essentiæ. Quod probatur: S. Augustinus inquit: DEUS verè & summè simplex est. Et Angelicus Doctor ita differit: Cùm DEUS sit primum ens, prima causa, actus purus, & ipsum esse, omni prorsus simplicitate gaudet. Quod ipsum declarat ulteriùs dicens: 1mò. Quia omne compositum est posterius suis componentibus, & dependens ex eis: DEUS autem est primum ens, ut supra ostensum est. 2dò. Quia omne compositum causam habet: quæ enim secundùm se diversa sunt, non convenient in aliquod unum nisi per aliquam causam adunantem ipsa. DEUS autem non habet causam, cùm sit prima causa efficiens. 3tiò. Quia in omni composito oportet esse potentiam & actum, quod in DEO non est; quia vel una partium, est actus respectu alterius; vel saltem omnes partes sunt sicut in potentia respectu totius. 4tò. quia omne compositum est aliquid, quod non convenit alicui suarum partium, & quidem in totis dissimilium partium hominis manifestum est, nulla enim partium est homo; nequè aliqua partium pedis est pes. In totis verò similium partium, licèt aliquid quod dicitur de toto dicatur de parte, sicut pars aëris est aër, & aquæ aqua: aliquid tamen dicitur de toto, quod non convenit alicui partium: non enim si tota aqua sit bicubita & pars ejus. Sic igitur in omni composito est aliquid, quod non est ipsum. Hoc autem etsi posset dici de habente formam, quod scilicet habeat aliquid quod non est ipsum: puta in albo est aliquid, quod non pertinet ad rationem albi: tamen in ipsa forma nihil est alienum. Unde cùm DEUS sit ipsa forma vel potiùs ipsum esse, nullo modo compositus esse potest. Et hanc rationem tangit Hilari 7. de Trinitate

S. August. de Trini. cap. 6.

D. Thom. p. 1. q. 3. a. 7.

nitate dicens. DEUS qui virtus est ex infirmis non continetur, nequè qui lux est ex obscuris coaptatur. *Hæc S. Thomas.*

Actus & Affectus vide supra sub accessu cap. 1. § 1. & hìc proportionatè applica.

§ 3tius.

DE UNITATE ET TRINITATE DEI.

Primò quoad Unitatem DEI.

DEUM unum esse unitate affirmativâ nempe indivisum in se, & divisum ac distinctum à quovis alio notum est. Alias dicente Suarez ut *bearetur* (DEUS) *non esset ens, sed entia.* Et paulò infra: Inquit D. Thomas *DEUM esse maximè unum.* Quod etiam est evidentissimum ex dictis, quia est in se maximè simplex, ideoque summam indivisionem in se habet, & â rebus creatis infinitè distat, ideoquè ab illis maximè divisus seu distinctus est secundùm entitatem suam. Præter quod (ut Eugubin. refert. lib. 3. de peren. Philosophia cap. 7.) antiqui etiam Philosophi vocabant *DEUM ipsum unum.* Quomodo autem cum hac summa Unitate stet Trinitas personarum, ut verè stat, dicemus infra. Hæc enim DEI unitas non secundùm personas, sed secundùm essentiam consideratur, quæ in omnibus personis una est, & cum eis identitatem habet maximam. *Hæc Suarez.*

Suarez de Deo lib. 1. c. 6. num. 2.
D. Thom. p. 1. q. 11. art.

Deinde DEUM esse unum etiam exclusivè, ita ut præter illum solum nullus sit verus DEUS nec esse possit, Divinamquè naturam multiplicari non posse, veritas Catholica est. Quam (*Suarez* ait) veritatem tam apertè & frequenter repetit scriptura, ut particularia testimonia referre non videatur necessarium. Illa verò sunt præcipua, ubi non solùm DEUS unus dicitur, sed etiam expresè omnis alius excluditur. *Dominus ipse est DEUS, & non est alius præter eum.* *Non est sanctus ut est Dominus, nec enim est alius extra te.* *Quis DEUS præter DEUM nostrum? & Tu es DEUS solus.* *Non est alius quàm Tu.* Unde quod dicitur: *Dominus DEUS tuus, DEUS unus est:* benè à quodam Scriba Christo Domino annuente explicatum est. *Quia unus est DEUS &*

Deut. 4.
Psal. 17.
Psal. 85.
Sap. 12.
Deut. 16.

Matth. 12. *& non est alius præter eum.* Et subdit Evangelista. *Videns JESUS quòd sapienter respondisset* dixit illi &c.

Unde eleganter Dionys. cap. 2do de Divin. nom. dixit. *In omnibus ferè sacris locis advertimus Divinitatem sanctè prædicari, ut singularem quidem & unicam ob simplicitatem atquè unitatem, excellentis illius individui, ex quo velut vivificâ virtute, in unum tendimus.* Et Damasce. lib. 1. cap. 5. dixit. *Apud eos qui scripturis credunt, DEUM esse unum extra controversiam est.* Quare necessarium non est Patres referre. Ex professo verò pro hac veritate contra pa- Suarez Ibidem ganos disputârunt. Justinus lib de Monarchia & orat. Parenet. ad gentes. Athanasius orat. contra Idolo. Tertull. Cipryanus, Arnob. Lactant & Augusl.

Ratione naturali probatur: quia nec possunt dari duo entia prima, quæ à se sint, sine productione, nec possunt dari duo entia quorum unum ab alio procedat distinctum, in natura & essentia, quæ sint æqualia in perfectione naturæ. Nam ex his principiis evidenter concluditur DEUM non posse esse nisi unum. Quia debet esse ens necessarium & summum ita, ut non possit habere superiorem: nam si habet superiorem & factorem; jam non erit DEUS, sed colet illum tanquam DEUM, à quo fuerit factus. Quam rationem ex effectibus, & supremo Dominio veri DEI in omnia (in Metaphysica) confirmavimus, præsertim disputa. 29. Potestquè discursus ibi factus ad causalitatem finalem applicari: nam ex ratione ultimi finis rectè colligitur, tantùm esse posse unum ultimum finem. Quia *impossibile est duobus dominis servire*, tanquam supremis dominis, & in duos terminos tendere tanquam ultimos. DEUS autem est ultimus finis rerum omnium, & præsertim hominum & intellectualium rerum. Ideo Alpha & Omega principium
Apoc. ult. & finis dicitur Apocalypsis ult: Est ergo unus tantùm *DEUS*
Prov. 1. *altissimus* qui omnia propter seipsum operatus est, ut dicitur Proverb. 16. Atquè huc spectat quòd DEUS talis esse debet, ut super omnia diligi debeat, at non potest diligi super omnia nisi unus tantùm sit. Nam si sint duo, vel ambo æquè diligendi sunt, & sic neuter super omnia: vel non æquè diliguntur, & sic solus ille DEUS erit, qui est super omnia diligendus.

Ideoquè

Ideoquè Scriba ille, qui cum Christo loquebatur ad confitendum primum præceptum, *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo*, rectè præmisit, non esse nisi unum DEUM. *Hactenus Suarez.* *Matth. 12.*

Mellifluus Doctor subtiliter & eleganter de simplicitate, & unitate Divinæ Trinitatis hæc proponit. Quid est DEUS? Quo nihil melius cogitari potest. Si approbas, non oportet assentiaris esse aliquid quid DEUS sit, & quid DEUS non sit: hoc enim sine dubio melius. Quomodo non melius DEO, si DEUS non est quod dat DEO ut sit? At melius illam Divinitatem, quam dicunt DEUM esse, non aliud quàm DEUM esse fatemur. Non est ergo in DEO nisì DEUS. Quid? inquiunt: Negas DEUM habere Divinitatem? Non, sed quid habet, hoc est. Negas Divinitatem DEUM esse? Non, sed non alia quàm quæ ipse est, aut si tu aliam invenisti, adjuvet me Trinitas DEUS adversus illam, totâ me contumaciâ erigo; Quaternitas orbem disterminavit, non signat Deitatem. DEUS Trinitas est. DEUS trium singula Personarum. Si quartam Divinitatem adjicere placet, interim ego hanc quæ DEUS non est, persvasi mihi minimè adorandam. Puto quòd & tu. Nempe Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies. Gloriosa verò Divinitas, quæ sibi honorem non audeat arrogare Divinum. At melius quartum hoc omnino respuimus quàm sine honore recipimus. Multa dicuntur esse in DEO, & quidem sanè catholicequè, sed multa unum. Alioquin si diversa putemus, non quaternitatem habueris, sed centenitatem. Verbi causâ. Dicimus magnum, bonum, justum, & innumera talia; sed nisì omnia unum in DEO & cum DEO consideres, habebis mulplicem DEUM. Mihi verò non deest quod cogitem melius ejusmodi DEO tuo. Quæris quid? Mera simplicitas. Vero judicio natura simplex, multiplici antefertur. Scio quod ad hæc respondere solent. Non multa inquiunt, sed unam tantùm Divinitatem, quæ omnia illa sunt, DEO ut sit conferre asserimus. Asseritis ergo etsi multiplicem, duplicem DEUM, & non ad merum simplex pervenistis, neque ad id, quo melius cogitari non potest. Tam non est simplex *D. Bernard. ad Eugen. c. 7.*

quod

quod vel uni fuerit obnoxium formæ, quàm nec virgo vel uni cognita viro. Securus loquor: nè is quidem qui vel duplex est, erit meus, habeo enim meliorem.

Esto quòd hunc numeroso & multiplici anteponam, sed planè præ simplici sperno. Meus DEUS ipse catholicè est. Tam non habet hoc & illud, quàm non hoc & illa. Est qui est, non quæ est. Purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus, trahens in se, nihil ex se deponens in eis, non habens quod ad numerum dividat, non quæ colligat ad unum. Unum quippe est, sed non unitum. Non partibus constat, ut corpus: non affectibus distat, ut anima; non formis substat, ut omne quod factum est; sed nequè formæ, ut istis visum est. Magna laus videlicet DEO, ut se ab informitate vindicet, formâ unâ esse contentum. Hoc est dicere, cætera pluribus, DEUM non nisì uni debere quod est. Quid? Cujus beneficio sunt quæ sunt, ipse pro suo Esse alterius beneficio indigebit? Laus ista ut vulgo dicitur, blasphemiam valet. An non pluris est nullo indigere quàm uno? Habe reverentiam DEO, ut quod pluris est, illi tribuas. Si cor tuum usquè huc ascendere potuit, DEUM tuum infra quomodo collocabit? Ipse sibi forma, ipse sibi essentia est. In hoc interim gradu suspicio illam: & si alter potior appareret, illum potiùs darem. Nunquid verendum, nè cogitatio trasvolet illum? Quantùmcunque in altum proficiat, ultra est. Infra quod homo cogitare possit. Altissimum quærere ridiculum est: statuere impium. Ultra non citra quærendus est. Ascende si adhuc potes ad cor altiùs & exaltabitur DEUS. Non est formatus DEUS, forma est. Non est affectus DEUS, affectio est. Non est compositus DEUS, merum simplex est. Et ut liquidò noveris, quid quid simplex dicam, idem quod unum. Tam simplex DEUS, quàm unus est. Est autem unus, & quomodo aliud nihil. Si dici possit, DEUS unissimus est. Unus est sol, quòd non sit alter: una luna, quòd æquè altera non sit. Atquè id quidem DEUS, sed plùs. Quid plùs? Dominus est etiam sibi. Et hoc vis tibi declarari? Idem est semper & uno modo. Non sic unus sol, non sic una luna; clamat uterquè non esse se unum sibi,

ſibi, ille motibus, illa & defectibus ſuis. DEUS autem non modò unus ſibi, & in ſe unus eſt. Nihil in ſe, niſi ſe habet. Non ex tempore alterationem habet, non in ſubſtantia alteritatem. Hinc de eo Boëtius: Hoc verè unum, in quo nullus eſt numerus. Nullum in eo aliud, præter id, quod eſt. Nequè enim ſubjectum fieri poteſt, forma enim eſt. Compara huic uni omne, quod unum dici poteſt, & unum non erit. Trinitas eſt, tamen DEUS. Quid ergo? deſtruimus quod dictum eſt de unitate, quia inducimus Trinitatem? Non, ſed ſtatuimus unitatem. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum Sanctum, non tamen tres DEOS, ſed unum. Quid ſibi vult iſte, ut ſic loquar, abſquè numero numerus? ſi tria, quomodo non numerus? Si unum, ubi numerus? Sed habeo inquit quid numerem, & quid non numerem. Subſtantia una eſt, Perſonæ tres ſunt. Quid mirum, quid vel obſcurum in hoc? Nihil, ſi perſonæ ſeorſum à ſubſtantia cogitentur. Nunc verò cùm tres illæ perſonæ illa ſubſtantia ſint, & illa una ſubſtantia tres illæ perſonæ, quis numerum neget? nam verè tres ſunt. Quis numeret tamen? nam verè unum ſunt. Aut ſi tu facile explicatu id putas, dicendo tres, dicito quid numerâſti? Naturas? Una eſt. Eſſentias? Una eſt. Subſtantias? Una eſt. Deitates? Una eſt. Non hoc, ſed Perſonas numero, inquis. Quæ non ſint illa una natura, illa una eſſentia, illa una ſubſtantia, illa una Divinitas? Catholicus es, minimè hoc dabis. *Hactenus B. Bernardus.*

Secundò quòad Sacroſanctiſſimam TRINITATEM.

Antequam de ſuperbeatiſſima Trinitate aliquid dicamus, hæc pro informatione ex *Dionyſio Carthuſiano* accipe. Quantò Trinitas eſt altior & purior, tantò cum majori reverentia, humilitate, & cordis munditia, ad ejus contemplationem accedere oportet. Nam (ut ſcribit D. Auguſtinus) nullibi periculoſiùs erratur, nec laborioſiùs aliquid quæritur, nec fructuoſiùs aliquid invenitur, quàm Unitas Trinitatis.

V. Thom. a Jeſu de Contempl. lib. 4. c. 17.

Contemplator igitur evagationes, inquietudines, & phantasmata prorsus â se abjiciens, mente recollectâ, ac timoratâ accedat cum omni humilitate, metu, & reverentiâ ad contemplandum mysterium supersanctissimæ Trinitatis, semper supponens pro certissimo fundamento fidei veritatem, & abstineat â præsumptuoso & immoderato scrutinio, nec transgrediatur terminos â Patribus Sanctis præscriptos, sed sacræ Scripturæ Catholicorumquè Patrum solidissimis documentis innitens, nihil de proprio sensu audeat adjicere, nisì illorum sententiis certissimè consonet. Et quidquid contemplatori devoto in Trinitatis contemplatione occurrerit, suam capacitatem & intellectum transcendens, non vanè tentet illud discutere; sed fide certissimâ illud credens, commendet reverenter ejus intelligentiam Spiritui Sancto; & contentus de eo quòd datur sibi intelligere & credere, gratias DEO cordialiter agat. Et ex consideratione eorum, quæ omnem mentis creatæ capacitatem transcendunt, consurgat in piam admirationem, & non in præsumptuosam discussionem, pensando quòd sicut DEUS æternus est penitùs incomprehensibilis, creatæquè mentis capacitatem transcendens, ita & ejus actio præsertim ad intra. Stultissimum igitur esset, velle eam comprehendere, aut humano ingenio metiri vel discutere. In his ergo quæ circa superexcellentissimæ Trinitatis contemplationem vim intellectualem transcendunt, non est nimiùm intellectus acuendus, figendus seu occupandus, sed simplici & stabili fide in his credendum, admirandum, ac cum laude superexaltandum est, quod Patrum documentis docetur & traditur.

Alia autem sunt quæ in supersubstantialis Trinitatis contemplatione vim affectivam inflammant, devotionemquè nutriunt, quæ supervoluptuosissimæ Trinitatis suppositâ fide faciliùs capiuntur, fructuosiùs conspiciuntur, dulciùsquè gustantur, & mentem in DEO fortiùs afficiunt & succendunt. Quorum contemplationi ut anima devota valeat frequentiùs intendere, & vacare, diuturniùs quoquè affectuosiùs & congratulabundiùs immorari, caveat nè aliquid in corde lateat, quo DEUS possit offendi, charitas lædi, puritas infici, animus distrahi.

Quamvis enim superjucundissimam Trinitatem non

posſimus comprehendere, oportet tamen nos indefeſſè ac jugiter niti, ut eam quotidie ſinceriùs contemplemur, ſplendidos intueamur, affectuoſiùs ſpeculemur, ſtabiliùs & ſuperferventiùs cernamus. Ad hoc enim quæritur ut dulciùs inveniatur, ad hoc invenitur ut quæratur avidiùs. Ut autem hoc impetremus, enitamur quotidiè creſcere in puritate interna, quiete mentali, & amore Divino, optemusquè ſemper fervido Zelo DEUM revereri, & ejus illuminationem infatigabiliter imploremus. Quia quantò nunc in ſuperbeatisſimæ Trinitatis contemplatione ſublimiùs promovemur, eò conformiores viciniores què reddimur perfectioni ac beatitudini supernorum civium, quorum tota merces, vita & occupatio eſt, videre DEUM Unitrinum *Hæc Dionyſius.*

DEUM eſſe naturâ unum, Trinum in perſonis Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, primum & maximum fidei Chriſtianæ eſt myſterium. De unitate naturæ viſum ſupra, de Trinitate Perſonarum hæc ex multis inſinuat ſcriptura. In Pſalmo 67. canit Regius Propheta: *Benedicat nos DEUS, DEUS noſter, benedicat nos DEUS*; ut per *noſter* indicatur ſecundæ Perſonæ futura incarnatio. Expresſiùs ſic hoc myſterium in novo teſtamento revelatur illis verbis: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Porrò ex innumeris conſiliorum & Sanctorum Patrum teſtimoniis ſufficiat Sancti Dionyſij, qui Trinitatem vocat *Unitatem ter ſubſiſtentem.* Anaſtaſius Synaita *Trinitatem* inquit *dico non eſſentiarum ſed Perſonarum.* Quomodo autem cùm Pater ſit DEUS, & Filius DEUS, & Spiritus Sanctus DEUS, non tamen ſint tres Dij, ſed tres Perſonæ & unus DEUS? Ratio revelata eſt; quia Deitas cum Patre & Filio & Spiritu Sancto identificata ſeu eadem realisſimè eſt: Perſonæ autem Patris & Filii & Spiritus Sancti realiter inter ſe diſtinctæ. Unde nè myſterium Trinitatis involvere contradictionem videretur (nè videlicet v. g. Pater dicatur eſſe Pater, & non eſſe Pater ſed Filius propter identitatem Deitatis, quæ eſt eadem realiter cum Patre & Filio) nequè eſſe contra rationem, ſed ſupra rationem, oſtendunt Theologi & asſignant inter Divinam naturam & Perſonas diſtinctionem aliquam non realem, ſed alii forma-

Matth. cap. ult:
Lib. 1. de Divin. nom: c. 1.
T. 1. Biblio. Patr. lib. 1. de fide Dogm.

formalem, alii virtualem &c. Per quam Pater â ratione Deitatis ut identificatæ Patri, non realiter sed formaliter vel virtualiter &c. distinguiur. Per consequens Pater quà Pater non erit idem cum Filio, quamvis ratione Deitatis sit idem realiter cum Filio. Illustratur hoc aliquâ similitudine, solis, in quo ipse sol est producens radium, sol & radius producunt calorem, nec tamen calor est radius, nec radius est sol, quamquam origo & principium radii & caloris sit idem unus realiter sol.

Modum & Ordinem Mysterii Sanctissimæ Trinitatis optimè explicat magnus Ascetarum Magister *Pater Ludovicus de Ponte S. J.* (cuius præclara opera tum alia, tum Meditationum pro incipientibus, proficientibus, perfectis accommodatarum unicè commendo) dicens: Prima Persona scilicet Pater, seipsum cognoscens, & comprehendens suam Divinam Essentiam, cum infinita majori claritate, quàm ego meipsum videam in speculo; illa cognitione format intra se conceptum & imaginem vivam sui ipsius: & hic conceptus est ejus Filius: de quo dicit Aposto: quòd sit *splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, & imago ejus invisibilis.* Hic est, quem S. Joannes Verbum appellat; quod Verbum loquitur Pater intra seipsum; & quia exprimit in eo quidquid ipse scit, appellatur Sapientia Patris. Quamobrem autem Pater producit Filium, necessariò illum amat, & complacet in eo sibi amore & gaudio infinito: quia in eo videt suam propriam bonitatem infinitam; & Filius eâdem ratione amat Patrem infinito amore & gaudio, ob infinitam quam in eo videt bonitatem, & quam ab illo ipse recipit: & uterquè simul hoc ipso amore producit unum impetum sive impulsum Divinæ suæ voluntatis: quem impulsum appellamus Spiritum Sanctum. Pater & Filius cui suam Divinitatem communicant: & ita est unus & idem cum illis DEUS. Et hoc totum est in DEO, à sua usquè æternitate: nam omnes tres Personæ sunt æternæ nec una alterâ prior; nec Pater antiquior est quàm Filius; nec Filius, quàm Spiritus Sanctus: non enim sunt Pater & Filius sicut sunt terreni. Item omnes tres Personæ sunt immensæ, nec potest una ab altera separari; sed ubicunquè est Pater est & Filius, & Spiritus S. & omnes tres sunt

Ludov. de Ponte par. 6. Medit: 4. pun: 3.

Hebr. 1. 3. Colos. 1. 15. Joan. 1. 1.

S. Thom. 1. p. q. 42.

sunt æquales; ita ut una non sit alterâ major: quia tanta est dignitas esse Filium, atquè esse Patrem; & esse Spiritum S. atque esse Filium. Omnes itaquè tres Personæ, integram habent & plenam beatitudinem in cognitione & amore sui ipsarum, & suæ Divinitatis. Ex quo procedit, ut sint infinitè lætæ & saturæ, absquè ullo tædio, aut necessitate rei alicujus extra seipsas. Quare etsi DEUS in sua æternitate, antequam mundum crearet, esset solus absquè ullis creaturis: non tamen otiosus erat aut sine summo gaudio: nam principale ejus opus est internæ cognitionis & amoris; in quo opere consistit ejus gaudium ineffabile: & ab eo procedunt externa opera, quæ omnibus tribus Personis sunt verè communia, quia omnes tres sunt unus Creator, Sanctificator, & Glorificator; unus Benefactor, à quo procedunt omnia opera naturæ, gratiæ. ideoquè omnes tres, audiunt orationes nostras, implent nostra desideria, & eos ipsos replent misericordiis. *Hæc ille.*

Porrò *Seraphicus Doctor* in hunc modum de hoc altissimo Mysterio discurrit. Post considerationem essentialem, elevandus est oculus intelligentiæ ad contemplationem beatissimæ Trinitatis, ut alter Cherub, juxta alterum statuatur. Sicut autem visionis essentialium ipsum Esse est principium radicale, & nomen, per quod cætera innotescunt; sic contemplationis emanationum, ipsum Bonum est principalissimum fundamentum.

S. *Bonav. itiner ment. in DEum c. 6.*

Vide igitur & attende, quoniam Optimum quod simpliciter est, quo nihil melius cogitari potest; & hoc tale sic est, quod non potest cogitari non esse; quia omnino meliùs est esse, quàm non esse; sic est, quòd non potest rectè cogitari, quin cogitetur Trinum & Unum. Nam bonum dicitur diffusivum sui. Summum igitur Bonum, summè diffusivum est sui. Summa autem diffusio non potest esse nisi sit actualis & intrinseca, substantialis, & hypostatica, naturalis & voluntaria, liberalis & necessaria, indeficiens & perfecta. Nisi igitur in summo Bono æternaliter esset productio actualis, & consubstantialis, & hypostaticalis æquè nobilis, sicut est producens per modum generationis & spirationis, ita quòd sit æternalis principii

æternaliter comprincipiantis, ita quòd esset dilectus & condilectus, genitus scilicet & spiratus, hoc est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nequaquam esset summum Bonum, quia non summè se diffunderet. Nam diffusio ex tempore in creatura non est nisi centralis vel punctalis respectu immensitatis bonitatis æternæ. Unde & non potest aliqua diffusio cogitari major illâ, eâ videlicet in qua diffundens communicat alteri totam substantiam & naturam. Non igitur summum Bonum esset, si re, vel intellectu illâ carere posset. Si igitur potes mentis oculo contueri puritatem bonitatis, quæ est actus purus principii charitativè diligentis amore gratuito, & debito, & ex utroquè permixto, qui est diffusio plenissima per modum naturæ & voluntatis. Tum illa: quæ est diffusio per modum verbi, in quo omnia dicuntur, & per modum doni, in quo cætera dona donantur; potes videre per summam Boni communicabilitatem, necessè esse Trinitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. In quibus necesè est, propter summam bonitatem esse summam communicabilitatem summam consubstantialitatem, & ex summa consubstantialitate, summam configuralitatem, & ex his summam coæqualitatem, ac per hoc summam coæternitatem, atquè ex omnibus prædictis summam cointimitatem, quâ unus est in altero necessariò per summam circuminsessionem, & unus operatur cum alio, per omnimodam indivisionem substantiæ, & virtutis, & operationis ipsius beatissimæ Trinitatis. Sed cùm hæc contemplaris, vide nè te existimes comprehendere incomprehensibilem: habes enim adhuc in his sex conditionibus considerare quòd vehementer in stuporem admirationis inducit oculum mentis nostræ. Nam ibi est summa communicabilitas cum Personarum proprietate, summa consubstantialitas cum hypostasum pluralitate, summa configuralitas cum discreta personalitate, summa coæqualitas non ordine, summa coæternitas cum emanatione, summa cointimitas cum emissione. Quis ad tantorum mirabilium aspectum non consurgat in admirationem? Sed hæc omnia certissimè intelligimus esse in beatissima Trinitate, si levamus oculos ad superexcellentissimam bonitatem: si enim ibi est summa communicatio, & vera diffusio, vera est
ibi

ibi origo, & vera diſtinctio. Et quia totum communicatur, non pars, idem ipſum datur quod habetur totum. Igitur emanans & producens, & diſtinguuntur proprietatibus, & ſunt eſſentialiter unum, quia ignis diſtinguuntur proprietatibus, ideo habent Perſonarum proprietates, & hypoſtaſtaſum pluralitatem, & originis emanationem, & ordinem non poſterioritatis, ſed originis, & emiſſionem non localis mutationis, ſed gratuitæ inſpirationis. Quia verò ſunt unum ſubſtantialiter, ideo oportet, quòd ſit unitas in eſſentia, & forma, & dignitate, & æternitate, & exiſtentia, & incircumſcriptibilitate. Dum ergo hæc per ſe ſigillatim conſideras, habes unde veritatem contemplaris. Dum hæc ad invicem confers, habes unde in admirationem altisſimam ſuſpendaris. Et ideo ut mens tua per admirationem in admirabilem aſcendat contemplationem, hæc ſimul ſunt conſideranda. *Hactenus D. Bonaventura.*

Actus & Affectus ad Sanctiſſimam Trinitatem ex Cardi: Bona. Via Compen: cap. 16. decad. 10.

PAter immenſæ majeſtatis, principium abſque principio, qui à nullo procedis, gaudeo quòd intrà te ipſum Verbum tuum æternum concipias, Filiumquè generes adeò tibi ſimilem, ut ſit unum & idem tecum.

Pater cæleſtis, à quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur, obſecro te per Filium tuum Unigenitum, in quo tantoperè delectaris, ut multos alios gignas filios per gratiam adoptionis, ut Paternitas tua ubiquè dilatetur, & reſplendeat.

Pater ingenite, innaſcibilis, improducibilis, ſanctifica me in veritate, ut qui à te proceſſi, in te perpetuò maneam, nec unquam mens mea à te avertatur.

Fili DEI unigenite, qui æternâ generatione à Patre procedis, ipſi coæqualis & conſubſtantialis, fac me pro modulo meo hujus ſimilitudinis & æqualitatis aliqua ex parte participem.

Fili DEI, DEUS de DEO, lumen de lumine, ſapientia increata candor lucis æternæ, fac me filium lucis, in hac vita, ut in æterna, lumine gloriæ illuſtratus, videam te glorioſum & benedictum in ſecula.

Splendor Paternæ gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, qui ſummè dilectus à Patre, ipſumquè Patrem ſummè diligens, ſimul cum ipſo unicâ

ſpiratione

spiratione producis Spiritum Sanctum; emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ut splendoribus tuis illustratus cognoscam te, & diligam, sicut tu diligis Patrem & eum perfectè cognoscis.

Sancte Spiritus, consolator dulcissime, donum Altissimi, & unctio Electorum, da mihi te ipsum donum infinitum, ut & ego spiritus sim sicut es tu, omnis terrenæ contagionis expers; & Sanctus sicut tu, currens inoffenso pede viam mandatorum tuorum.

Spiritus Patris à quo accipis Divinitatem, & omnipotentiam: Spiritus Filii, à quo accipis ejusdem sapientiam: Spiritus utriusquè, à quibus accipis infinitum amorem, quo se mutuò amant; illabere menti meæ, & fac concordiam in affectibus meis, ut conjungar tibi in uno spiritu, & totus convertar in spiritum amoris.

Sanctissime Spiritus, & amor suavissime, charitas essentialis, & totius charitatis principium, bonitas æterna, à qua omnia bona in nos descendunt; inflamma voluntatem meam ferventissimo tui amore & adstringe me Tibi, ac Patri, & Filio; ut nec intellectu, nec affectu à vobis divellar.

Sancta & adoranda Trinitas, DEUS meus, & omne bonum meum da teipsum mihi, & sufficit mihi. Quid enim ei sufficiet, cui Tu non sufficis?

§ 4tus.

DE VERITATE DIVINI ESSE.

Suarez de Deo lib. 1. cap. 7.

SUarez de eadem Veritate ita discurrit dicens: Certum est, esse DEUM, verum DEUM, ac proinde habere veritatem essentialem in essendo, quidquid tandem illa veritas sit. Hoc patet: quia in scriptura appellatur verus DEUS, ut distinguatur à falsis Diis. Sic dixit Christus. Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te solum DEUM verum.* Et Paulus 1mâ ad Tessal. 1. *Conversi estis à simulacris servire DEO vivo & vero.* Et 1mâ Joan. 5. *Hic est verus DEUS.* Jerem. 2dò. *Opus artificum universa hæc, Dominus autem DEUS verus est, ipse DEUS vivens & Rex sempiternus.* Sicut ergo ex fide confitendum est, hunc esse verum DEUM, verum spiritum, veram substantiam, verum ens: ita confitendum est in illo esse veritatem illam, à qua talis denominatio sumitur. *Hactenus Suarez.*

De

De hac veritate Entis Divini, aliqua clariùs attingentur infra, ubi & de veritate Divina formali, seu in cognoscendo, quæ pertinet ad scientiam DEI.

Actus & Affectus suprapositos in accessu cap. 1. § 1. hic proportionatè applica.

§ 5tus.

DE BONITATE SEU PERFECTIONE DIVINI ESSE.

Ex Lessio de Perfectionibus Divin: Lib. 7. c. 1. & 2.

Bonum dicitur propriè, quod est *perfectum*, & bonitas rei ejus *perfectio*. *Perfectio* autem est duplex: alia naturæ, alia moris, quæ virtus & Sanctitas dicitur. Itaquè triplex in DEO bonitas spectari potest. 1*ma* est bonitas naturalis. 2*da* est bonitas moralis. 3*tia* est bonitas beneficientiæ, quæ & *benignitas* dicitur. De quibus in sequentibus. *D. Thom. 1. pa. q. 5. a. 1. & q. 48. art. 1.*

Bonitas naturalis. In DEO est excellentia naturæ Divinæ, per quam habet omnem perfectionem in toto genere entis. Unde etiam complectitur sanctitatem & benignitatem, aliaquè Divina attributa, quatenus ad naturæ Divinæ perfectionem spectant. Cogita infinitam lucem, infinitam potentiam, infinitam sapientiam, infinitam pulchritudinem, infinitam dulcedinem, infinitum gaudium, infinitas opes, infinitam gloriam, infinitam majestatem, infinitam sanctitatem: hæc omnia continet bonitas Divina, tanquam infinitum omnium bonorum pelagus. Nequè solùm omne bonum in se continet, sed etiam eminentissimè continet, nimirum non per multas & diversas formas vel qualitates, sed per unam simplicissimam & eminentissimam formam, nempe per essentiam suam. Qui modus continendi omnes ejus perfectiones facit infinitè excellentiores, quàm si aliquo modo inter se distinctæ forent.

Quod ut meliùs percipiatur, notandum est quadruplex discrimen inter perfectionem DEI, & creaturæ, etiam excellentissimæ. 1*mum*. DEUS non habet suam perfectionem & excellentiam suam ab alio, sed à se tantùm: ipse enim est pri-

mus actus, prima perfectio, & primum bonum independens ab omni alio, fons inexhaustus omnis boni & perfectionis: creatura verò omnem suam perfectionem & bonitatem habet à DEO. Sicut in rebus corporeis Sol habet lumen à se ipso, id est, non ab alio aliquo corpore; Stellæ verò lumen habent à Sole.

Hinc sequitur alterum discrimen. Quòd perfectio DEI sit prorsus illimitata, & infinita, creaturæ verò limitata & ad stricta ad certam speciem. Cùm enim perfectio Divina non sit ab alio, non habet à quo limitetur, aut mensuram accipiat, ac proindè necessè est manere illimitatam in amplitudine sui conceptûs; Creaturæ verò perfectio, cùm sit à DEO, limitatur secundùm modum quem ei imponit Divina Sapientia; sicut omnia opera artis mensuram & modum & terminùm accipiunt ab arte opificis.

Tertium. Quòd DEUS omnem suam perfectionem habeat per simplicem suam essentiam, nullâ aliâ formâ vel modo reali accedente; secùs in creaturis. Nulla enim creatura habet omnem perfectionem per suam essentiam, sed opus est infinitis propemodùm formis & perfectionibus accessoriis, ut perfecta sit, ut patet in Angelis, quorum tamen natura inter substantias creatas est simplicissima & perfectissima. Ut enim omittam potentias & species intelligibiles, opus est illis plurimis habitibus & illustrationibus, & actibus tum intellectûs tum voluntatis, ut perfecti sint.

Hinc sequitur quartum discrimen. Quòd Divina perfectio non possit unquàm augeri vel minui. Cùm enim actu habet omnem perfectionem possibilem, nulla potest ei fieri accessio; & cùm illam habeat per essentiam, & à se, non potest ei ulla fieri detractio. Oporteret enim ipsum suam essentiam amittere, ut vel minimum quid suæ perfectionis deserat; Creaturæ verò perfectio potest & sine fine augeri, & usquè in nihilum minui. Possent enim Angeli Sancti & homines Beati, DEO ita disponente, crescere sine termino in claritate visionis Divinæ, & amore beatifico, & etiam omne bonum suum amittere.

Dionysius de Divinis nominibus cap. 13. adfert quatuor

rationes,

rationes, cur DEUS dicatur perfectus. *Prima*, quia per se perfectus, quo significatur illum non accepisse perfectionem ab alio, sive ut à causa efficiente, sive ut à causa formali, sicut fit in creaturis; sed habere omnem perfectionem suam à sola simplicissima essentia sua. Unde ipsius perfectio non consurgit ex accumulatione multarum rerum, sicut in creaturis, quarum nulla potest dici αὐτοτελής: sed ex una re simplicissima, quæ ipsemet est, & ita per se secundùm omne genus perfectionis, & perfectissimus.

Secunda est, quia est *superperfectus*, hoc est omni perfectione conceptibili superior & excellentior. Nihil enim à mente creata tam magnum, tam eximium, & excellens potest cogitari, quin DEUS infinities sit excellentior & major. Hoc denotatur illa voce ὑπερτελής.

Tertia est, quia non potest augeri vel minui, tanquam omnia anticipata, & præcepta per suam essentiam in se continens.

Quarta, quia ita plenus & superplenus est omnibus bonis, ut veluti fons inexhaustus exuberet & redundet perpetuâ, & incessabili largitione donorum in omnes res creatas. *Exuberans unâ incessabili, & eâdem, & superplenâ, & imminuibili largitione, per quam omnia perfecta perficit, & unum: quodquè congruâ sibi perfectione adimplet.* Et paulò ante. *Pertingens ad omnia pariter, & super omnia indefectibilibus largitionibus, & nunquam finiendis operationibus.* Unde patet DEUM dici *perfectum*, quia est author omnis perfectionis naturalis, & supernaturalis in rebus omnibus, à summis, & ipsi vicinissimis, usquè ad extremas, à prima substantia separata usquè ad infimam materiam; & ipsius radium pertingere ad omnia, idquè non semel tantùm, sed assiduè & indesinenter.

Nequè solùm, quia est author & causa efficiens, sed etiam, quia est exemplar & mensura omnis perfectionis. In rebus enim creatis dicitur aliquid perfectum in natura, quia est commensum suo exemplari secundùm quod est conditum in tali specie, sicut in arte factis, id est perfectum, quod exactè respondet conceptui & regulis artis. Unde ipsum exemplar

est per se & in se originaliter perfectum, absquè respectu ad aliud, tanquàm prima perfectionis regula. Itaquè ipse *perfectus* dicitur, & tanqùm fons, ex quo omnis perfectio naturæ, in omnia quæ sunt, manat, & tanquam mensura, ex cujus commensione ipsa perfectionis ratio pendet.

Hinc fit ut omnia opera DEI sint summè perfecta singula in sua specie. Cùm DEUS sit in se supremè perfectus in toto genere entis, ita ut nihil illi accedere possit, fecit omnem creaturam in sua specie supremè perfectam, ut nulla ei intra speciem illam possit fieri additio; sicquè perfectio summa creaturæ in certa specie, est signum summæ perfectionis Divinæ in toto genere entis. *Hæc Lessius.*

Actus & Affectus Anagogici ex Blasio Palma Thæsaur. indefic.

DOmine & Creator omnis boni, tu bonus es, non hoc vel illo modo, non in hoc vel illo genere bonitatis: sed absolutè sine principio & fine: sine limitatione, sine modo, nisi eo quo sine mensura accipias & amplecteris omne bonum. Tu es ipsa plenitudo & universitas boni, cui omnes res, à suprema substantia creata usque ad materiam nudam ac primam, debent omne suum bonum acceptum referre. Tu simplicissimâ essentiâ tuâ omnem excellentiam, omnem perfectionem, omnem beatitudinem, & omne bonum possides: nec bonitas tua & perfectio ullum habet limitem aut terminum: quia est primaria, nequè ab ullo dependet. A te omnia dulcia trahunt suam dulcedinem; omnia pulchra suam pulchritudinem: omnia lucida suum splendorem: omnia quæ vivunt, suam vitam: omnia quæ sentiunt, suum sentire: omnia quæ moventur, suum vigorem: omnis intelligentia, suam notitiam: omnia perfecta, suam perfectionem: omnia demum qualicunquè modo bona, suam bonitatem.

Tu magnus es sine quantitate, bonus sine qualitate, infinitus sine numero, formosus sine figura, æternus sine tempore, immensus sine loco, diffusus sine extensione, perfectus sine multiplicate, altissimus sine situ.

Tu centrum universi, ad quod naturali pondere omnes res tendunt: in quo omnia conquiescunt: a quo omnia sustentantur: in te sunt illecebræ omnis amoris, consummatio omnis desiderii, terminus omnis motionis, satietas omnis appetitûs.

Quanta est hæc vis tuæ summæ bonitatis, ad cujus parvi radii splendorem tanto impetu currit omnis creatura! dum unaquæque illarum appetit particulare suum bonum, & ad illud totis viribus contendit; quod bonum nihil aliud est, quàm parvum signum tuæ Bonitatis. Hoc omnem creaturam trahit: hoc in mundo tantum motum excitat: omne quod in unaquaquè creatura movetur, agitatur, operatur Si lenis umbra boni tanto impetu trahit, quanto magis trahet ipsa veritas? illa, inquam, pulchritudo & bonitas infinita, clarè visa, quæ tu es, dulcissimam & summum bonum?

Trahe mentem meam ad te ô immensa pulchritudo, adstringe eam ad te super omnes res creatas vinculo indissolubili & ligamento æterni amoris. Quid quæram & desiderabo extra te, qui es plenitudo omnis boni, fons, finis, suavitas, vis & medulla omnis boni? Valeant ergo aliæ res omnes: te semper cogitem, amem: ad te contendam, in te detinear: te laudem, benedicam, & omnes vires animæ meæ, & tota vita mea tibi serviant. Omnes res transitoriæ, propter te viles charæquè sint: nullâ alia ratione illas contemnam, vel æstimem. Perfice me, secundùm altissimum tuum beneplacitum, in cogitatione & amore tuo: commuta me totum in te ipsum, ut idem spiritus tecum fiam, Amen.

§. 6tus.

DE SAPIENTIA, ET SCIENTIA DEI

Ex Lessio de perfect. Divin. lib. 6. cap. 1.

SApientia propriè est notitia veritatis, non quævis, sed per supremas & primas causas. Qui plurima novit experientiâ vel ex effectis, vel ex causis propinquis, & creatis, dicitur quidem experiens, gnarus, doctus, multiscius, non tamen propriè *sapiens*: quia altissimas causas non contemplatur, nequè ex illis notitiam suam ducit In DEO igitur est Sapientia, quia omnia novit per supremas causas, nimirum per notitiam essentiæ suæ, quæ est omnium suprema causa efficiens, finalis, exemplaris, & fundamentalis. Comprehendens enim essentiam suam, hoc ipso ex vi illius comprehensionis cognoscit distinctissimè & clarissimè omnia possibilia (sub quibus continentur etiam omnium possibilium complexiones) quæ nimirum ipse per se facere

S. Thom. 2. 2. q. 9. a. 2.

facere potest; & illa comprehendendo cognoscit ulteriùs omnia in particulari, quæ singula illorum facere vel pati possunt, & in quibus deficere. Neque hoc solùm, sed etiam quid singula in quavis occasione essent factura, si talis vel talis occasio daretur. Neque in his sistit, sed etiam clarè intuetur, quid re ipsâ in omnem æternitatem sit eventurum, quibus momentis, quibus locis, quibus occasionibus, & aliis circumstantiis. Ratio est, quia in DEO cognitio abstractiva possibilium cùm sit infinitæ perfectionis & efficaciæ in attingendo objecto, hoc ipso quo objecta illa, re ipsâ sunt futura, fit intuitio existentium; nec opus est aliâ vi aut conatu. Unde patet omnem intuitum futurorum esse ex vi comprehensionis essentiæ, nec aliud requiri, quàm positionem objectorum. Tunc enim cognitio, quæ priùs seu in priori signo rationis erat abstractiva, transit in intuitivam, ex vi suæ perfectionis. Docet hoc apertè Dionys: de Divin. nomin. cap. 7. *Non enim* inquit *ex rebus ipsis res discens, novit eas Divina mens, sed ex se ipsa, & in se ipsa, secundùm causam, omnium scientiam & notionem & essentiam prahabet, & ante comprehendit, non singulis secundùm cujusquè speciem intendens, sed secundùm unicam causæ complexionem cuncta sciens, & continens: sicut & lux secundùm causam in seipsa tenebrarum notionem anticipat, non aliunde quàm ex luce tenebras noscens.* Hic manifestè tradit DEUM ex vi cognitionis essentiæ tanquam causæ omnium scire cætera, quod confirmatur verbis sequentibus: *Seipsam igitur Divina Sapientia noscens sciet omnia: & materialia sine materia, & indivisè divisibilia, & unicè multa; ipso uno omnia & cognoscens & producens. Nam si secundùm unam causam DEUS omnibus Esse impertit, secundùm eandem unicam causam sciet omnia, tanquam ex se existentia, & in se ipso ante præexistentia.* Et paulò post: *Non habet itaquè DEUS peculiarem scientiam sui, aliam verò communem res omnes complectentem. Ipsa enim omnium causa se ipsam cognoscens, nullo modo ea, quæ ab ipsa, & quorum causa est, ignorabit. Hâc igitur DEUS res cognoscens, non scientiâ rerum, sed scientiâ sui ipsius ipsas novit.*

Confirmantur hâc aliâ ratione. Sicut enim essentia Divina in ratione boni se habet ad voluntatem, ita in ratione veri seu intelligibilis se habet ad intelligendum. Sed voluntas Di-

vina nihil vult, nisì ex vi amoris essentiæ; ergo intellectus quoquè nihil intelligit, nisi ex vi cognitionis essentiæ. Et etiam id multò præstantiùs & sublimiùs, nimirum ut essentia Divina, non solùm quatenus est vis intelligendi, & rationem potentiæ subit, sed etiam quatenus habet rationem objecti, sit principium omnis cognitionis, & extendit se ad omne intelligibile, & quidquid ullo modo veri rationem obtinet.

Dicet aliquis. Quomodo DEUS cognoscit omne verum in essentia sua, seu ex vi cognitionis suæ essentiæ, cùm plurima sint vera, quorum ipse non est causa, ut sunt omnes complexiones liberi arbitrii cum peccato in hominibus, & dæmonibus; ut quòd Petrus negabit Christum, quòd Judas illum prodet, quòd Antichristus persequetur Ecclesiam, & faciet se adorari. Talium enim conjunctionum & complexarum veritatum ipse non est author. Quomodo ergo cognoscit eas in se tanquam in causa? *Respondeo*: quatuor modis intelligi posse DEUM illa cognoscere in essentia sua tanquam in causa. *1mò*, tanquàm in causa necessaria, ex qua illæ complexiones secundùm esse actuale necessariò sequantur. Et hoc modo falsum est, cùm nulla creatura actu existens hoc modo cognoscatur in essentia Divina; tantùm abest, ut peccata sic in illo cognosci possint. *Secundò*, tanquàm in causa libera, omnia futura in particulari liberè prædefiniente & decernente. Qui modus etsi quibusdam placuerit, nullâ tamen ratione admittendus est, nè cum hæreticis DEUM facere videamur authorem omnium scelerum. Si enim DEUS vult omnia fieri quæ fiunt in mundo, eaquè prædefinit & decernit ut sic fiant, quomodo non verissimè, propriissimè, & efficacissimè est author omnium operum malorum? Addo, si hoc tantùmmodo DEUS cognosceret futura, non cognosceret illa intuitivè ut sunt in se ipsis in rerum natura; sed solùm abstractivè, ut sunt in sua causa, nempe in decreto Divino; quod non est consentaneum summæ perfectioni Divinæ cognitionis. *Tertiò*, tanquàm in causa libera volente illa premittere, sine cujus permissione illa fieri non possent. Et hoc modo concedi potest, DEUM omnia peccata absolutè futura cognoscere in decreto permissivo suæ

volun-

voluntatis, positâ conditionalium scientiâ quam habet ex vi suæ essentiæ. *Quartò* tanquam in causa partim necessaria, partim libera. Qui modus non multùm distinguitur â 3tio; Sed ponitur â nobis majoris explicationis gratiâ. *DEUS* enim ex vi suæ essentiæ ante omne decretum liberum necessariò omnia possibilia, & omnes possibiles complexiones, & omnia ex hypothesi futura cognoscit: quâ cognitione positâ, accedente decreto libero, quo vult creare causas liberas, & permittere eas suis motibus in talibus circumstantiis, statim in suo illo decreto effectivo & permissivo videt, quid absolutè sit futurum; idquè priùs ratione, quàm videat effectum in se existentem. Et quia hæc visio est infinitæ efficaciæ in attingendo objecto, extendit se etiam ad ipsum effectum ut in re existit. Hoc sensu dicitur DEUS omnia cognoscere in se tanquàm in causa, nimirum tanquàm in causa propinqua vel remota, decernente, vel permittente. Nam in se tanquam in causa propinqua cognoscit omnem naturam rationalem possibilem: accedente decreto creandi, videt omnem existentem & futuram. In illa videt quidquid ipsa potest facere; & accedente decreto permissivo, videt omnia, quæ ipsa est factura,

Aliquot Considerationes, ex quibus magìs elucescit infinita vis Divinæ Sapientiæ Juxta citatum Lessium. cap. 2.

CONsidera *imò* DEUM omnia, quæ sunt in mundo usquè ad minutissimas partes, figuras, colores, qualitates, conditiones, situs, motiunculas, momenta, modosquè omnes, & habitudines distinctissimè & perfectissimè intueri, & in numerato habere; nimirum omnes vermiculos, omnes muscas, animalia omnia, & partes singulorum, omnia gramina, omnes herbas & plantas, omnia sylvarum folia, omnes pilos animantium, omnes arenas littoris & deserti, omnes guttas maris, omnes stillas pluviarum, omnes crispationes undarum, omnes foliorum motus, omnium mensuras, distantias, congruentias, discrepantias,

tias, situs, modos, tempora; omnes hominum & Angelorum cogitationes, affectus, omnes intentiones, præsentes, præteritas & futuras, & momenta singulorum. Hæc omnia semper distinctissimè & clarissimè intuetur, penetrat, comprehendit, idquè adeo clarè & perfectè, ac si tota vis mentis illius in unum duntaxat illorum intenta esset. Quod sanè diligenter est perpendendum, nè quis putet aliquid illum latere posse, aut minùs perfectè esse cognitum, in tam immensa rerum multitudine, sicut impij homines solent existimare, in quorum persona dicitur Job. 22. *Quid enim novit DEUS? & quasi per caliginem judicat; nubes latibulum ejus: nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.* Hos monet sapiens Ecclesiastici 16. *Non dicas; à DEO abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar; quæ est enim anima mea in tam immensa creatura? Ecce cælum, & cæli cælorum, abyssus & universa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur, montes simul & colles, & fundamenta terræ, cùm conspexerit illa DEUS, tremore concutientur.* Et Ecclesiasti: 23. juxta textum græcum. *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, dicit in corde suo: Quis me videt? tenebræ circumdant me, parietes operiunt me, & nemo me videt; quid vereor? peccatorum meorum non memorabitur Altissimus; & oculi hominum timor ejus; Et non cognovit, quòd oculi Domini decies millies clariores sole, inspicientes omnes vias hominum, & intuentes in absconditas partes.* Nequè id mirum videri debet. Sicut enim essentia ipsius, & potentia, in singulis punctis loci & spatii est tota; & tam perfectè, quàm si tota immensitas ad punctum esset contracta; ita etiam vis intelligendi & sapientiæ ipsius tam perfectè & efficaciter versatur circa res singulas, ac si uni soli intenta esset. Lumen enim sapientiæ ipsius non solùm est infinitum extensivè, nimirum quia se extendit ad infinita objecta, sed etiam intensivè, ut circa singula objecta habeat actum infinitæ perfectionis & claritatis.

Considera 2dò, illum non solùm ea, quæ re ipsa sunt, fuerunt, & erunt, modo prædicto cognoscere, sed etiam infinita alia: nimirum omnia illa, quæ ipsius omnipotentia potest creare. Itaquè simul intuetur infinitos mundos in seipso, huic

nostro similes, & infinitos dissimiles, infinitas rerum species sub singulis generibus, & infinita individua sub singulis speciebus, imò infinitorum individuorum infinitas, ut ita dicam, replicationes. Perpende quid sit infinitum, & quotuplex hoc sit infinitum. Multitudo enim specierum in generibus singulis, est infinita, id enim modò suppono tanquàm verisimilius, multitudo individuorum in singulis speciebus est infinita: multitudo replicationum singulorum individuorum infinita: Quis istâ mente comprehendens non obstupescat, & summa cum reverentia Divinæ sapientiæ in omnibus se subjiciat? Adhuc penetrat ulteriùs ad omnia opera singulorum, cognoscens quid singula possint facere, quid pati, quæ rursum infinita sunt, spectatâ diversitate objectorum agentium, patientium, applicationum, auxiliorum, dispositionum.

Sed neque in his operibus possibilibus sistit, sed incomprehensibili modo penetrat ulteriùs, cognoscendo non solùm quæ fieri possunt à singulis, sed etiam quæ re ipsâ fierent à singulis, quâvis hypthesi facta, quâvis occasione proposita. Hæ tamen occasiones sunt infinitæ, imò infinities infinitæ: nam vel ab uno homine possunt mihi infinitæ occasiones dari, & ipse ex parte subjecti possit infinitis modis affici & disponi. DEUS autem omnes illas distinctissimè & perfectissimè videt, & simul ulteriùs penetrat, quidnam in singulis libertas mea esset amplexura, quid factura. Idem dicendum de omnibus & singulis hominibus & Angelis existentibus, pariter & possibilibus. Cernit igitur non solùm omnia possibilia, & omnes operationes omnium possibilium, & omnes operationes re ipsâ in tota æternitate futuras; sed etiam omnes quæ quâlibet occasione ex infinitis occasionibus oblatâ essent futuræ. Nihil magìs stupendum, aut quod magìs immensam vastitatem, amplitudinem, profunditatem, & infinitam efficaciam Divinæ intelligentiæ, & sapientiæ declaret. Considera *3tiò*, & recollige ordinem objectorum Divinæ mentis, & sapientiæ juxta nostrum modum intelligendi. In primo igitur signo rationis, fertur in Divinam essentiam, & personas Divinas; in secundo, in omnia possibilia; in 3tio, in omnia opera possibilia re-

rum

rum possibilum; in 4to, in omnia futura ex hypothesi; in 5to, in omnia possibilia absolutè. Undè meritò dictum est à Propheta: *Sapientiæ ejus non est numerus.* *Psal. 146.*

Considera 4*tò*, quòd Divinus intuitus ferri possit in futura, quæ nondum sunt, id provenire ex infinita efficacitate oculi Divini, cujus radius se extendit, per totum tempus tangens & incurrens in omnia. quæ in aliqua parte temporis existunt. Quò enim vis visiva est major, eò longiùs se extendit. Sicut igitur oculus corporeus maximæ acrimoniæ in altissima specula constitutus, simul videret totam viam & omnes in principio, medio, vel fine viæ constitutos; ita oculus Divinus super omnia temporalia & mutabilia elevatus, fertur in totum temporis decursum, & in omnia, quæ per totum tempus fiunt, singula ab æterno quasi tangens, secundùm loca & tempora, quibus Esse accipiunt. Nec aliter illa videt cùm jam sunt, quàm antequam essent, aut cùm esse desierint, sed semper eodem modo illa intuetur, secundùm omnem statum, quem toto temporis successu habent. Quare etsi continua in rebus sit variatio, in visione tamen illius non est ulla successio, sed summa immutabilitas: In hac visione, quam & *Præscientiam* vocamus, omnia sunt facta, quæ futura sunt. *Ordo temporum* inquit D. Prosper sententiâ 57. *in æterna DEI Sapientia sine tempore est: nec aliqua apud illum sunt nova, qui fecit, quæ futura sunt.* In hac multi sunt æternâ beatitudine felices, & cum Christo regnantes in cælis, qui in seipsis nunc inimici: & multi è contrario æternâ damnatione miseri cum diabolo apud inferos, qui in seipsis nunc justi & filii. Itaquè nemo vel sibi nimiùm fidat, vel alium contemnat; quilibet enim spectandus est & æstimandus, non prout est brevi tempore, sed prout est in æternitate. Multos enim amat DEUS pro exiguo tempore, quos odit in æternitate; & contrà multos odit pro tempore, quos amat in æternitate.

Considera 5*tò*, Sapientiam Divinam plenam esse notionibus & conceptibus rerum, velut sigillis quibusdam, formandis creaturis, secundùm speciem cujusquè idoneis. Sunt enim res creatæ veluti impressiones quædam, & ἀποσφραγίσματα

Divinæ Sapientiæ. Quam ob causam Ecclesiastici 1. dicitur: *Et effudit illam* (Sapientiam suam) *super omnia opera sua.* Et quemadmodum sigillum aquæ, vel alteri rei fluxæ impressum, si amotum fuerit, statim forma perit; ita nisi Divinæ sapientiæ signaculum assiduè formet, & consignet creaturam, tota species & substantia rei evanescet. Itaquè cuilibet rei creatæ suum sigillum, quo ejus essentia ab intrinseco assiduè formetur & conservetur, semper est intimè præsens. *Hæc Lessius.*

Actus & Affectus Anagogici ex Blasio Palma Thesaur: indefic:

O Sapientissime DEUS, tu es illa Sapientia, quæ comprehendit omne, quod potest excogitari; ignorantia in te nullum habet locum; omnes res scis; nec potes errare: quia perfectissimè & distinctissimè omnes res præsentes, præteritæ, futuræ, omnes possibiles, imaginabiles; omnia quæ sunt, & quæ non sunt, tibi, DEUS meus sunt præsentia, & in sancto tuo conspectu posita.

Tu es primarium signaculum omnium rerum, tu omnia tuâ puritate, & subtilitate penetras, & omnia pariter intimè disponis in omnibus. Et licet attingas & penetres à fine usquè ad finem, & à summo usquè ad extremum, nihilominus nulli rei te immisces; nequè à lue quapiam coinquinaris, sed semper in tua pulchritudine, candore, & sinceritate permanes.

Tu es auctor, & artifex: tu exemplar, mensura, & finis omnium rerum; nequè solùm architectus illarum, quæ sunt, & acceperunt suum esse, & speciem à te ipso impressam, visibiles, invisibiles: sed etiam illarum, quæ non sunt, & omnipotentiâ tuâ fieri possunt, utiquè in infinitum longè plures iis, quæ factæ sunt.

O sapientia admirabilis! hæc amplectitur totam simul æternitatem, & intra se totam immensitatem capit, totam ad se trahit Infinitatem, omnia in ipsa habent æternum esse, & æternam vitam: caret principio & fine, & per omnia est immutabilis.

Placet mihi Domine, gaudeo, & congratulor tibi istam tuam profundissimam Sapientiam, quâ scrutator es cordium: si ego vel parum hanc tuam Sapientiam imminuere, vel obscurare possem, nè agnosceret

malitiam meam, & scelera mea, non facerem: Imò potiùs vellem ipse destrui & annihilari, quàm ut vel unico puncto tua Sapientia minueretur; per quam etiam humiliter peto illuminari intellectum meum, ut perfectè cognoscere possim pulchritudinem virtutis, & turpitudinem vitii: ut hoc fugiam, illam autem persequar; & magis magisquè diligam id, quod ad gloriam, & honorem tuum cedit sempiternum.

§. 7timus.

DE VERITATE DEI

Ex Lessio de Divinis perfectionibus lib. 6. cap. 4.

SApientiæ connexa est *Veritas.* Porrò *veritas* generatim nihil videtur esse aliud, quàm conformitas rei cujusquè cum sua mensura & regula, per quam sic est formata vel concepta. Ideo enim hoc est verum aurum, verum argentum, vera aqua; quia secundùm suam speciem est conforme & congruens suæ mensuræ infallibili, per quam sic est formatum.

Hæc autem mensura est conceptio Divina, quam ideam vocamus. Concepit DEUS intra se naturam auri, & vi hujus conceptionis fecit illud extra se, ipsi conceptioni tanquam regulæ suæ conforme, ac tale planè, quale concepit. Illa congruenta & conformitas auri, cum sui conceptione effectrice, est ejus veritas, nec DEUS aliunde, de ejus veritate judicat. Si aliter se haberet, quàm conceptio & notio auri in DEO requirit, non esset verum aurum, sed falsum & assimilatum. Idem dicendum de omnibus aliis rebus à DEO formatis. Conceptio enim Divina, quâ singula secundùm suas species ab æterno excogitata, & in mente Divina velut efficta sunt, est omnium mensura, omnium regula, & veluti primævum sigillum omnibus impressum, cui omnia sunt conformia, per quam conformitatem singula secundùm suas species vera sunt, & dicuntur. Hoc modo *veritas* est proprietas entis creati; sicut & *bonitas*, cujus ratio consistit in eo, quòd omnia secundùm suam speciem sint congruentia ad finem, ad quem à DEO sunt instituta, qui potissimùm est declarare potentiam, sapientiam, bonitatem, &

cæteras perfectiones sui Conditoris. Sicut enim omnis res dicitur *vera* ex conformitate ad suam causam exemplarem, ita dicitur *bona* ex congruentia ad suam causam finalem. Nec refert, quòd nomina *veri* vel *boni* ex hac consideratione rebus fortè non sint ab initio imposita, & aliâ etiam ratione res veræ & bonæ dici possint: nos enim de primaria Veritate & Bonitate rerum loquimur.

Considerandum etiam est, unicam in singulis rebus esse *veritatem*: sicut est unica species, & unicum exemplar cujusquè, cui res quælibet conformatur. Est tamen multiplex in rebus bonitas, quia res quælibet deservit ad multos fines inter se subordinatos, qui tamen omnes ad unum finem ultimum, nimirum gloriam DEI reducuntur. Præcipua tamen bonitas rerum, à qua potissimùm bonæ dicuntur, est ex ordine & congruentia ad finem ultimum. Quò enim quælibet res magis valet ad perfectiones Divinas declarandas, eò est præstantior & entitative melior.

Ex his obiter colligimus, cur tantùm sint duæ proprietates entis positivæ *verum* & *bonum*. Dico positivæ; quia unitas super rationem entis nihil dicit, nisi divisionis negationem. *Unum* enim est res in se indivisa, ab aliis omnibus divisa. Ratio igitur cur duæ tantùm sint, est, quia tres tantùm sunt habitudines rebus omnibus communes ad causam universalem omnium. *Prima est*, tanquàm ad causam primam effectricem, à qua omnia accipiunt esse, ratione cujus dicuntur entia; Hæc habitudo est prima & fundamentalis. *Secunda*, tanquàm ad causam exemplarem, secundùm quam effectæ sunt: Hæc habitudo dicitur veritas. *Tertia*, ut ad finem ultimum, quæ dicitur bonitas. Non poterant autem aliter hæ proprietates in rebus poni, quàm ex ordine ad istam causam, quæ est DEUS: tum quia nulla est alia, à qua omnia dependentiam habeant, tum quia omnis habitudo ad alia, verbi gratiâ ad intellectum, & voluntatem creatam, est posterior ratione veri & boni. Non enim ideo res sunt veræ, quia intelligibiles, nec ideo bonæ, quia amabiles, sed contra hæ denominationes veritatem & bonitatem rerum consequuntur, tanquam posteriores. Secundùm

hanc considerationem opera bona in sacris literis dicuntur *veritas*, seu vera (abstractum enim pro concreto accipitur idiotismo Hæbraico) & qui benè operatur, dicitur *facere veritatem*; quia sunt conformia suæ regulæ, nimirum legi æternæ. E contrario opera mala vocantur *mendacium*, & qui ea facit, dicitur facere *& operari mendacium*, qui commendat & suadet, *loqui mendacium*; quia dissident à regula operationis, & vitæ humanæ.

Adverte tamen, ea, quæ diximus, intelligenda esse de veritate & bonitate, ut sunt proprietates entis creati, nam longè eminentiori ratione hæ denominationes DEO conveniunt; Ipsius enim *veritas* non consistit in conformitate naturæ ipsius cum suo exemplari, (nullum enim est tale exemplar) sed in eo; quòd ejus natura sit talis, quæ debeat omnium esse exemplar & mensura: & ipsius *bonitas* non est sita in convenientia & ordine ad aliquem finem, sed in eo quòd ipse sit tantæ excellentiæ, ut debeat esse omnium finis.

Alio modo accipitur *veritas* strictiùs, ut propria est cognitioni & judicio, & sic nihil est aliud quàm conformitas cognitionis cum objecto, tanquam cum sua mensura; nempe cùm res talis judicatur, qualis ipsa in se est. Hæc conformitas sicut in rebus nihil reale aut formale addit earum entitati, ita in cognitione nihil addit entitati cognitionis. Omnis enim notitia hoc ipso quod attingit suum objectum, est conformis objecto, ac proinde vera. Attingit autem objectum præcisè per se ipsam, & suam entitatem, nullo rei superaddito; nam hoc ipsum constituit ipsius naturam, & rationem specificam. *Veritas* igitur cognitionis, nihil est aliud, quàm ipsa cognitio, quatenus attingens objectum eiquè conformis. Porrò hæc veritas vocatur *veritas formalis*, illa verò objectiva & fundamentalis: quia veritas rerum est fundamentum & objectum veritatis, quæ est in cognitione creata.

Quocunquè autem modo veritas consideretur, DEUS est summa & prima *Veritas*, & plenitudo veritatis. Est enim *prima veritas objectiva & fundamentalis*; quia est sua essentia, quæ est primum & summum objectum, intelligibile, inter omnia intelligibilia, & prima supremaquè mensura omnium mensurabilium;

rabilium; & in ipsa omne intelligibile, & omne mensurabile, eminentissimè, tanquàm in abysso omnis veritatis, & prima ratione determinatrice, & modificatrice omnium, continetur.

Est prima & summa *veritas formalis*, quia est sua sapientia omnem sapientiam infinitè superans; imò est ipsa universitas & plenitudo sapientiæ, in qua omnis sapientia, omnisquè veritatis notio eminentissimè est collecta, quæ omnem veritatem objectivam perfectissimè & distinctissimè attingit & penetrat. Oritur hæc veritas formalis in DEO, nostro modo concipiendi à veritate objectiva essentiæ, quia hæc est mensura Divinæ sapientiæ; & veritas sapientiæ consistit in conformitate, & adæquatione cum essentia; & consequenter cum omnibus quæ in illa eminenter continentur.

A veritate Divinæ sapientiæ descendit omnis veritas in creaturas, idquè dupliciter. *Primò*, per creationem: quia per sapientiam conditæ sunt & formatæ, & in conformatione cum illa sapientia & arte Divina consistit earum veritas. A rebus transit ulteriùs veritas in nostram cognitionem; quia veritas rerum, est veritatis nostræ cognitionis mensura & origo. A nostra cognitione transit in nostros affectus & mores, quatenus hi judicio prudentiæ, & notitiæ Divinæ legis conformantur. Deniquè in nostros sermones & scripta, quatenus sermones sunt signa conceptuum animi, & scripta sermonum. In his ergo cernitur solùm veluti extremum veritatis ἀπήχημα & resultans quoddam umbratile vestigium. *Secundò*, descendit veritas à DEO in creaturas per revelationem & illustrationem Divinam; hæc enim veritas non est hausta ex objectis, sed directè per infusionem luminis communicata. Hoc modo veritas fidei & visionis beatæ ad nos derivatur.

In rebus, quæ non sunt actu, non est propriè veritas; sed potest esse. Ante mundum conditum homo non erat in se verus homo, nec vera substantia, nec verum ens, sed solùm poterat hæc esse, id est illi conceptui objectivo, qui apprehenditur formali notione hominis, non repugnabat esse verum hominem, veram substantiam, verum ens. Idem dicendum de omnibus aliis rebus creatis. Hæc enim omnia nihil erant, nisi

nisì conceptus objectivi, seu rationes conceptibiles non habentes ullum esse actu, nisì in intellectu Divino, & per notiones ipsius æternas, quibus apprehendebantur & formabantur: totum esse illorum nihil aliud erat, quàm intelligi, intellectu fingi, & formari

Duplici tamen ratione dicebantur posse esse, seu esse res possibiles. Primò, quasi intrinsecè, seu à potentia *intrinseca*, quæ nihil aliud est quàm non repugnantia, per quam etsi nihil sint, & nihil entitatis habeant, esse tamen, & veram entitatem ac speciem habere, ipsis non repugnat. *Secundò*, per denominationem extrinsecam à potentia, & sapientia Divina, per quam possunt in esse, & speciem produci. Itaquè sicut in istis non est entitas actualis, sed solùm possibilis: ita nec est veritas actualis, sed possibilis Sed & hæc tota quantula est, pendet à veritate Divina. Quòd enim conceptus objectivi rerum, seu res, quæ dicuntur possibiles, possint esse verè res, & habere veram entitatem & speciem, provenit ex eo, quòd essentia Divina illis modis sit imitabilis, & Divina potentia per suam sapientiam, quâ eas concipit, possit eas sic facerè & formare.

Ex his patet, quomodo à prima veritate tanquàm fundamento & radice omnis veritas pulluleti & ad alia omnia sive existentia, sive non existentia derivetur: quomodo item Divina sapientia omnis veritatis objectvæ, quæ est in creatis, sit mensura; deniquè, quomodo omnis veritas formalis, quæ est in creatis, ab ea descendat.

Nequè his obstat, quòd cognitio intuitiva DEI, quatenus ad creaturas se extendit, ab illis quodammodo pendere, & veritatem haurire videatur; quia veritas Divinæ intuitionis, seu conformitas ejus cum objectis creatis, non provenit ab ipsa rerum evidentia vel efficacia, quam habent ad movendum intellectum Divinum, & formandam in ipso cognitionem, sed ex vi comprehensionis essentiæ. Cognitio enim Divina ex vi terminationis ad essentiam, terminatur ulteriùs ad omnia possibilia; & ex vi terminationis ad possibilia, terminatur ad omnia existentia eo ipso, quo aliquando sunt eventura. Itaquè existere rerum, non est causa, aut mensura.

unde veritas visionis Divinæ pendeat; Sed est solùm conditio, sine qua non ita terminaretur: ac proinde sola essentia est mensura totius Divinæ cognitionis respectu omnium objectorum: hinc enim omnis ejus veritas & certitudo pendet. Unde tam est imposibile DEUM falli circa rem minutissimam (verbi gratiâ, circa cogitationes aut intentiones cordis humani, & minimas ejus circumstantias) quàm est imposibile illum falli circa propriam essentiam. *Hæc Lessius.*

Actus & Affectus supradatos in accessu cap. 1. § 1. hic proportionatâ methodo adhibe.

§. 8tavus.

DE SANCTITATE DEI.

Ex Lessio de Divin. perfectionibus. lib. 8. cap. 1.

SAnctitas est *bonitas moralis*: quæ generatim nihil est aliud quàm perfectio morum in actu, vel habitu; quæ etiam in scripturis *justitia* vocari solet Idem enim in scripturis est *esse justum*, & *esse sanctum*, habere justitiam, & habere sanctitatem; etsi propriè non vocemus sanctos, nisi eos, qui in justitia sunt perfecti. Sicut autem perfectio naturalis in rebus creatis consistit in eo, quòd aliquid sit commensum suæ regulæ, secundùm quam est factum: ita perfectio moris in commensione cum lege æterna, secundùm quam oportet operari. Sicut enim concept⁹ Divinæ mentis seu idea est mensura perfectionis naturalis, seu entitatis in rebus omnibus: ita lex æterna est mensura perfectionis moralis & sanctitatis naturæ rationalis in omnibus operibus bonis. Is enim perfectus est & sanctus, cujus affectus & mores exactè congruunt legi æternæ.

Sed altioris longè rationis est perfectio Divina, non enim voluntas Divina ejusquè mores accidentario modo conformes sunt legi æternæ sed essentialiter, & ab intrinseco, neq; per varias virtutes, sed per essentiam suam, quatenus ea rationem voluntatis obtinet. Rursus cùm lex æterna oriatur ex ratione Divinæ essentiæ (quæ sicut est origo primordialis omnis perfectionis entitativæ; ita etiam omnis perfectionis mora-

lis, &

lis, & omnis rectitudinis affectûs & moris) fit ut perfectio & ſanctitas conſiſtat in conjunctione cum DEO per affectum. Unde amor DEI eſt Sanctitas. Quare cùm DEUS ſibi ipſe maximè ſit conjunctus, tum per naturam ſuam, tum per affectum amoris, ipſe maximè Sanctus eſt. Deniquè ratio ſanctitatis, ut à nobis concipi poteſt, conſiſtit in puritate animi, aliena ab omni contagione, & labe peccati, ut docet Dionyſius cap. 12. De Divinis nominibus. *Sanctitas eſt, ut more noſtro loquar, ab omni ſcelere libera, & omnino perfecta, & omni ex parte immaculata puritas.* Talis autem puritas maximè convenit DEO.

DEUS igitur *Sanctus* dicitur multis modis, potisſimùm quinquè. *Primò* radicaliter; quia eſſentia Divina eſt prima radix & originalis fons omnis ſanctitatis & puritatis. Ex ipſa enim noſtro modo concipiendi, & lex æterna, & amor omnis, omnisquè puritas in intellectu & Divina voluntate oritur.

Secundò objectivè; quia eſt objectum omnis ſanctitatis. Omnis enim ſanctitas ſita eſt in amore & conjunctione cum DEO: quare etiam eſt menſura *totius & ipſius ſanctitatis.* Unde nimirum ſanctitas ſuam ſpeciem & modum accipit. Sanctitas enim eſt puritas. Sicut autem impuritas naſcitur ex contactu inferiorum, ut cùm facies vel veſtis luto aſpergitur, vel cùm anima per affectum inferioribus inordinatè in hæret: ita puritas oritur ex contactu ſuperiorum, cùm affectus ad ſublimiora & nobiliora aſſurgit, & iis inhæret. Supremum autem omnium & ſimplicisſimum, & purisſimum eſt DEUS. Unde ſumma puritas conſiſtit in adhæſione cum DEO. Itaquè cùm ſumma puritas ſit ſanctitas DEUS eſt ratio objectiva, & menſura ſanctitatis.

Tertiò dicitur Sanctus exemplariter, in modum regulæ; quia per legem æternam eſt regula omnis ſanctitatis. Conformatio enim affectûs cum lege æterna, eſt vera ſanctitas.

Quartò Formaliter; Sanctitas enim formaliter eſt puritas affectûs: puritas autem affectûs eſt amor DEI; quia eſt adhæſio cum eo, quod purisſimum & nobilisſimum. Quare cùm DEUS ſit amor ſui, ipſe hâc ratione formaliter eſt ſua ſanctitas: & quia ſe amat infinitè, quantum nimirum eſt amabilis,

ideo quoquè infinitè sanctus est. Similiter quia nihil omnino amat, nisì propter semetipsum, etiam in amore omnium creaturarum sanctus est. Unde scriprum Psal. 144. *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis.* Non enim amat eas propter ipsas ultimò, sed propter excellentiam bonitatis suæ; quo in affectu sita est sanctitas. Sanctum enim esse, est amare DEUM, & gloriam ipsius in omnibus procurare. *Item Sanctus in omnibus operibus suis*: quia omnes ejus affectus, & omnes operationes exactissimè legis æternæ rectitudini conformantur. Uoluntas enim ipsius per se, suamquè essentiam legi æternæ ex æquo respondet, & commensuratur: quia tam perfectè vult rectitudinem, quàm perfectè illam concipit. Unde sicùt intellectus, & judicium rectitudinis est infinitè perfectum, ita quoquè amor & affectus rectitudinis est infinitè perfectus, utpote intrinsecam suam regulam adæquans.

Hinc fit ut DEUS necessariò oderit peccatum idquè infinito odio. Cùm enim necessariò amet rectitudinem legis æternæ, necessariò odit quidquid huic rectitudini adversatur: adversatur autem illi omne peccatum: quia ratio peccati in eo sita est, quòd sit contra legem DEI æternam. Item necessariò amat suam bonitatem & perfectionem; necessariò ergo odit omne peccatum, quod illi bonitati repugnat: repugnat, inquam, non ut forma formæ, sed ut inordinatum, & distortum suæ regulæ & mensuræ. Quod infinito quodam odio illud habeat (de perfecto peccato seu mortifero loquor) colligitur ex istis signis. *Primò*, quia privat hominem infinito bono, nimirum possessione ipsius DEI. *Secundò*, quia infligit infinitum dolorem, & ignominiam, nimirum æternos cruciatus. *Tertiò*,
Ezech. 18. quia tametsi quis haberet innumera merita, eorum tamen
Rom. 6. omnium DEUS vel ob unum peccatum mortiferum oblivisceretur, ut ex scripturis constat. *Quartò*, quia Filium suum ad delendum peccatum incarnari, & mori voluit.

Quintò dicitur Sanctus eminenter & caussaliter, tanquam fons & principium omnis sanctitatis & puritatis in creaturis; principium inquam efficiens, formale, exemplare, finale. *Efficiens*, quia ipse est, qui omnem Sanctitatem, tam in Angelis, quàm in ho-

in hominibus infundit, ipse qui creaturas suas ad se convertit, peccatorum labes abstergit, gratiæ lucem & omnem virtutem supernaturalem mentibus inserit. *Formale*, quia ipse est omnis sanctitatis ratio objectiva, speciem & formam illi impertiens; unde se habet per modum causæ formalis, non informantis, sed altiori modo & absquè imperfectione speciem tribuentis. *Exemplare*, quia omnis sanctitas debet conformari legi æternæ, (quæ est ipsa rationis Divinæ rectitudo, ac proinde ipse DEUS) tanquam regulæ & mensuræ suæ; & sicut opus artis debet conformari regulis artis. *Finale*, quia omnis sanctitas creaturæ dirigitur in DEUM ejusquè gloriam ut in finem. Ideò enim omnis creatura sanctificatur, ut DEO tanquam ultimo fini, inhæreat, eumquè honoret, laudet, & glorificet.

Discrimen Sanctitatis Divinæ & creaturarum, Ex Lessio citato cap. 2.

EX his colligere licet multiplex discrimen inter Sanctitatem DEI & sanctitatem creaturæ, quantumvis ea sublimis & sancta sit. *Primò*, quia DEUS per se ipsum, nimirum per suam essentiam, sanctus est; sive de sanctitate fundamentali, sive de objectiva, sive de formali loquamur, ut ex dictis constat. Nulla autem creatura potest esse sancta per suam essentiam: imò nihil creaturæ potest esse naturale; esse filium DEI, esse impeccabilem, habere Spiritum Sanctum, videre DEUM; quamvis id fiat per qualitates vel actus accessorios. Itaquè solùm per dona supernaturalia naturæ superaddita sanctitatem habet.

Secundò, Sanctitas DEI est substantia, sicut & ejus sapientia, & amor, & cæteræ virtutes: sanctitas creaturæ est qualitas substantiæ accessoria, eaquè multiplex: complectitur enim varios actus, & habitus, tum intellectûs tum voluntatis. Intellectus enim debet esse illustratus fide, vel lumine gloriæ: voluntas charitate, & religione, & aliis virtutibus supernaturalibus charitati subservientibus. Quamvis enim ipsa, propriè & formaliter in charitate consistat, tamen requirit multa alia, vel ut prævia, vel ut subservientia.

Tertiò, Sanctitas DEI est omnino infinita & intensivè & extensivè, tantùm enim se amat DEUS quantùm est amabilis; tantaquè est puritas in amore, quanta est in perfectione essentiæ. Extendit etiam se ad infinita, nimirum ad omnia, quæ cernit in sua essentia, illa enim omnia placent ipsi propter semetipsum, & gloriam suam. Creaturæ autem sanctitas utroquè modo est finita & limitata, nequè enim tam ardenter DEUM amare potest, quàm ipse dignus est; nequè eâ æstimatione, quâ dignus est; nequè ad infinita distinctè se potest extendere, ea ad ipsius gloriam referendo.

Quartò. Hinc fit ut Sanctitas DEI nequè crescere possit unquam nequè minui. Non crescere, quia est universitas & plenitudo sanctitatis infinita; Non minui, quia est essentialis. Creaturæ verò sanctitas potest crescere sine termino, & potest minui usquè ad nihilum: nempe si naturam rerum spectes, & nisi DEUS terminos præfixisset.

Quintò. Sanctitas DEI est superior omni sanctitate & puritate intelligibili, & in ipso præexistit, & superexistit ab æterno ipsa sanctitatis ratio & plenitudo superessentialiter, adeò ut sanctitas creaturæ ad illam puritatem comparata sit instar nihili, & velut impuritas quædam. Simili modo tota potentia, sapientia, pulchritudo, excellentia, totius creaturæ, ad Divinam potentiam, sapientiam, pulchritudinem, excellentiam collata est instar nihili. Unde Theologi docent, totum universum unà cum DEO sumptum, non esse quid præstantius DEO solo; tum quia non addit aliquid notabile DEO, sicut una arenula non addit aliquid notabile immensitati terræ, tum quia etsi semel productum sit, adhuc continetur in DEO eminenter & idem numero: Unde nihil addit, quod in DEO non sit excellentiori modo. Hinc Dominus Matthæi 19. *Quid me interrogas de bono? unus est bonus DEUS*. Et Ecclesia in hymno Angelico: *Tu solus Sanctus; Tu solus Dominus*: quia in ipso solo universitas boni, & sanctitatis, & dominii, & quidquid extra illum reperitur boni, aut sanctitatis, aut dominii, id totum est instar nihili, comparatione eius quod est in DEO, utpote infinitè ab excellentia illa deficiens.

Sextò. Sanctitas DEI est causa efficiens, & conservans, & exemplaris, & formalis seu specificans, & finalis, omnis sanctitatis creaturæ, ut antè ostensum est.

Actus & Affectus Anagogici Ex Blasio Palmæ Thesau. indef.

DOmine, DEUS meus, Tu diceris sanctus multis modis 1. *quia tua Essentia est prima radix, & origo omnis sanctitatis & puritatis* 2. *quia est objectum, & mensura omnis sanctitatis: uno verbo, tu es principium efficiens, formale, exemplare, & finale omnis splendoris, sanctitatis, quæ in creaturis reperitur. Et per te ipsum sanctus es: per essentiam tuam nimirum sanctitate fundamentali, objectivâ, & formali. Tam perfecta est sanctitas tua, ut nihil quidquam ei possit addi, vel demi: quia est sanctitas essentialis & universalis.*

Gaudeo & complaceo mihi de ista tua sanctitate, fonte essentiali omnis pulchritudinis, & puritatis: à qua omnes creaturæ intellectuales sanctificantur, & pulchritudinem suam accipiunt. Hanc sanctitatem proposuisti nobis imitandam; & non potestatem, non sapientiam, non altitudinem Majestatis tuæ, cùm dixisti Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Levitici cap. 11. *Non postulas tamen à nobis tantam, quantam requirit eminentia sanctitatis tuæ: sed quantam cum gratia tua capere potest infirmitas nostræ naturæ.*

Hanc tuam Sanctitatem & puritatem veneror, honoro, amo, & admiror. Huic omnis reverentia, honor, & amor debetur. Hæc præsentiâ suâ sanctificavit, & sanctificat totum mundum: undecunque me verto, præsentem te conspicio, & ubiquè existentem te veneror, laudo, honoro, & benedico: tanquam in sacro templo gloriæ tuæ, singulari tamen modo animam meam, quæ multò corporeo capacior est mundo ad similitudinem templi, quod cultui tuo sanctificâsti, pro tua habitatione: & ideo intra me, in intimis animæ meæ te habitantem aspicere ualeo: & in sancto silentio tecum ipso conversari possum: ibi te placare obsequiis, ibi te adorare: ibi à te istam sanctitatem & puritatem petere: id quod jam, Domine mi, toto corde & viribus animi mei cupio facere & impetrare.

Conabor etiam, Domine, & nunc propono, *totis viribus fugere omnes impuros & inordinatos affectus, & omnes maculas animæ, quibus*

bus templum tuum violari, & profanari potest : quia, Domine sine dubio, sicut necessariò magnoperè amas tuam sanctitatem ; ita necessariò magnoperè odisti peccatum, & sordes.

Tandem tibi, tanquam auctori, fini, regulæ, & exemplari omnis sanctitatis, à qua, ad quam, & secundùm quam sanctificantur omnes res in cælo & in terra, sit gloria, benedictio, gratiarum actio, ab omnibus creaturis in cælo & in terra Amen.

§ 9nus.
DE BENIGNIATE, ET AMORE DEI

Ex Lessio de perfectionibus Divin. lib. 9. c 1. 2. 3. 4.

Quid sit Benignitas.

Diximus supra triplicem in DEO [& natura rationali bonitatem spectari posse, tribusquè modis DEUM dici bonum. *Primò*, Ratione perfectionis naturæ *2dò*, ratione sanctitatis. *3tiò*, ratione beneficentiæ, quæ bonitas dici potest benignitas ; de hac modo dicendum.

Hæc oritur ex prima bonitate,nimirum ex perfectione naturæ. Ex eo enim quòd res sit perfecta in sua entitate, propendet ad sui communionem, sicut vas perfectè plenum ad effusionem sui liquoris. Est autem duplex sui communio, altera naturalis, altera libera. Illa est omninò plena, hæc diminuta: in illa communicatur natura, & constituitur æquale; in hac solùm aliquod naturæ imitamen, adumbratio, vestigium. Itaquè cùm Divina essentia sit infinitæ perfectionis & excellentiæ, propendet naturaliter, & intime ad communionem sui infinitam: sicut res inferiores propendent ad procreationem sui similis, & æqualis. Verùm quia id quod omninò est infinitum, multiplicari non potest, idcirco Divina essentia, non se communicat productione essentiæ similis numero distinctæ, sicut res creatæ faciunt(inquibus essentia, quæ est in hoc supposito producit essentiam numero distinctam in alio) sed largitione sui ipsius, & veluti replicatione, ita ut eadem numero simplicissima natura sit in tribus distinctis numero hypostasibus. Hæc tamen communicatio cùm sit naturalis, propensio

ad

ad hanc non dicitur benignitas, ſed fœcunditas; & ipſa Communio non eſt beneficentia, ſed naturalis productio perſonæ, & communicatio naturæ. *Benignitas* enim reſpicit communicationem liberam ad inferiora deſcendentem. Oritur quidem ex infinita & ſuperpleniſſima DEI bonitate ſeu perfectione, ſicut & fœcunditas, eſtquè DEO naturalis; actus tamen ipſius ſunt liberi. Eſt igitur *benignitas DEI* (*quæ* χρηστότης apud Græcos dicitur) naturalis propenſio ad communicandum ſe inferioribus, ſeu creaturis pro captu cujusquè. Ex hac provenit imò & immediatè amor erga creaturas, quo vult illis ſuorum bonorum communionem, ſed maximè erga creaturam rationalem, quæ ſola Divinitatis per intellectum & voluntatem eſt capax. DEUS autem potisſimùm ſuam Divinitatem communicare intendit, & in eum finem naturam Angelicam & humanam condidit, ac gratiæ ſuæ donis exornavit. Cætera omnia ob naturam humanam, quæ infinitis adminiculis egebat, fabricatus eſt. 2. Petr: 1. 4. *Joann.* 17. 3. 23. 24.

Quinam effectus Amoris Divini, & quis modus operandi.

EX amore Divino omne bonum creatum profluxit, & vi ejusdem omnia in DEUM reducuntur: ſicut enim amor ex bonitate Divina procedens deſcendit, & exundat ad creaturas, ita rurſus eaſdem ad Divinam bonitatem convertit, ut ibi æternùm quieſcant, unde profluxerunt, ut pulchrè docet Dionyſius de Divinis nominibus cap. 4. par 1. ubi dicit *Amorem Divinum eſſe vim motricem, & ſurſum trahentem in DEUM, qui ſolus eſt ipſum per ſe pulchrum & bonum.* Item: *Eſſe manifeſtationem DEI per ſeipſum, & benignum proceſſum eximiæ illius unionis, & amatoriam motionem, ſimplicem, per ſe mobilem, per ſe innatam præexiſtentem in bono, & ex bono, in ea, quæ ſunt, exuberantem, & rurſum in bonum revertentem.* Quæ verba nobis breviter exponenda.

Primò dicit eſſe *Vim motricem.* Tum quia DEUM movet ut deſcendat ad creaturas; eisquè ſua bona communicet: Tum quia ipſa res creatas ſurſum trahit in DEUM. Unde amor dicitur ἐκστατικός id eſt *efficiens extaſim*, quia amantem trans

 fertà

fert à se ipso in amatum. nempe DEUM in creaturam, & creaturam in DEUM. Verùm & si DEUM moveat ad creaturas, non tamen ipsum finit in rebus creatis quiescere, sed ab illis retrahit eum unà cum creatis in se ipsum. Nam totum bonum, quod confert rebus creatis, statim reflectit, & refert ad se ipsum, qui est ipsum per se bonum & pulchrum, quod omnia ad se allicit, & potentissimè trahit.

Secundò, dicit esse ἐκφαντικὸν seu *manifestationem DEI per se ipsum*; quia cùm DEUS lucem habitet inaccessibilem, ita ut nulli creaturæ per se possit esse manifestus, per amorem egreditur extra se, & sic manifestatur creaturis. Amor enim movet DEUM ad quinquè modos egressûs. *Primò.* Ad egressum *per creationem*; quia non solùm rebus creatis illustre vestigium suæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis imprimit; sed etiam naturæ rationali Angelicæ, & humanæ vultûs sui imaginem inserit; absquè hoc egressu maneret prorsus ignotus creaturis: quia sine illo nulla creatura potest existere. 2dò. Movet ad egressum *per gubernationem*; quâ omnia conservat, movet, perficit, & ad suos fines dirigit. Ex mundi gubernatione ejus præsentia clarè cognoscitur. *Tertiò.* Ad egressum per *mysterium Incarnationis*; quâ DEUS factus est verus homo, & corporata est invisibilis Divinitas. Hic egressus fuit maximè admirabilis, & maximè ipsius potentiam, sapientiam, sanctitatem, misericordiam, justitiam nobis patefecit. *Quartò.* Ad egressum per doctrinam, illuminationem, & *justificationem*, juxta illud: *Exiit, qui seminat seminare semen suum.* *Quintò.* Ad egressum per infusionem seu communicationem luminis gloriæ, & renovationem totius universi, seu, per *glorificationem*; quâ se apertè manifestabit omnibus Sanctis, & omnia ad se convertet. Ex his patet quomodo amor sit manifestatio Divinitatis. porrò cùm amor DEI, quo se ipsum & creaturas amat, sit DEUS; quando amor DEUM manifestat, DEUS se ipsum per seipsum manifestat. *Seipsum* ut summum bonum & pulchrum; *per seipsum*, per summi boni & pulchri amorem. Hæc mens Dionysii.

Tertiò, dicit esse *processum benignum eximiæ illius unionis*: quia amor DEI erga creaturas est processus quidam, & veluti germen amoris DEI, quo amat se ipsum: sicut amor medio-

rum

rum est quædam extensio, & veluti surculus amoris ipsius finis: & cognitio effectuum, est quidam processus cognitionis principiorum. *Eximiam illam unionem* intelligit amorem illum, quo DEUS seipsum ut summum bonum & pulchrum amat: hic enim est unio quædam vitalis DEI ad seipsum.

Quartò, dicit amorem DEI esse *motionem amatoriam*; quia amor est motio quædam vitalis, per seipsam faciens amare, & amantem transire à se ipso in dilectum. *Simplicem*; quia amor DEI in se unicus & simplicissimus est, etsi infinita sint ea ad quæ procedit. *Per se mobilem*; quia amor proposito bono & pulchro per se excitatur. *Per se innatam* αὐτπενερχγηχον quia amor Divinus non est ab alio productus in DEO, aut aliunde excitatus, sed ex ipsa DEI benignitate sponte exortus. *Præexistit hæc motio in bono &c.* quia ante omnem creaturam, hic amor est in DEO: & prius nostro modo concipiendi est in Divina essentia, veluti causa objectiva, quàm sit in DEO seu Divina voluntate formaliter; præsertim cùm amor creaturarum sit liberè susceptus. *Ex bono, in ea, quæ sunt,* exundat, & rursus in bonum revertitur. Unde idem comparat amorem circulo & motui circulari, qui principio & fine caret, sic inquiens, *Qua in re, & fine, & principio se carere Divinus amor excellenter ostendit, tanquàm sempiternus circulus in eodem & secundùm idem, & procedens semper, & manens, & remeans.* Amor enim DEI ex abundantia Divinæ bonitatis prodiens, se ad creaturas maximè ad Angelos & homines profert, easquè imagine quâdam sui eis impressa, rursus ad Divinam bonitatem convertit. Et hic circulus est perpetuus, nec unquam aberrare potest, quia amor DEI assiduè in creaturas tendit, easquè in DEUM convertit, (ut ipsa conservatio & gubernatio rerum maximè indicat) nec ab ullo potest impediri. Fit autem hic circulus amoris propter bonum, ex bono, in bono, & ad bonum; quia amor Divinus oritur ex Divina bonitate, & immediatè in Divinam bonitatem tendit, & propter illam descendit in creaturas, ita tamen, ut semper in DEO maneat. Demittit se ad illas, non ut ibi sistat, sed ut eas in fontem boni, unde exortæ sunt, reducat. Semper ergo à DEO procedit in creata, & sem-

permanet in DEO, & semper in DEUM remeat, idquè secundùm idem sui, & propter idem.

De Proprietatibus Divini Amoris.

Ex dictis collige octo Divini amoris proprietates.

PRima. Quòd eminenter & originaliter præexistat in pulchro & bono, ut Dionysius loquitur, *id est* in pulchritudine & bonitate Divina, tanquam in ratione objectiva, & veluti causa, radice, ac fundamento.

Secunda. Quòd ex pulchro & bono tanquam fonte prodeat ut existat iam in DEO formaliter. Hoc enim ipso, quo DEUS, suam pulchritudinem & excellentiam infinitam intuetur, exoritur in ipso infinitum amoris incendium, quo tantùm illam amat, quantùm amari digna est, id est infinities infinitè. Pulchrum enim & bonum cognitum statim amorem accendit. Unde infinitum pulchrum & bonum, infinitè cognitum, infinitum amorem ciebit: infinitum inquam tum ardore, tum æstimatione; seu ut Scholastici loquuntur, infinitum intensivè & appretiativè.

Tertia. Quòd immediatè in pulchrum & bonum se reflectat. Unde hic est sempiternus quidam circulus. Pulchrum enim & bonum menti Divinæ propositum, accendit amorem in voluntate, qui amor proximè & essentialiter reflectitur in pulchrum & bonum, trahens in illud voluntatem, eamquè totam circa illud occupans. Amor enim est occupatio amantis circa amatum, ipsius amati causâ.

Quarta. Quòd propter pulchrum & bonum extendat se & descendat ad creaturas; nimirum ut illud creaturis communicet, vel totum, vel aliquos ejus radios & adumbrationes pro cujusquè captu & meritis. Quod enim summè amamus, ejus præstantiam & pulchritudinem cupimus omnibus innotescere, & ejus dulcedinem ab omnibus percipi, ut ab omnibus laudetur. Idem facit amor in DEO.

Quinta. Quòd creaturas sursum rapiat, & ad pulchrum bonumquè convertat, hoc maximè locum habet in Angelis & homi-

hominibus: nam cætera Divinam bonitatem & pulchritudinem non capiunt; sed in homine trahuntur quodammodo in DEUM cætera. Tum quia omnes naturæ gradus in ipso: Tum quia cætera omnia propter ipsum. Unde ipso peccante cætera quoquè afflicta fuêre, & servituti corruptionis & mutabilitatis subjecta: & ipso ad gloriam evecto, cætera quoquè ad gloriam pro suo captu extollentur; ut apertè docet Apostolus *Rom.* 8. Deniquè eo ipso, quo singula appetunt pulchritudinem & perfectionem suæ speciei congruentem, cernitur in illis vestigium quoddam hujus amoris, & tendunt suo modo in ipsum pulchrum & bonum. Ex amore namquè Divino impressam habent inclinationem, eamquè DEUS per bonum & pulchrum particulare, in quod proximè tendit, dirigit in bonum & pulchrum universale, omnis boni & pulchri creati exemplar prototypon.

Sexta. Quòd Divinus amor sit extaticus, quia amantem extra se trahit in amatum. DEUM enim suæ celsitudinis quodammodo facit oblivisci, & inclinat ad humilitatem nostram, totumquè in salutis nostræ negotio occupat. Cujus signum: Incarnatio, prædicatio, miracula, passio, mors, sacramenta, missio Sancti Spiritûs, assidua & admirabilis Ecclesiæ gubernatio, cura & directio singulorum. Hominem similiter extra se ponit, efficiens ut de se suisquè commodis non cogitet, sed solùm de DEO & bonis DEI. Unde magnus DEI amator seipsum abnegat, suis cupiditatibus renuntiat, suas utilitates negligit, sui obliviscitur, & totus in iis est, quæ ad DEUM pertinent. Est enim cogitatione & affectu totus extra se, & translatus in dilectum. Talis erat Sanctus Ignatius Martyr, qui dicebat. *Amor meus Crucifixus est.* Talis erat S. Paulus Apost. *Mihi* inquit *vivere Christus est, & mori lucrum.* Et iterum: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* *Epist. ad Rom. Philip. 1. Gall. 2.*

Septima. Quòd amor Divinus sit vis unitiva: ideo enim facit extasim, & excessum amantis à seipso, ut illum in amatum transferat, & illi arctissimè uniat, & unum cum illo efficiat: sic amor univit DEUM homini non solùm affectu & curâ, sed etiam effectu & substantiâ, unione nimirum hypostaticâ. Hominem

minem verò unit DEO, ita ut prorsus à se ipso deficiens, in DEUM transeat, & velut colliquescat; nihil ampliùs cogitans, intelligens, aut sentiens, præter DEUM; nihil aliud appetens, aut desiderans, nullâ aliâ re gaudens quàm boni DEI. Qui sic adhæret DEO unus efficitur spiritus: quia seipsum exuit, & DEUM induit; ac proinde ac si in Divinam naturam transformatus esset, totus cogitatione & affectu est in DEO. Sic omnes sancti unum erunt cum DEO, (quod Dominus illis precatur Joan. 17.) quia omnes cognoscent suum nihilum, quid ex se sunt, seque nihili æstimabunt, nisi quatenus sunt DEI, & propter DEUM; & hoc modo penitùs à seipsis deficient. Cur enim hæreant in nihilo? Deinde intellectu & voluntate potentissimè rapientur in illum, & toti in ipso erunt, & in ipsum velut liquescent & transformabuntur; nihil aliud ibi sentientes & gustantes quàm DEUM; nihil aliud æstimantes quàm bonum ipsius, perinde ac si ipsi in DEUM essent transmutati.

Itaquè amor est vis unitiva, tum quia ipsum amantem transfert in amatum, ut in eo vivat, sentiat, gaudeat: & ipsum illi quodam modo incorporat, ut sit unum cum illo; (amans enim quantùm in se est, optat à se deficere, & in amatum velut colliquescere, ut unum cum illo efficiatur) tùm quia amante jam in dilectum traslato, omne bonum dilecto vult, & procurat quantùm potest, tanquàm sibi ipsi, quia jam unum est cum illo.

Octava, Quòd motus amoris sit orbicularis, idquè dupliciter. *1mò* circa proprium objectum quod est ipsum pulchrum & bonum, ut explicatum est in 3tia proprietate. Simili modo Dionysius ponit circulum in visione beatifica Angelorum: nam ab essentia Divina, quæ est ipsum pulchrum & bonum, descendit in mentem Angelicam lumen gloriæ, ex mente & lumine gloriæ statim oritur visio beata, quæ immediatè reflectitur in pulchrum & bonum, tanquàm in suum objectum & principium. *Secundò*, est circulus in amore Divino, ut se extendit ad creaturas; nam ex bono & pulchro descendit ad res creatas, easquè suo attactu accendens convertit & reducit secum in idem pulchrum & bonum. Hujus illústrè exem-

plum

plum est in sole. Sol enim in rebus corporeis est summum pulchrum & bonum. Unde rectè quodam loco D. Gregorius Nazianzenus. Sicut in rebus sensibilibus est Sol, ita in intelligibilibus DEUS. Ex sole descendit calor ad res inferiores, descendit autem per lucem; & prius res illustrantur quàm calorem concipiant; calore concepto fiunt spiritales, leves, & sursum incælum vehuntur. Sol est symbolùm DEI, lux sapientiæ, calor amoris; res terrenæ animarum & spirituum. A DEO descendit amor per sapientiam; priùs enim mens illustratur cognitione pulchritudinis & bonitatis Divinæ, deinde per cognitionem concipit amorem: amor conceptûs efficit animam spiritualem, cælestem, eamquè mox sursum trahit, & DEO conjungit, illiquè Soli æterno similem veluti quendam parelium (quo solis est expressa imago) efficit.

Quinque res considerandæ in Amore DEI erga hominem.

UT meliùs intelligatur amoris Divini erga nos magnitudo, quinque sunt consideranda. *1mò*, Majestas amantis. *2dò*, qualitas eorum quos amat. *3tiò*, bona quæ illis partim confert, partim offert. *4tò*, modus quo amat. *5tò*, finis propter quem amat.

Quod ad *1mum* attinet, qui nos amat, non est princeps aliquis terrenus, nec Angelus, sed DEUS ipse infinitus, immensus, æternus, infinitæ potentiæ, sapientiæ, sanctitatis gloriæ, beatitudinis. Et hic amor non est recèns conceptus, sed ab æterno præceptus. Insinuat hoc multis locis scriptura Divina. Jerem: 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te.* Isaiæ 49. *Nunquid oblivisci potest mater infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Joan. 3. *Sic DEUS dilexit mundum, ut Unigenitum suum daret.* Ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: & alibi. At quanta res est amari à tanta Majestate? in aulis Principum plerique laborant, & operam in eo ponunt omnem, ut favorem Principis assequantur: quo obtento, gloriantur, beatos se putant, & vix se capiunt;

unt? idquè tùm quia talis favor & benevolentia per se magnam illis adfert dignitaem, & existimationem apud homines; tum quia inde illis proveniunt honores, præfecturæ & opes. Si favor Principis terreni, mortalis, nobis similis, nostrisquè miseriis subjecti, tanti æstimatur, quanti censeri debet favor Divinus? Certè infinitè pluris, cùm Majestas DEI sit infinitè major, & dignitas ac opulentia, quam confert, infinitis partibus melior & optabilior; nimirum quantùm præstant cælestia terrenis, Divina humanis, sempiterna caducis & momentaneis.

Secundò. Spectanda conditio eorum quos amat. Hi sunt, si naturam spectes, infimi inter creaturas rationales (sicut enim materia prima est infima inter res corporeas, ita anima inter res spirituales) si qualitatem, peccatores, inimici, superbi, ingrati, carnales, cælestium incurii, terrenis affixi, inepti ad omne bonum, proni ad omne malum. Res planè admirabilis, tam vilem & ingratam creaturam tantopere à suo Creatore atquè adeo etiam præ Angelis dilectam: sicut si potentissimus Monarcha Æthiopica aliquot mancipia infimis solùm obsequiis idonea, sæpiùs triremes & mortem commerita, amaret præ patria nobilitate, adoptaret in filios, & omni studio niteretur evehere ad regni sui communionem; quis non miraretur? Supra naturam humanam tot sunt Angelorum ordines, omnes sublimes, spirituales, illustres, omnes sapientiâ, charitate repleti, omnes in DEUM semper intenti, ab omni contagione alieni, omnes cæli cives naturales; & tamen his omnibus prætulit naturam humanam, rationalis naturæ terminum, terræ civem, brutorum sociam, peccatis inquinatam, ignorantiæ tenebris circumfusam, & à rebus Divinis longissimè dissitam. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Meritò dixit Apostolus ad Rom. 5. *Commendat charitatem suam DEUS in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est*, &c. Et Propheta regius Psal. 8. *Quid est homo quod memor es ejus? aut filius hominis quoniam visitas eum?* Hujus in peccatores dilectionis pulcherrimum exemplum refert Dionysius Areopagita Epist. 8. ad Demophilum Monachum.

Tertiò. Spectanda bona quæ nobis partim præparavit, partim dedit. Quorum *primùm* est, communicatio æternæ beatitudinis & regni sui; ut hanc enim nobis daret, cætera omnia præparavit; hoc bonum est infinitæ æstimationis. *Secundum*, est anima rationalis & immortalis, capax tanti boni. *Tertium*, gratia cælestis, quâ possimus illam gloriam promereri. *Quartum*, corpus idoneum animæ instrumentum, quinque sensibus instructum. *Quintum*, tota mundi machina cum omnibus opibus & bonis; quæ illâ continentur: hæc enim omnia condita propter hominem ut in mundo vivat, rebusquè omnibus ad DEI cultum, & promerendam Divinitatem juvetur. *Sextum*, Angelica custodia: fecit enim Angelos velut nostros pædagogos, custodes & directores ad salutem: Et hæc omnia ante peccatum. Post peccatum cùm mereremur his omnibus privari, addidit multò majora: sed de his infra, cùm de misericordia. Quantæ verò æstimationis sint hæc singula bona, vel ex eo patet, quòd nemo integritatem sensuum vel membrorum, quæ tamen sunt ex minimis vel aureis montibus commutare vellet. Confer cum his quæ mundus dare potest, videbis quàm ea sunt parvi momenti, quàm tenuia, fluxa, fallacia: & tamen â plerisq. plùs amantur quàm DEUS. O vecordes animas!

Quartò. Considerandus modus hujus dilectionis. Diligit enim nos DEUS, non solùm ut Princeps subditos, ut Dominus servos; Sed ut Pater filios. Unde se patrem â nobis vocari jubet. Vult enim nos facere heredes regni sui, & omnium bonorum suorum participes. Deinde non vulgari modo, ut alii patres solent diligere filios adoptivos, sed prorsus inaudito & inæstimabili; ita ut Filium suum Unigenitum, æternam Sapientiam nostram naturam assumere, & in ea verbo & exemplo nos instruere, pro nostris delictis satisfacere, & mortem perpeti voluerit. Unde ipse Dominus Joann. 3. *Sic DEUS dilexit mundùm, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sic, tam ardenter tantâ æstimatione tanti nos fecit. Videtur sanè iste amor summus, non solùm intensione & ardore, sed etiam æstimatitone & pretio. Non enim DEUS in creaturam videtur plùs

dilectionis potuisse impendere, quàm homini re ipsâ impendit. Verùm de hoc infra Ubi de misericordia.

Quintò. Considerandus est finis hujus dilectionis, non enim sui commodi causâ, sicut Principes sæpè diligunt suos populos & famulos, nos dilexit, sed commodi nostri: nimirum ut nos regni sui faceret participes, ut inexhaustum lucis & bonitatis suæ fontem in nos derivaret. Nec obstat, quòd hoc totum referat ad gloriam suam: hoc enim ipsa rerum natura postulat. Omnis enim creatura ex essentia sua est quid DEI, & ordinatur ad ipsius gloriam. Sicut enim finis, & ut ita dixerim, felicitas vasis figlini, aut alterius arte facti, est servire usibus humanis; ita finis hominis & totius creaturæ rationalis est, servire gloriæ DEI, ipsam cognoscendo, amando, laudando, colendo. Itaquè quòd DEUS totum bonum creaturæ ad gloriam suam referat, nullo modo impedit, quin amor ipsius in nos sit sincerissima benevolentia, & amor amicitiæ, velitquè nobis bonum, ut nobis sit benè & optimè absquè intuitu sui commodi. Confirmatur; quia etiam nos totam beatitudinem intrinsecam referemus ad DEI gloriam, eamquè pluris faciemus, plùs amabimus, plùs de ea gaudebimus ut est bonum quoddam DEI, gloriam ejus illustrans, & laudem ejus celebrans, quàm ut est bonum nostrum maximis commodis & gaudiis nos afficiens. Id enim rectus ordo postulat, cùm creatura nulla sibi sit ultimus finis, sed solus DEUS: Itaquè non in se ultimò, sed in DEO quiescere debet ejus appetitus. Deinde, quia nos magis felices & beatos censebimus bonis DEI, quàm bonis nobis intrinsecis: amor enim uniet nos cum DEO, & unum cum eo spiritum efficiet. Unde nihil magnopere æstimabimus, aut amabimus, nisi quatenus est bonum DEI, in ejusquè cedit gloriam, quasi aliâ ratione non magnopere ad nos pertineat. *Hæc Lessius.*

Actus & Affectus Anagogici

Ex Ven. Joanne à S. Samsone Carm. in Flamma Divini Amor tra. I. c. 6.

QUid tibi ô Domine DEUS meus cum universo orbe creando, cùm ex hoc non sis in te ipso beatior?

Num-

Nunquid non tibi ipsi sufficiebas ad tuam infinitam beatitudinem absquè eo quòd per creationem te tam diversis creaturis communicares, quas noveras maximam partem tanto dono nunquam usuras in utilitatem suam? O bonitas, ô immense amor! educere voluisti ex æternis tuis ideis, has creaturas in evidentiam sui ipsarum, ut te cognoscerent, amarent, & semper operarentur conformiter ad excellentem tuum amorem.

Utiquè eas creâsti ut non cognoscerent, nequè amarent aliud præter te, super omnia alia? ut hoc modo semper æqualiter insignitæ manerent Divinâ tuâ similitudine, quæ est earum pulchritudo, & supernaturale complementum. Quidnam est hoc ô amator hominum & Angelorum? quanta distantia entis ad non ens & nihilum, ex quo mundum hunc omnem extraxisti, in tantam, tamquè sublimem quam habet excellentiam. Si mirari hoc Angelis convenit in infinita infinitate amoris & pulchritudinis Majestatis tuæ, quantò magìs nobis qui in comparatione Angelicæ naturæ nihil sumus.

Eja benè sit, ipsi & nos mirabiles sumus effectus amoris tui excessivi, & excedentis in te ipso, in Angelis beatis, & sanctis hominibus. Illic operaris effectus, qui omnes sufficientes sunt ad annihilandum homines tuæ operationi in seipsis non respondentes, accipientes omnia dona tua, & accepta omnia corrumpentes, utiquè ea, & se, ad usus perversos usurpantes.

Interim ô amor meus, contenti sunt & quieti in naturalibus suis bonis & commodis, absquè ulla tui consideratione, qui Esse eorum es, & omne bonum.

Ego autem Domine, quisnam sum, & undenam? per creationem, & recreationem eduxisti me, ex limo, & de terra, in qua verè pauperior eram ipsâmet paupertate, quantùm ad veram intelligentiam & operationem amoris: & hoc Domine, ut inter principes populi tui electi, & dilecti me collocares.

O amor, ô bonitas, ô misericordia immensa, ô Majestas infinita! quæ imples omnia, & sanctificas omnem hominem venientem in hunc mundum, & quæ non diligis mundum.

Quis dabit tibi terminos & limites, in eo ipso quod operatus es in me, & quod utiquè sum? nemo Domine, nemo potest; infinitè enim sentio me devinctum infinitæ Majestati tuæ, tam ratione ejus, quod in se ipsa est, quàm beneficiorum omnium usque nunc ab ea acceptorum ad

completum bene esse meum, tam secundùm gratiam, quàm secundùm naturam.

Si naturæ dona recensere volo, coram Majestate tua, quot reticebo veritates, & subjecta admiratione digna? si gratiæ etiam supra communia recreationis, baptismi, & electionis munera, quomodo procedam, cùm idipsum sit quod tam parum promerui, sed nec promereri potui, absquè speciali gratia tua & amore. O! amor meus, & vita mea, super hoc obmutesco in admiratione mea, cùm nihil habeam meum, & si quid habeo scilicet meipsum, adeò pauper sum & corruptibilis; ut me ipsum continuò immergam in omnis corruptionis abyssum, id est peccatum.

Sed ò chara mea vita, & chare mi amor, quandoquidem meipsum mihi dedisti utiquè libero meo arbitrio: eo ipso reddo meipsum tibi, in purum & perenne holocaustum, quantùm in me est, infinitequè doleo me tam serò te cognovisse, & amavisse, ò tam nova & æterna veritas. O quàm sæpe creaturæ in laxiori sua vita petierunt à me, ubi est DEUS tuus? quibus respondebam, quod non erat conveniens. Tu enim in mè es, tanquam in proprio tuo regno, & tamen non semper scivi scientiâ & amore efficaci, qui me liberè coegisset ut te quærerem, cognoscerem, sentirem, amarem, & possiderem apud me, tanquam in proprii regni tui sede, cujus tibi sanctificatio in desideriis ab æterno fuit. Hoc est chare mi amor quod infinitè doleo.

Ha! quæ major potest excogitari miseria, quàm sibi vivere, & ad se, & non operari & intendere ad amorem DEI perfectivum in seipso.

Quid est hoc, ò vita mea, dixisse te mihi ut perfectus essem & sanctus sicut tu es, & tamen ac si te non audivissem, huic nullo modo operam me dedisse.

Sed chare mi amor, & chara mea vita, damnum meum ægrè ferens, non in me sed in te per me, cupio nunc strenuè operi manum admovere, quod præstabo absquè venia, & indulgentia erga me.

Iam nunc refluere volo in te, omni virium mearum internarum activitate, & toto corde meo; ut te quovis pretio perenniter amem.

Heu! heu! chare mi amor, olim cor meum jugiter æstuavit velut mare sævis tempestatibus agitatum, unde instabilis eram, & sinè quiete cordis, ignarus causæ miseriarum mearum.

Ha! chare mi amor, & chara mea vita, quid est de corde quod

non applicatur ad amandum te, nisi latronum omnis generis latibulum, quorum unusquisquè raptat & distrahit illud, quo partem suam obtineat, adeò ut homo sic propriis voluntariisquè hospitibus miserè dilaceratus, miser sit supra miseriam omnem in captivitate sua, cui quisquè invigilat, nè eum præda effugiat.

O millies & millies inexcogitanda hominum miseria, tantò miseriorum, quantò sibi in sua miserabili servitute complacent, quærentium & exoptantium tot & tantis infelicibus dominis se mancipare.

Eja mi amor, & vita mea, quandoquidem tuâ misericordiâ disrupta sunt vincula, & utiquè liberatus sum ab iis, qui me secum in perditionem arreptabant; Te, te inquam qui me fecisti, amare volo, amore summè perfectivo, amore forti, amore excellenti.

Propter hoc me tantùm bonitati tuæ confido, quantùm mibi ipsi diffidere debeo.

Ex hoc vides latitudinem amoris, qui quantùm crescit, tantùm constringitur vivâ & inflammatâ aspiratione. Porrò amori utilia sunt omnia, qui sinè ordine, & delectu, cordis sui flammas eructat, ardenter, simpliciter, abundanter & jugiter, discretionem nesciens, modum nec mensuram, quia rapit eum dilectus suus motu suo dulci, & summè amabili pulchritudine, in quem optat irrecuperabiliter se immergere, & de factò magis ac magis immergit.

Alii Actus & Affectus Amorosi

Ex citato Authore tra. 2. c. 8.

Quidnam est vivere? ô amor, quidnam est hìc vivere? ô amor meus & vita mea? est mori, est mori, utiquè sibi, est pati, est langvere, est reverâ mori, sive intus & secundùm purum spiritum, sivè quantùm ad corpus secundùm naturalem vitam, quod in his langvoribus exinanitur, & paulatim langvore, & debilitate consumitur, donec ejus vita funditùs exhauriatur.

Agedum amor meus & vita mea, tale est desiderium meum, & qui inter nos est mutuus amor illud in me accendit, ut æternùm tibi satisfaciam super hac cruce, & omni quæ tibi placuerit alia, & etiam omnino aliter, si mihi constitueris.

Heu! care mi amor! quidnam est hæc vita, ubi tantùm in unici expectatione boni sui vivitur, quo nunquam aliter fruimur, quàm

cùm comburimur, redigimur in amoris ignem, & penitus consumimur. Quandonam amor meus, erit funditus redacta, fusa, & transfusa, ita, ut sim omnino idem cum illo, & in illo? O tristis & ardua vita, vitæ amoris mei adeò contraria; Sed qualiscunquè sit amor meus & vita mea, talis exhibenda tibi est, qualem habeo & sentio, cum iisdem suis in me contrariis effectibus. Scis utiquè amor meus, quod reverà est, & quod sum, conformiter ad id quod possum.

Heu! amor meus, nihil sum & nihil possum, & hæc nihilominus notitia & scientia, toties à me experimento probata est, & perenniter erit omne gaudium meum, tam in vita quàm in morte, tam in actione quàm in passione, tam in æternitate, quàm in tempore.

Nunquid amor meus es? vita mea & omnia mea? numquid DEUS meus es? & charissimus sponsus? hoc mihi sufficit, ut semper æqualis mihi ipsi maneam in igne paupertatis & resignationis amorosæ valde internæ & nudæ, ut perenniter, simpliciter, & nudè tibi adhæream in simplici animi quiete, & simplicissima intentione & attentione.

Sed super hæc omnia maneo & manebo fixè stabilita in pace, & quiete spiritûs simplicissima & summè unica, in conatibus amabilium meorum gemituum externorum, & super ipsos in hoc tempore, & in idipsum.

Enim verò per hoc ipsum intendo amor meus, & vita mea, exprimere tibi efficaciter ardorem amoris mei, qui me flammis suis acriter adurit, ut me præcipitem agam in abyssum ignis ejus omnia consumentis, rationabiliter, & secundùm omnes ejusdemmet amoris æqualis, & inter nos mutui, rationes, ut idemmet ignis me totum possit in se transmutare ad infinitum ejus æternumquè gaudium, omnimodâ mei totius amissione, & æternâ desertione.

Quâ ratione amor meus, & vita mea, quidquid videris, & omne quod videbitur, & audietur ex me, tam ab Angelis quàm ab hominibus, amabile meum probabit sacrificium, in æternum infinitæ tuæ Majestati holocaustum.

Ha! amor meus! & vita mea, quàm longè abes ab animo frustrandi me tuo in meipso, in ardore amoris mei; & ego tibi dico cum omni humilitate, & confidentia, me quoquè te non frustraturum tuo, quod utiquè tribuis mihi, & semper ad eundem tribues effectum, magis ac magis, & melius in melius. Quòd si de effectu impræsentiarum quæritur, jam quoad

quoad hoc & per hoc ipsum, mutui nostri desiderii fruitionem & possessionem adepti sumus.

Quod me attinet cara mea vita, nosti quidem utrum famelicus sit & insatiabilis appetitus meus, an non; quòd si plùs, imò multò plùs æternùm à me exigis, da mihi idipsum, fac tu ipse, & tuum est,

Alii Actus & Affectus Amoris.

Ex eodem Authore citato c. 9.

O Mea totalitas! quàm infelix est qui te non amat! quantùm ad me scio te, & cognosco sufficienter ad amandum, sed heu! mi amor charissime, non amo te sufficienter; nam desiderium meum infinitum est, vel saltem ad minimum amandi te in puritate, & ardore Seraphico, in hoc mortali & terreno sacco, in quo amore langveo, ut strenuè & convenienter expugnem, & in bono ordine, tam intus quàm foris, omne, quod amori meo contrarium est. Idipsum præstabis in me ô chara mea vita, in veritate & perfectione consummata, & ego te patiar præstantem, & sustinebo ad voluptatem, mediante tuâ bonitate & amore; in hoc versatur & positum est hîc, æternum meum gaudium & quies mea, donec penitùs fruar omnimodâ, gravis hujus terreni, & difficilis corporis dissolutione.

Illic amor meus & vita mea, illic omnia possidebo, te videndo, illic amabo te plenè, perfectè & valde deiformiter.

O qualis distantia! ò qualis mutatio! ò qualis maris abyssus! ò qualis immensitas ignis omnia devorantis, & in se transformantis! ut in simplicissima ejus æternitate unum simus in illo, non naturâ sed amore summo & indicibili.

Quod ergò quæritur, est amare, ô amor meus & vita mea, est languere & amore mori, sed multùm & multò melius in ardore cordis mei, & in meipsa tota, quàm in solo corpore.

Videtur mihi amor meus, & vita mea, quas proferre possem amoris mei similitudines & expressiones, multò esse inferiores: cùm amor meus essentialis sit, & perditus secundùm aliquem bonum sensum, in omni tua Deitate humanata, te inquam Salvator meus, amor meus, Sponsus meus charissimus, cum quo crucifigit me, & æternùm crucifiget amor.

Non loquantur mihi ampliùs creaturæ de re ulla in æternum, quàm de

de gloriatione in cruce tua, in tuis doloribus & sufferentiis, & in morte tua acerbissima & amarissima; Quia hæc omnia pro me passus es ipsa quoquè sunt amoris mei objectum, & ipse amoris meus ô chara mea vita, & totalitas mea; siquidem minora præstare, & his omnibus esse minorem, utiquè amorem in ore, non in corde, habere est.

Ha! chara mea vita, nunquam dicit amor sufficit, sed multò plus dare, quàm habet, quàm est, & quàm potest, semper exoptat; sed in vera veritate, quodnam est amoris tempus? istud utiquè amor meus & vita mea, & adhuc omne aliud, & omnino aliter quàm istud.

Cæterum enixè te obsecro, charissime mi amor, ut me ità à me ipso, & omnibus privatis subtilibus quæsitionibus liberes, ut nulla unquam ampliùs inter vitam tuam & meam, dissimilitudo inveniatur.

O quanta videre & comprehendere est, hoc amor meus & vita mea, sed summum quo teneris præstandi desiderium, ansam mihi præbet sperandi & plenè confidendi te præstiturum, & istud utiquè futurum; quòd si semper plus pro minori tribuis, & plus adhuc tanquam dispositionem ad majus: ego quoquè tibi reciprocè, & mutuò totum pro toto & totum ad totum jugiter rependam.

Agedum, amor meus solus ad solum, nec unquàm ex parte mea quidquam nobis impedimentum ponat & medium.

Alii Actus & Affectus ibidem cap. 10. 11.

EXpressiones meæ affectuosæ ô chare mi amor, & vita mea, ludus sunt, & omnis voluptas intimorum tuorum & unicorum amatorum. Capis me amor meus: quid? vita mea delectari de te: & negotiari tecum, & in te, numquid est omne gaudium creaturarum omnium, sed specialiter te amantium? adeò ut sinceram meam & affectuosam tecum negotiationem, secundùm meam totalitatem, non secùs ac propriam suam diligant, propter amoris infinitatem, operantis & recipientis amorem, ut refluat ex tempore in eundem amorem, strenuâ & ardenti activitate suâ, aut super hæc, in pura sufficientia, & nudissima, simplicissimaquè contemplatione.

Illic ô vita mea, amatores amoris infiniti contemplantur fixè, & nudè infinitum suum & beatum objectum, ad minimum simplicissimâ admiratione.

Porrò in impotentia maximè multùm agendi fidelis anima erigit se, & attollit ad examinationem; Sed ut meliùs dicam, ad ultimam

usquè oculorum aciem, simplicibus obtutibus, multùm expressivis, magnaquè exprimentibus, magnæ extensionis uti subtilissimo, & levissimo spiritûs impetu, aptissimo & convenientissimo spiritui affectuoso saucio & languenti amore, tali qualem hîc suppono in charissimo suo Sponso.

Ha! meus amor & mea vita, quàm bonum est adhærere tibi, supra sensum, supra tempus, & rationem. Gusto & experior quod dico, expecto in altissima mea fiducia, ardentis mei & unici desiderii effectum: de hoc in æternum, & quidem ex hinc quæritur. O meus amor! quàm activus est & penetrans intimorum tuorum amatorū amoris arcus intentus: quis intuebitur & dicet, nisi ipsiusmet amoris filii? qui & intimæ ejus sponsæ sunt.

O amor, ô bonitas, ô magnitudo! quis tibi conceptu suo, terminos & limites assignabit, sed de hoc non est hìc quæstio, ô omnia mea! verùm de amore meo tibi perennè, firmiter, unicè & incessanter impendendo, quomodo te scio, & qualem te video, cujus Majestati respondere non valens nisi distantiâ infinitâ proptèr meum nihilum, cogor manere suspensus supra propriam meam actionem, & quamvis aliam.

Sic ô vita mea, amari non potes, nisi à longè, & longissimè, quamvis multùm apud te foret, si utiquè fieret, pro omni conatu & virtute creaturæ humanæ. Novi istud apprimè & sentio, sed quid? pendet à te, & semper pendebit chara mea vita, vi scilicet & virtute tui proprii id est amoris tui erga me intimi.

Quî enim fieri posset ô charissimè mi amor, ut ex meipso & mea infirmitate totalitati tuæ nihilum meum unirem? Sed hoc non hîc quæritur, verùm fidelem tibi esse amantem, supra distinctionem, & discretionem sentiendi, & non sentiendi. Vide charissime mi amor, quomodo tibi exprimo omne quod debet & potest exprimi, supra omnem expressionem, sensum, manifestationem, & hujus aut istius aspectum, utiquè quia quod appeto, & intendo in eminentia obtutûs mei, supereminet omnia.

Deniquè de hoc quæritur, scilicet de amando amore infinito in seipso, æternis meis sumptibus & impensis: hoc est tibi omnia dicere, omnia complecti, & omnia videre, sicut est omnia velle, omnia operari, & esse totum ad fluxum, & supra fluxum sensibilis exuberantis tui amoris, in unicis intimisquè tuis Sponsis.

Heu! Heu! cara mea vita, quàm triste & durum mihi est hoc

 exilium,

exilium, quàm diuturnum & molestum, præ meo desiderio possidendi te plenè, & integrè in te ipso toto.

O DEUS! *amor meus, & vita mea, quod est creatum omne, nisi amor ex tua parte? utiquè stupendum est infinitè ô Sponse mi, & omnia mea, id ipsummet omne creatum non esse amorem ex sua parte. Sed cui bono ista profari? cùm tum expressè agatur de amore meo mutuo, reciproco, & infinito, si fieri posset, amori tuo erga me infinito. Facillimè mihi persvadeo, quamlibet tuarum amantium, tantum velle, desiderare, & loqui quod est infinitum meum gaudium: quia saltem invenientur ex eis aliquæ, quæ melius & majus respectu mei semper operabuntur: attamen credere non possum, nec in animum meum inducere majus esse meo desiderium illarum, in hac nostra exercitatione unica, in qua totus sum, & æternùm incumbo amori tuo. Enimverò quid mea interest amor mi carissime? gaudium meum est, plus, plus esse, & multum, multum; modò in totalitate mea quod amori debeo rependam, numquam mutando ad quodcumquè nec pro quocunquè, quod est omnia complecti, & prospicere.* O *amor meus, & vita mea! plena est terra amore & misericordiâ, & exundat superfluitquè, quid interim minus faciam, tanto amore, tam potenter acta, & mota? mirumne quàm dico amans ero, & penitus immersa in mari infinito amabilis & felicissimi amoris mei, qui alius non est, quàm tu ipse?*

O *chara mea vita, & amor meus, quid hoc esset? qualis infidelitas? quàm ingratus animus? quid amabò cernitur ex te in me, quàm amor & misericordia? quid videbitur, & videri unquam debet in me, quàm amor amans amorem, amori blandiens, exaltans & magnificans amorem, in totalitate ipsiusmet, in qua fusa sum & perdita, simplex & affectuosa, supra sensum; & omnem comprehensionem, & inde numquam exire volo, ut mihiipsi creatoquè vivam, quomodocunquè nec propter quodcunquè, quia illic ità cumulatè contenta sum, ut nihil umquàm optatis meis sit defuturum.*

Ha! amor meus, & vita mea, hîc est, ubi videbis, & habebis in infinitum tuum gaudium plenissimam meam, & unicam & æternam conformitatem, secundùm debitum amoris mutui & reciproci amantis tuæ intimæ, in infinito suo amante. Inde fit chara mea vita, quòd de reliquo parum sim solicita, dequè eo omni quod deforis est, sicut ut nosti & vides optimè care mi amor, satis sciens hæc omnia mihi futura, cùm

cum postulaverit necessitas tanquam effectus tuiipsiusmet amoris, qui tunc nequaquam deerit.

Tu es igitur ipse ô vita mea, quem semper unicè fixèque intuebor tanquam omnia mea, finale meum objectum, amorem meum infinitum, & omne gaudium meum & lætitiam; sed quod hîc facio ô amor meus & vita mea, est reginam amoris adjurare, & omnes Sanctos & Sanctas, qui sunt omnes humillimi, amantissimi, & beatissimi ejus famuli, ut me plenissimè adjuvent, in amore meo integrè & perfectè implendo, quatenus talis reverâ inveniatur, qualis est in desiderio meo, verbis meis, & affectuosis protestationibus.

Ha! quàm felix est amor meus, & vita mea, qui tibi adgaudium, sed omne gaudium & oblectamentum pro viribus famulatur. Quid amor meus! hoc præstabunt omnes, & ego non præstabo? non, non ô amor meus & vita mea, non ita fiet juvante me gratiâ & auxilio.

Quòd si langveo amore, & amando, quid mirum videre me inter Divinas tuas manus morientem, amoreque & amando expirantem? Accende igitur amor meus, & vita mea, amabile amabile tuum holocaustum quod ego sum amore ipso vehementer infuso & effluente in animam meam, & in omnes vires meas, ad hunc effectum, quatenùs consumer acerrimo & dulcissimo igne ipsiusmet amoris, in eo ipso toto, qui non est alius quàm tu ipse.

Hoc operare in me, ô cara vita! & quantum est in me, nec impedimentum afferam, nec remissionem ullam; ut se tibi plenissimè probet indignissima, sed humillima & pauperrima creatura tua & sponsa.

Hoc est objectum admirationis sanctorum omnium amatorum tuorum, ô amor meus! quòd sim ego sponsa tua, qui propter hoc tantùm abest, ut me dedignari velint, quòd è contra sublevare me cupiunt, & efferre inter brachia sua amabilia, ut me ipsum excedam, superem, & supergrediar, omniaquè pericula, & inimicorum meorum insidias hoc in ultimo mortis discrimine penitus evadam, mortis utiquè mihi optatissimæ, cùm sit introitus & initium beatæ vitæ meæ, & plenæ possessionis, quam habebo tui, ô care mi amor!

Hactenus ecstatici Actus & Affectus Amoris supra citati V. Viri Joannis à S. Samsone.

§ 10mus.

De Omnipotentia DEI.

Ex Lessio de perfection. Divin. lib. 5. c. 1.

Omnipotentia DEI plurimis locis traditur à scriptura Divina, nam plusquàm 70. locis vocatur *Omnipotens.* Idem multis aliis locis disertè asseritur; ut Matth 19. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Marci 10. *Omnia possibilia sunt apud DEUM*, &c. Cap. 14. *Pater omnia tibi possibilia sunt.* Luc. 1. *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Idem patet ex symbolo: *Credo in DEUM Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ.* Estquè hic articulus fundamentum nostræ religionis, cùm præcipua ejus dogmata eo nitantur, ut dogma de creatione mundi, de ejusdem conservatione & gubernatione, mysterium Incarnationis, Eucharistiæ, Resurrectionis, Visionis beatificæ, & similia.

Idem colligi potest ratione. *Primò.* Ex eo quòd totum hoc Universum omnia rerum genera complectens fecerit. Unde evidenter patet illum alia similia sinè fine efficere posse: sicut pictor qui unam formam potest excellentissimè depingere, potest etiam quasvis alias, quas animo complecti potest: & Architectus, qui unam palatii ideam potest animo concipere & opere exhibere, potest etiam alias quasvis.

Secundò. Ex modo faciendi, tum ex parte actionis, tum ex parte termini. Ex parte actionis; quia summa facilitate, nimirum solo verbo & jussu. *Ipse enim dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Nihil facilius verbo. Hæc summa felicitas, signum est summæ potentiæ, ac proinde omnipotentiæ. Ex parte termini; quia ex nulla materia, sed ex nihilo: quod nunquam Philosophi potuerunt vel animo concipere, quare & ex hac parte, ejus potentia limite caret. Ex parte enim formæ, res in infinitum multiplicari possunt: ut si architectus posset exstruere domos sinè materia, vel ipsam materiam primitus excitare, nullus posset ejus arti statui terminus, nam sinè fine plures & plures domos posset exstruere. Quòd enim plures nequeunt fieri, defectu materiæ provenit. Est igitur hoc signum

Psalm. 148.

evidens omnipotentiæ. Nec enim major fingi poteſt, quàm quæ totum ex nihilo facit. Confirmatur: Quia quò res longiùs diſtat ab eſſe, eò majori opus eſt potentiâ ut trahatur ad eſſe, atquì longisſimè diſtat ab eſſe, quod non latet in potentia materiæ, ſed in puro nihilo, ſolaquè potentia objectiva; ergò opus eſt maximâ potentiâ, quæ ſola eſt omnipotentia.

Tertiò. Colligitur ex infinitate eſſentiæ: potentia enim ſequitur eſſentiam. Nam vel eſt ipſa rei eſſentia conſiderata ut eſt effectiva; vel quiddam ſequens eſſentiam per modum naturalis proprietatis. Ergò cùm eſſentia ſit penitus infinita, potentia quoquè omnino infinita erit: ſunt enim hæc inter ſe commenſa.

Quartò. Ex participabilitate eſſentiæ: tanta enim eſt potentia, quanta eſt eſſentia in ratione participabilis ad extra: ſed eſſentia infinitis modis eſt participabilis ſeu imitabilis, idquè ſecundùm ſingulos gradus rerum, qui ſunt eſſe, vivere, ſentire, intelligere: ergo potentia eſt infinita. Vide S. Tho. l. 2. contra gentes c. 22. ubi ſimiles aliquot rationes eleganter adducit.

Quintò. Ex ratione ſapientiæ: quia tanta eſt potentia, quanta eſt ſapientia. Quidquid enim per ſuam ſapientiam poteſt concipere ut operabile, per ſuam potentiam poteſt efficere: ſicut perfectus pictor, quidquid poteſt imaginari, poteſt exteriùs depingere. Atquì infinitas rationes, & ſpecies rerum infinita illa ſapientia concipit: Ergò poteſt omnes illas producere.

Quædam conſectaria Omnipotentiæ Divinæ.

Ex Lesſio cit. cap. 2.

EX his ſequitur *1mò.* DEUM poſſe omnia efficere per ſeipſum, quæ poteſt per creaturas. Omnes enim vires & facultates, quæ ſunt in creaturis, ſunt ab ipſo, & in ipſo eminenter exiſtunt. Cùm igitur ipſius potentia omnem creaturæ potentiam eminenter contineat; omnia poteſt, quæ omnis creatura poteſt; idquè modo longè perfectiore.

Sequitur *2dò.* Cùm DEUS dicitur *Omnipotens*, & *omnia*

posse &c. ly *omnia* non solùm designare ea quæ sunt re'ipsâ, aut quæ ab his fieri possunt ; sed omnia absolutè, quorum conceptui non repugnat esse ; qualia sunt omnia, non solùm quæ à mente humana & Angelica, sed etiam quæ ab ipsa DEI sapientia infinita concipi possunt. At hæc quàm sunt infinita? quàm mirabilia & exotica, & omnem captum mentis humanæ & Angelicæ excedentia ? Quàm mira & multa sinè termino fingit mens humana ? quantò mirabiliora & peregriniora & plura mens Angelica? sed in infinitum magìs miranda & plura mens Divina ? Hæc omnia solo verbo, solo nutu, potest in opus explicare, & foris re ipsâ repræsentare. Sicut enim Divina sapientia est regula Divinæ potentiæ, ità etiam nullus alius limes ei statui potest. Confirmari hæc possunt ex illo dicto Angeli Luc. 1. *Non erit impossibile apud DEUM omne verbum*; id est, nulla res quæ animo concipi queat, aut verbo exprimi, ut Doctores passim exponunt. Unde certissima & ab omnibus recepta sententia est, eaquè fide tenenda, vel fidei proxima, *Deum posse quidquid non involvit contradictionem* : id est, quidquid non includit non esse simul cum esse. *Non esse* enim formaliter tollit *esse*, ac proinde simul cum illo stare non potest : idquè adeò est evidens, ut sit principium omnis ratiocinationis, in quod omnis ratio, omnisquè disputatio ultimò resolvitur, ut in Metaphysica traditur. Omne igitur conceptibile potest DEUS, tam negativum, quàm positivum ; sed negationem & positionem ejusdem simul connectere non potest : quia hæc essentialiter se mutuò tollunt.

Sequitur tertiò DEUM præter ea quæ re ipsa fecit, posse facere alia sinè fine. *Primò* potest facere alios mundos innumerabiles, similes & æquales huic mundo ; At quanta res est mundus iste, quàm immensa ?

Descriptionem mundanæ machinæ fusiorem vido supra sect. 1. subs. 1.

Secundò, potest alios mundos majores isto condere, servatâ proportione singularum partium idque sinè termino: v. g. ut singulæ partes sint centuplo vel mililecuplo majores partibus hujus mundi, terra terrâ, mare mari, sol sole, cælum cælo ; idque in quavis alia proportione sinè fine. Unde tota mundi hujus machina ad potentiam DEI est, instar parvæ

pilæ:

pilæ: poteſt enim DEUS facere mundum adeò magnum, ut totus hic mundus ad illum comparatus ſit inſtar grani milii; & in illo tantam multitudinem Angelorum, ut hic numerus Angelorum qui modo exiſtit, ſit inſtar pugilli ad arenam maris.

Tertiò, poteſt etiam facere alios mundos ſpecie ab hoc diſtinctos & præſtantiores, idquè ſinè termino: ſimiliter Angelos ſpecie diſtinctos & præſtantiores. De Angelis eſt communis ferè ſententia D. D. De mundi partibus eſt eadem ratio, ſicut enim in ſpiritibus ſunt gradus infiniti, cur non ſimiliter ſint in corporibus? Conſtat ſanè eſſe gradus in corporibus; nam aqua præſtantior eſt terrâ, & aër præſtantior eſt aquâ, & inter cælos eſt ordo naturalis dignitatis. Quis dicat hunc ordinem ſiſtere in ſupremo cælo, nec poſſe corpus præſtantius à DEO fieri? aut non poſſe fieri elementa alia noſtris analoga? Nullo modo dubitandum eſt, quin in theſauris Divinæ ſapientiæ, lateant & alia elementa, & alii cæli noſtris analogi & præſtantiores; cujus etiam ſignum eſt tanta diverſitas terrarum, liquorum, vaporum, vel ſpirituum noſtra elementa æmulantium, quæ tamen inter ſe ſpecie differunt. Idem dicendum de corporibus mixtis, metallis, lapidibus, gemmis, plantis, animalibus. Quidquid autem latet in ſapientia, etiam latet in potentia; quidquid enim poteſt concipere, poteſt & facere. Unde non fecit hunc mundum, & cætera quæ in ipſo ſunt, quaſi nihil poſſet præſtantius aut majus, ſed quia ſufficiebat ad finem ſibi propoſitum, qui eſt declarare potentiam, ſapientiam, & bonitatem ſuam; quod hic mundus tanquàm ſpecimen eximium Divinæ artis & potentiæ ſatis præſtat. Tale enim opus tam varium, tam immenſum, & in omnibus partibus ſuis abſolutum, non potuit fieri niſi à potentia, ſapientia, & benignitate infinita. Sicut pictor vel architectus, qui etſi infinita poſſint opera facere, tamen ſufficienter artem ſuam declarant in uno aliquo magno opere, ſi illud faciant excellentisſimo modo, quo intra ſuam ſpeciem fieri poteſt.

Quartò, poteſt ſub ſingulis ſpeciebus infinita individua, & rurſus ſingula individua replicare infinities, id eſt, ſinè

ullo termino. Itaquè ex uno homine potest facere maximum exercitum, implere omnia regna & urbes omnes; ex uno pisce implere totum mare, & flumina omnia; ex una arbore omnia sylvarum spatia, omnesquè montes vestire.

Quintò. Potest corporibus dare modum existendi incorporalem & invisibilem, ut ex augustissimo Eucharistiæ mysterio constat. Itaquè cælum, terram, maria cum omnibus insulis, regnis, oppidis, populis, atquè adeo totum mundum potest ponere in grano milii absquè ulla partium imminutione, perturbatione, aut offensione. Deficit mens ista perpendens, nec tantam sustinere potest Divinæ potentiæ Majestatem.

Sequitur quartò. In objecto Omnipotentiæ Divinæ duplicem considerari posse possibilitatem: intrinsecam & extrinsecam, remotam & propinquam. *Intrinseca possibilitas* est aptitudo ipsius rei, seu nonrepugnantia ad existendum. Eadem dici potest possibilitas remota, ratione enim hujus dicitur res possibilis, etiamsi non consideretur ulla potentia quâ possit produci: Sicut color est in se visibilis, etiamsi nullus sit visus qui possit illum videre. Hanc possibilitatem habet res quodammodo à DEO, non quidem per actionem aliquam liberam vel necessariam, quâ DEUS rem illam in esse possibili producat (esse enim possibile quà tale, non potest esse terminus productionis, nec potest habere causam effectivam) Sed habet eam à DEO tamquam à causa quasi exemplari. Essentia enim Divina quatenus est tali modo imitabilis & communicabilis, est ratio per modum radicalis ideæ, cur humana natura sit possibilis, & habeat tale esse objectivum & potentiale. Idem censendum de reliquis omnibus possibilibus. Itaquè ipsa essentia est prima radix omnis esse objectivi, & possibilitatis intrinsecæ omnium possibilium; & omne esse objectivum possibilium pendet ab essentia Divina tamquàm à prima & originali omnium idea, à qua singula suam speciem & rationem conceptibilem in suo gradu & ordine variè limitatum habent, modo jam explicato.

Possibilitas extrinseca est, quam res habent ratione omnipotentiæ Divinæ, per quam possunt produci & accipere esse

actu

actu. *Extrinsecam* voco, quia non concipitur ut quid intrinsecum rebus, sed ut denominatio extrinseca à potentia Divina. Eadem dici potest possibilitas propinqua: quia positâ Divinâ potentiâ, res statim potest fieri, nec aliquid aliud ad ejus productionem requiritur, quàm voluntas producentis.

Itaquè omnia possibilia continentur in essentia Divina tanquam in originali radice, & quasì in exemplari, virtuali, & radicali. In sapientia tanquam in exemplari formali, in quo etiam existunt objectivè modo perfectissimo & illustrissimo: magis enim ibi fulgent, quàm in suis naturis creatis. In potentia tanquam in causa effectrice. Etsi enim hæc non distinguantur ex parte rei: tamen ut à nobis concipi possunt, necessariò illa distinguimus, & conceptibus distinctis apprehendimus.

Ex his considerationibus patet, quanta sit Divinæ potentiæ magnitudo & amplitudo, cùm se extendat ad omnia, quæ sapientia Divina extra se potest concipere: quæ eadem omnia in ipsa essentiæ infinitate eminenter continentur.

Actus & Affectus Anagogici.

Ex Blasio Palma thesau: indef.

I. O DEUS *meus omnipotens, tu es illa potentia, quæ omnia quæcunquè vult, potest: & quæ nullam omnino infirmitatem admittit, nequè unquam fatigatur operando: omnia ex nihilo producit, eâdem facilitate ad nihilum itidem omnia reductura, si velit: nec quidquam illi resistere potest, sed omnia ipsi obediunt. O adoranda, tremenda, & religioso silentio veneranda omnipotentia! Tu Rex seculorum, per te ipsum omnia potes: à te instituta est, & dependet omnis potentia, omnis fortitudo, & energia omnium rerum. Tu inquam, omnia ex nihilo creâsti, & sustentaculo tui influxus eadem conservas, & manu tuæ Omnipotentiæ tenes illa, quasi suspensa, nè recidant in nihilum suum. Tu Domine per te ipsum potes dare, & agere non solùm omne illud, quod omnes homines, unà cum SS. Angelis animo concipere possunt; sed etiam omne illud quod infinita tua sapientia cogitare potest; cùm omnipotentia tua sit æqualis sapientiæ tuæ & æqualiter se extendat, & diffundat: quia hæc sola est regula, & mensura illius.*

Quam enim aliam habeat mensuram immensa potentia, nisi ipsam immensitatem?

II. Conplaceo mihi, & gaudeo, Domine, de tanta tua Majestate: in cujus consideratione, rogo te, velis imprimere animæ meæ profundissimam reverentiam, & humilitatem erga Divinam tuam Majestatem. Placet mihi etiam, quod disponas & statuas de me, & omnibus creaturis secundùm tuum beneplacitum: quia nemo potest tibi dicere: quare, sic facis? omnia tua sunt, & opera manuum tuarum.

III. Fac, Domine, ut cogitem semper hanc veritatem: te mihi præsentem esse, & manu tuæ omniptentiæ mihi minitari fulmen æternæ damnationis, & ità te nunquam offendam. Da insuper fiduciam, & securitatem cordi meo erga te, nè ullum præter te timeam, & nè creatura ulla possit me separare ab amore tuo: nam quid sunt omnes aliæ creaturæ in conspectu tuo? vel quid mihi mali, sinè tua permissione, possunt inferre? quodsi tamen ab aliqua permittas me affligi, hoc ipsum, Domine mi, cedit in meam salutem, & mihi cooperatur ad acquirendam vitam æternam. Et ideo omnem meam fiduciam pono, & repositam volo in te, potentissime DEUS ac Domine. Amen.

§ IIIMUS.

DE DOMINIO DEI.

Ex Lessio de perfection. Divin. l. 10. c. 1.

Dominium Jurisdictionis esse in DEO eminentissimè.

DOminium generari est duplex: Jurisdictionis, & Proprietatis. *Dominium Jurisdictionis*, est potestas gubernandi subditos: tali enim potestate superiores dicuntur passim Domini. Hujus potestatis sunt *quinque* actus: *Præcipere, prohibere, permittere, punite, præmiare*: in his enim consistit tota gubernatio superiorum. *Præcepto* imponitur obligatio ad aliquid faciendum. *Prohibitione*, ad aliquid non faciendum. *Permissione*, datur facultas aliquid faciendi vel licitè, vel saltem impunè. *Punitio*, est irrogatio mali pœnæ propter malum culpæ: unde à malo culpæ committendo absterret; & ubi jam commissum est, ordinem justitiæ violatum instaurat. *Præmiatio*, est boni jucundi pro bono honesto retributio: hæc ad bonum

patrandum allicit, & patratum majore bono remunerat. His positis.

Dico hoc Dominium eminentisſimè eſſe in DEO *imò.* Quia ſolus DEUS habet illud à ſe, cæteri omnes à DEO, vel mediatè vel immediatè. Sicut enim ſolus à ſe habet ipſe ſubditos, ita ſolus à ſe habet in illos authoritatem & juriſdictionem. *2do.* Quia ſe extendit ad omnem naturam rationalem, ad omnes Reges & Monarchas, & ad omnes Angelicas Cæleſtesquè poteſtates Sicut enim omnia ab ipſo eſſentialiter dependent, ita quoque eſſentialiter ei ſunt ſubjecta. Unde nihil poteſt ab ejus juriſdictione eſſe exemptum. Quare meritò dicitur *Rex Regum, & Dominus dominantium* : imò ipſe ſolus Rex, ipſe *Solus Dominus* , *ſolus Altiſſimus*; cæteri omnes ſunt ſubditi, ſervi, & mancipia. Neque tantùm in omnem naturam rationalem imperium & juriſdictionem habet, ſed etiam in naturam irrationalem & inſenſibilem: Omnia enim ſerviunt ipſi, ejusquè imperium ſuo quodam modo ſentiunt. Unde cùm Dominus imperavit ventis & mari, facta eſt tranquillitas magna: Matth. 8. Ubi B. Hieronymus: *Ex hoc loco,* inquit, *intelligimus quòd omes creaturæ ſentiunt Creatorem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, ſed majeſtate Conditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illi, ſenſibilia ſunt.* Quis unquàm Regum terræ, ventis, & mari, vel alteri naturæ inſenſibili præcipere potuit? *3tiò.* Complectitur ejus iuriſdictio omnia loca, & tempora. Unde 1. ad Timoth. 1. dicitur: *Rex ſeculorum:* qui omnibus ſeculis & præteritis & futuris dominatur, & ubiquè tenet imperium, in cælo, in terra, in mari, in inferno. Item Pſal. 144. *Regnum tuum regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Hinc Apocal. 5. dicitur. *Omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, omnes audivi dicentes: ſedenti in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas, (græcè κϱάτος imperium in ſecula ſeculorum.)*

Quartò. Quà habet ampliſſimam & illimitatam poteſtatem præcipiendi & vetandi: poſſet etenim præcipere omnia opera bona nobis poſſibilia. Unde omnia ſua conſilia poſſet

 facere

facere præcepta, & imponere nobis omne genus austeritatum & pœnitentiarum, jejunium, cilicium, chameuniam, flagellationes, & alia hujusmodi, usquè ad nostri peremptionem. Posset vetare omnes commoditates & recreationes sub peccato mortali. Deniquè nihil est adeò leve vel adjaphorum, quin illud certâ consideratione efficere posset grave, & suo præcepto necessarium. Quòd autem non faciat, sed pauca & facilia mandet, quæ ipsa naturæ rectitudo postulat, benignitatis ejus est, non juris & potestatis defectûs.

Quintò. Habet summam potestatem puniendi, potest enim punire non solùm in corpore, quovis genere tormenti illud affligendo; sed etiam in anima, idquè pœnâ acerbissimâ & æternâ, nec ulla est tanta pœna, quin possit infligere majorem.

Sextò. Habet summam potestatem in remunerando: rependit enim pro obedientia, & obsequiis sibi præstitis præmium æternum, nimirum gloriæ & beatitudinis suæ consortium. Terreni Principes aulicis & ministris suis, non nisi terrena & externa, quæ ipsi in terra inveniunt, pro omnibus obsequiis dare possunt: sanitatem, robur, pulchritudinem, vitam longam, sapientiam, non possunt: DEUS autem non solùm ista omnia excellentissimo gradu, sed etiam longè majora, quàm mens capere possit, servis suis pro exiguis laboribus confert.

Septimò. Non solùm ipsius est omnia mala punire, & omnia bona remunerari; sed etiam pœnas & præmia singulis taxare & definire, nequè enim alterius hac in re præscriptum, sed suum decretum sequitur.

Ipse igitur supremam in omnes, omni loco & tempore, & quoad omnia jurisdictionem habet, tanquam *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* *Ipse Rex seculorum, in cujus ditione omni tempore universa sunt posita, cujus voluntati nemo potest resistere.* Ipse supremus legislator, à quo omnis lex justa descendit: qui pro suo arbitrio potest nobis leges imponere & laxare; qui omnium culparum pœnas & omnium meritorum præmia taxavit. Ipse supremus Iudex, qui Angelos & homines, vivos & mortuos est judicaturus, & singulis pro meritis præmia vel supplicia retributurus; qui etiam intimas & occultissimas cogitationes

1 Timot. 6.
Ibidem. 1.
Ester. 13.

nes nostras in lucem proferet, discutiet, ponderabit, cui de omni verbo otioso sumus reddituri rationem.

De Dominio Proprietatis, & duobus primariis ejus titulis Creatione & Conservatione.

Ex Lessio de Divin. perfection. lib. 10. *c.* 3.

SEcundo modo accipitur *Dominium* pro jure disponendi de re aliqua pro suo arbitratu, ita ut possit illam consumere, vastare, conservare, donare sine cujusquam injuria. Sic homo propriè est Dominus sui jumenti, quia habet jus illo utendi, vel etiam perimendi, prout ipsi placuerit; nec roganti cur illud ita tractet, tenetur aliam reddere rationem: quàm, *sic placet.*

Hâc ratione DEUS est perfectissimè *Dominus* totius creaturæ. Unde in scripturis ubiquè ferè vocatur *Dominus*, & creaturæ dicuntur esse *ipsius*, ipsi servire, & famulari. imo Timot. 6. *Quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens Rex Regum, & Dominus dominantium.* Psal. 88. *Tui sunt cæli & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundâsti.* Psal. 118. *Ordinatione tuâ perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.* Job. 4. *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem.* Psal. 115. *O Domine quia ego servus tuus: ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.*

Habet autem DEUS hoc Dominium non occupatione, quasi antea fuerint adespotæ, & ipse velut in vacuam mundi possessionem sit ingressus: non donatione, non successione, non emptione, quâ ab alio id comparaverit, (quibus modis homines sua dominia rerum comparare solent) sed longè aliis & sublimioribus titulis potissimùm quatuor.

Primus titulus est *Creationis*, quà omnia ex nihilo solus creavit, & totum esse rerum, omnia suâ omnipotentiâ & sapientiâ finxit. Hic titulus est præstantissimus, & summum jus tribuit. Non enim potest esse majus jus aut dominium, quàm sit illud, quod competit ratione dependentiæ & subjectionis essentialis. Nam quò magis est quid alicui subjectum, & ab eo dependens, eò majus jus ac dominium hoc in illud habet. Sic homo majus dominium habet in actiones internas, quàm ex-

ternas; quia internæ sunt ei magis subjectæ, & majorem à voluntate ejus dependentiam habent, quàm externæ, cum hæ etiam à membris corporis & rebus externis pendeant. Et in actiones externas sensuum & membrorum majus habet dominium, quàm in fortunas & opes, quas possidet; quia illæ majorem ab eo dependentiam habent, ut quæ ab intrinseco proveniant, hæ verò ab extrinseco. Unde & actionum dominium non habetur successione, emptione vel occupatione, sed ab intrinseco manat: opum verò dominium ab extrinseco, titulo aliquo, jure civili, aut gentium recepto, obtinetur; ac proinde modo imperfectiore. Quare cùm dependentia creaturæ à Deo per creationem sit essentialis, & summa, summum dominium & jus DEO tribuit.

Hoc Dominium insinuatur apertè Esther 13. *Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israël. Tu fecisti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. Dominus omnium es.* Ex eo quòd ipse omnia condidit, colligit ipsum esse Dominum universorum, & cuncta in ejus ditione & potestate esse posita.

Explicat hoc Dominium Apostolus ad Rom. 9. similitudine juris, quod figulus habet in fictile. *O homo tu quis es qui respondeas DEO*; id est qui à DEO factorum rationem exigas. *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ubi ostendit manifestè DEUM habere tantum juris & potestatis in singulos homines, quantum figulus in vasa fictilia: Inde sicut figulus potest vas fictile conservare ad splendorem, & ornamentum domûs, vel frangere & abjicere in fimetum, uti ad ministeria honesta, vel ad infima & sordida; nec potest illud conqueri de injuria ac dicere: Cur sic mecum agis? Ita DEUS in singulos homines imò in omnes creaturas jus habet, ut eas vel conservet, vel perimat, & in nihilum redigat; iis utatur ad splendida, vel ad abjecta: ornet prosperis, vel exerceat adversis. Nec quisquam potest queri de injuria, aut factorum rationem exigere. Imò jus DEI in creaturas est longè majus, quàm figuli in vasa

fictilia

fictilia, nam creatura pendet à solo DEO quoad omnia, & quâ in multis utatur causis secundis, has ipsemet instituit, & opus iis non habet, fictile verò non à solo figulo pendet, sed ab argilla, ex qua constat, ab aqua quâ maceratur & tractabilis redditu, à rota quâ formatur, ab igne quo excoquitur: quibus omnibus non minus quàm figulo debet, qui solùm per motum localem illa applicat, per se autem nihil tribuit. Quòd si ipse habet tantum jus in fictile propter applicationem causarum, quas ipse non fecit, & quæ ab ipso vim non habent; quantum juris erit DEO in creaturas, qui solus materiam, formam, potentias, qualitates, ornamenta omnia, suâ vi contulit?

Secundus titulus est *Conservatio.* Non enim satis est creaturam semel fecisse, sed opus est assiduâ conservatione, ut in esse permaneat. Itaquè totus ille impetus & influxus, quem primo creationis momento præstitit, ut rem ex nihilo in lucem, & speciem excitaret, debet indesinenter continuari, omnibusquè momentis dari; alioquin si vel unico temporis puncto intermittatur, tota creatura funditùs peribit, & in suum nihilum, unde emersit, relabetur. Sicut ut mundus illustretur, non sufficit solem semel ex se lumen fudisse, sed necessè est ut illud assiduè conservet, continuando primum influxum. Si enim vel unico momento vim suam cohiberet, repentè totum lumen extingveretur. Similiter si pondus aliquod in aère manu suspendas, illud assiduè sursum teneri, & eodem impetu ibi conservari debet, quo ab initio ibi est suspensum. Idem cernitur in speciebus visibilibus, & in actibus vitalibus.

Hinc rursum oritur summum jus DEO in creaturam. Quòd enim potest jus majus animo concipi, quàm posse omnia in nihilum reducere solâ cessatione operationis & beneficentiæ? Nam quid est quod DEUM cogit hunc beneficum & substantificum influxum continuare? cui debitor est, ut hunc semper præstet? Itaquè omni momento potest illum sistere & cohibere: quòd si faciat, ruet tota hujus mundi machina in suum centrum, hoc est in nihilum, & evanescet omnis rerum natura.

Porrò nè quis de hac rerum mirabili à DEO dependen-

tia

tia assidua dubitet, aut considerata earum soliditate & firmitate putet eas semel factas posse per se consistere, ostendam illud non esse Philosophicam speculationem vel opinionem, sed certum Religionis nostræ dogma à scripturis & Patribus traditum & firmâ fide tenendum. Probatur ergo ex scripturis. Sapien. I. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*: quasi dicat: Cùm ubiquè præsens sit, omniaquè conservet intimè, nihil illum latet, non cogitationes internæ, non occulta murmura, non blasphemæ voces &c. Et sapient. II. *Quomodo posset aliquid permanere nisi voluisses, aut quod à te vocatum non esset, conservaretur?* At si non requiritur continua conservatio, non est opus illâ voluntate, ut res permaneant, nihil enim operabitur, & opus semel factum per se stabit, cùm nulla res extrinseca illud possit labefactare. Ad Hebr. I. *Novissimè locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universarum, per quem fecit & secula: qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansquè omnia verbo virtutis suæ.* Hîc apertè docet Apostolus: per Filium, non solùm condita esse omnia, sed etiam ejus omnipotente virtute omnia portari, sustineri, & veluti sursum in esse & natura suspensa teneri, nè in suum nihil recidant: sicut cùm quis pondus, quod portat & suspensum tenet, dimittit, mox id deorsum cadit. Ita hunc locum exponunt Patres. Anselmus: *Portat*, inquit, *omnia, id est sursum tenet, nè decidant, & in nihilum vertantur, unde creata ab ipso fuerant, & sustentat ea non labore & difficultate, sed imperio suæ potentiæ*. Chrysostomus Hom. 2. in Epist. ad Hebr. *Feratquè omnia, id est gubernet omnia; siquidem cadentia, & ad nihilum tendentia continet. Non enim minus est continere mundum, quàm fecisse: sed si oporteat aliquid admirandi dicere adhuc amplius est. Nam in faciendo rerum quidem essentiæ productæ sunt; in continendo verò, ea, quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur.* Eadem verba habet Commentarius qui tribuitur Ambrosio. Eodem modo exponunt hunc locum Theophylactus, Haymo, & alii. Ad Coloss. I. *Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Hîc rursus Apostolus distinguit. *Creationem & Conservationem*, dicitquè non solùm per ipsum, ut per

virtutem

virtutem Patris; & in ipso tanquam immenso quodam sinu creata esse omnia, sed etiam omnia consistere & conservari. Chrysostomus Hom. 8. in hanc Epist. *Quid verò dicit, in ipsum, quid est? hoc scilicet, in ipsum pendet omnium hypostasis.* Non solùm *ipse ea ex nihilo ad hoc ut essent produxit, sed & idem ipse nunc quoquè ea conservat, & tuetur, ita ut si ipsius curâ destituerentur, mox perirent, & corrumperentur. Sed non dixit,* Conservat, *quod crassiùs fuisset; sed quod subtiliùs, nempe quòd omnia in ipsum pendent. Duntaxat ad ipsum annuere, & inclinare satis est ad conservandum, & constringendum; ita ut Primogenitus quodammodo fundamentum est.* Et infra. *Nè putes eum esse ministrum, dicit eum omnia conservare, quod non minus est quàm omnia creare.* Anselmus. *Omnia in ipso constant; quia sicut omnia creavit, sic omnia continet & regit. Omnia in ipso constant; quia secundùm immensitatem incircumscriptæ & incomprehensæ Divinitatis ejus omnia sunt intra ipsum, & nè in nihilum redeunt, per eum consistunt.* Eodem modo exponunt Cæter. Joan. 5. *Pater meus usquè modò operatur, & ego operor.* Hunc locum omnes explicant de operatione, quâ mundum conservat, & rebus omnibus Cooperatur.

D. August. *lib.* 4. *Genesi. ad literam Cap.* 12. ait: *Potest etiam intelligi DEUM quievisse à condendis generibus creaturæ, quia ultra jam non condidit aliqua genera nova. Deinceps autem usquè nunc, & ultra operatur eorundem generum administrationem, quæ tunc instituta sunt, non ut ipso saltèm die septimo, potentia ejus à cæli & terræ omniumquè rerum, quas condiderat, gubernatione cessaret: alioquin continuò dilaberentur. Creatoris namquè potentia causa est subsistendi omni creaturæ, quæ ab eis, quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul & eorum cessaret species, omnisquè natura concideret. Nec enim sicut structuram ædium, cùm fabricaverit quis, abscedit, atquè illo cessante stat opus; ita mundus vix ictu oculi stare potest, si ei DEUS suum regimen subtraxerit. Proinde cùm Dominus ait: Pater meus usquè modò operatur, continuationem quandam operis ejus, quæ universam creaturam continet, & administrat, ostendit.* Idem prosequitur fusiùs, & probat ex duobus scripturæ locis, ut in Enchiridio cap. 27. *Non sanè Creatoris desistente bonitate, & malis Angelis*

subministrare vitam, vivacemquè potentiam, quæ subministratio si auferatur, continuò interibunt. Idem docet aliis multis locis.

S. Dionys. lib. de Divin.Nom. c. 10. S. Dionysius id clarissimè tradit dicens. *Omnitenens* (sic enim videtur hìc vertendum παντοκρατωρ, non *omnipotens.* Nam de omnipotentia egerat cap. 8.) *dicitur, quòd sit omnium sedes, omnia continens, omnia complectens, & cuncta stabiliens, fundans, atquè constringens, & universum in se insolubile præstans: & ex se veluti ex omnitenente radice cuncta producens, atquè ad se ut ad omnitenens fundum universa convertens, & continens, ut omnium sedes omnicapax: omnia contenta unâ præcellenti connexione communiens, nequè sinens ea sibi excidere, nè tanquam exactissimo domicilio mota, dispereant.* His verbis multis modis Dionysius hanc conservationem explicat; de quibus infra. Idem Cap. 13. *Pertingens ad omnia pariter, & supra omnia indeficientibus largitionibus & interminabilibus operationibus.* Idem clariùs verbis sequentibus ubi dicit hanc *largitionem esse semper eandem, & incessabilem, & imminuibilem.* Eandem sententiam insinuat multis aliis locis.

Ex his patet, certâ fide tenendum esse, omnes res creatas assiduè à DEO pendere, & ejus assiduo influxu egere, & hunc influxum non necessariò à DEO manare, sicut lumen à sole, ut quidam Philosophi imaginati sunt, sed omninò liberè; ac ratione hujus DEUM summum jus habere in omnem creaturam; cùm omni momento funditùs ab illius arbitrio pendeat.

Porrò hæc conservatio, ut ex prædictis testimoniis colligitur, etsi unica sit, & unius modi, tamen quadruplici modo concipi potest. *1mò* Per modum *Sustentationis*, quasi creatura DEO veluti firmissimo fundamento ac fundo sit innixa, & ipse eam internè quasi sustineat, nè in centrum sui nihili recidat. Sic Dionysius supra DEUM vocat *sedem omnitenentem, fundum, fundamentum omnium.* Et Gregorius: *DEUM esse infra omnia, & subtus creaturam, sustentare.* 2dò. Per modum *Suspensionis.* DEus enim creaturam ex abysso nihili, quasi trahit sursum versùs seipsum, ad esse, & ad speciem certam; & in ea illam quasi suspensam tenet, nè in suam abyssum unde educta est, recidat. Sic Anselmus supra. *Portat* inquit, *omnia*, id est, *sursum tenet, ne deci-*

nè decidant, & in nihilum revertantur, unde creata ab ipso fuerunt. Idem insinuat verbum *dependere, dependentia.* 3tiò: Per modum *Influxûs & subministrationis.* Sic D. August. & Dionysius supra vocant operationem, largitionem, indesinentem subministrationem *esse & naturæ.* Idem significatur, cùm DEUS dicitur omnium *esse*, omnium vita. 4tò. Per modum *Connexionis & constrictionis.* Sic enim res fluxa nisi assiduè constringatur, & connectatur suis partibus, statim difluit & dissolvitur; ita nisi DEUS interiùs constringat & connectat particulas omnes minimas, aut totalitates rei, ipsa tota in nihilum solvetur. Hoc significant Patres, cùm dicunt DEUM omnia continere, & constringere.

De Reliquis duobus titulis Dominii Divini; scilicet Redemptione, & Ultimo Fine.

Ex Lessio de Divin. perfection. lib. 10. c. 5.

SUpposito fuisse humanum genus sub durissima Tyrannide peccati, diaboli, mortis, ab eaquè liberatum esse Divinâ gratiâ, sequitur DEUM meritò in nos Dominii jus usurpare, & servitutem à nobis exigere, idquè triplici jure: 1mò. *Jure victoris.* Qui enim alterum legitimo prælio vicerit, jure suo ejus bona, ejus servos, captivos, & omnia spolia occupat; ut Dominus Luc 11. apertè insinuat. Unde Psal. 67. dicitur: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*; nempe eos, qui antea sub tyrannis prædictis captivi fuerant. 2dò. *Jure emptionis.* Erat enim homo à justitia Divina ad servitutem illam damnatus, donec pro injuria satisfaceret, qui cùm nullo modo satisfacere posset, solvit pro eo pretium Filius DEI, non ut omninò liber esset (id enim nequè fieri poterat, nequè ipsi expediebat) sed ut esset servus DEI & Christi ejus; cui etiam ex ipsa naturæ conditione servitutem debebat. Hinc in scriptura dicimur *Empti, & redempti.* 1. Corinth. 6. *Empti enim estis pretio magno.* Ad Titum 2. *Qui dedit seipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Ad Rom. 3. 1. Ad Corint. 1. Ad Eph. 1. Itaquè ex pacto Christi & sententia Divinæ justitiæ, quæ hoc pactum ac-

ceptavit ; ex servitute peccati, satanæ, & mortis, translati sumus ad servitutem justitiæ Christi & vitæ, quæ servitus verissima est libertas. 3tiò. *Jure Compensationis*. Cùm enim à nobis tam diram, & intolerabilem servitutem excusserit ; idquè tantis laboribus & doloribus suis, jure à nobis hanc compensationem exigere poterat, ut nos ipsum in Dominum acceptaremus, eiquè perpetuam servitutem pro tanto beneficio exhiberemus.
Matth. 11. Nihil ei sanè rependere poteramus, præsertim cùm *jugum Domini suave sit, & onus leve*; & hoc totum in nostrum commodum cedat.

Similiter quoniam DEUS est ultimus Finis omnium, igitur sicut homo est Dominus rerum arte factarum, quia propter ipsius commodum excogitatæ sunt, nec ullum alium ex natura & institutione sua usum habent, quàm servire hominum commodis ; ita DEUS est Dominus totius creaturæ, quia propter ipsius gloriam sunt omnia, nec alium ex natura sua usum, aliudvè officium majoris momenti habent in mundo, quàm ut gloriæ ipsius & honori deserviant. Hinc sequitur jus illud, quod ex hoc capite competit esse maximum, adeo ut majus animo concipi nequeat. Nam etiamsi non fingeremus creaturam non pendere à DEO, tanquam à causa efficiente, aut conservante ; tamen si ponamus ipsum esse ultimum finem illius, summam in illam authoritatem & potestatem habebit. Authoritas enim finis quodammodo major est, quàm authoritas causæ effectricis, cùm hæc à fine ad operandum moveatur, & omnem rationem operandi, omnemquè modum ac mensuram operis à fine accipiat. Unde finis est causarum prima, cujus gratiâ omnia fiunt, & cæteræ causæ ad operis productionem applicantur. Sicut ergo homo potest uti rebus inferioribus, quæ ad ipsius commodum creatæ sunt, pro suo arbitratu, ut pecuniâ, frugibus terræ, pecoribus, quia est finis earum & ipsius gratiâ factæ sunt, quamvis ipse earum non sit author : ita DEUS potest uti universâ creaturâ pro sua arbitrio, nec quicquam potest queri de injuria, cùm omnia sint ipsius gratiâ. Addo, jus DEI universam creaturam, vel ex hoc unico titulo, etiam sepositis reliquis, esse incomparabiliter majus, quàm jus hominis

hominis in pectus aut pomum, aut rem quamlibet, sive naturalem, sive arte factam. *Primò.* Quia DEUS est ultimus finis omnium, cujus gratiâ sunt omnia, non solùm quòad usum, sed etiam quòad substantiam, & prima rerum elementa: Homo verò non est finis ultimus rerum omnium inferiorum, cùm & ipse cum omnibus suis bonis sit propter Universi integritatem, sicut pars propter totum; & Universi integritas sit propter DEUM. Neque tam ipsa rerum substantia, quàm usus homini est concessus, ut earum adminiculo vitam temporalem sustentet. Deinde, esse propter hominem, & hominis gratiâ, non est conditio intrinseca, & essentialis rerum, sed extrinseca ex benigna DEI ordinatione, qui ad solatium hominum ista destinavit. At esse propter DEUM, & ordinari ad ejus gloriam est conditio intrinseca, & essentialis omnium creaturarum. Sicut enim omnia creata habent respectum & dependentiam essentialem à DEO, ut à causa effectrice & conservante; ita etiam habent essentialem respectum ad illum, ut ad ultimum finem, & dependentiam in ratione causæ finalis. *Hæc Lessius.*

Actus & Affectus Anagogici.

Ex Lessio citato Cap. 7.

Exaltabo Te DEUS meus Rex, & benedicam nomen tuum in seculum, & in seculum seculi. Tu enim es Rex regum, & Dominus Dominantium. In ditione tua universa sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ. Ordinatione tuâ perseverant omnia, & legem quam eis posuisti custodiunt, & singula pro captu & modo suo serviunt tibi, tequè Rectorem ac Dominum confitentur. Summum in omnia tenes imperium, potesquè de omnibus pro arbitratu tuo statuere, nec quisquam à te factorum exigere potest rationem, & dicere, cur sic facis? Omnes Reges & Monarchæ terrarum cum omni splendore & magnificentia sua, cum regnis & exercitibus suis, cum divitiis & gloria sua, veluti terræ vermiculi sunt coram te, & instar nihili in conspectu tuo. Minimi servorum tuorum qui in cælesti palatio tibi serviunt, longè sunt majores omnibus illis; nec quisquam illorum, majestatem vultûs unius ex istis sustinere posset. Contabescit enim instar ceræ

Psal. 144.
1. ad Tim. 6.
Esther. 13.

mortalitas omnis ad præsentiam Angelici splendoris, & viribus defecta concidit. Quanta ergo est gloria majestatis tuæ, quæ omni Angelicâ majestate infinitè est excellentior? Verè tu Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non est finis. Regnum tuum, regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem. Reges terræ & regna eorum repentè corruent, & in nihilum redigentur: regnum autem tuum in æternum stabit, & omnes inimici tui subjicientur pedibus tuis.

Psal. 144.

Dan. 7.

Tu omnium inventor, auctor, formator, conservator, sustentator, exemplar & finis. Propter te sunt omnia, ut serviant gloriæ tuæ; rationalia, ut te cognoscant, colant, & laudent; irrationalia, ut usibus nostris serviant, & suâ admirabili specie mentes nostras in admirationem & amorem tui excitent. Nequè ideo viliores aut miserabiliores sumus, quia propter te sumus, & omnia nostra ad tuam gloriam destinantur. Hæc enim est natura nostra, hoc summum bonum nostrum, gloriæ servire tuæ. Tibi enim servire, regnare est; tibi obedire, iter vitæ æternæ. Meliùs est tibi servire, quàm totum totius mundi tenere imperium. Dum enim obsequio tuo mens nostra intendit, sursum erigitur, seseque in unitatem colligit, tibiquè propior effecta illuminatur, & similis tui efficitur: dum aliis regendis incumbit, ab unione recedit, ad inferiora descendit, & in multitudinem dissipatur; nequè aliquid invenit, cujus conjunctione melior evadat. Nihil enim meliorem efficit mentem, nisi quod est supra mentem.

Magna fascinatio mortalium, tantopere æstimare & sitire imperia, regna, gubernationes & prælaturas, quibus aliis præsint, & seipsos negligant; nihil non agere, jus omne & fas proterere, ut assequantur hanc umbram fèlicitatis, veri boni & salutis æternæ impedimentum. Nihil enim est, quod vel animum magìs avocet à cælestibus & implicet terrenis; vel majorem peccatorum suppeditet occasionem, vel ampliorem exequendi copiam, vel salutares magis arceat monitores, vel magìs oneret peccatis alienis; quàm Principatus, & Prælatura. Quanquàm qui non honoris & commodi sui causâ, sed ut bono publico prosint, & plurimos ad salutem dirigant, susceperint & ritè administraverint, magnum præmium ob rei difficultatem, & boni quod procurant amplitudinem à te consequentur. Sed longè tutius est in imo delitescere, & suæ salutis curam agere. Da mihi Domine, laudes humanas

nas contemnere, honorem mundi fugere, & amare nesciri ab hominibus. Satis mihi sit nosse te, & cognosci vicissim à te; servire tibi, servitutem tui omnibus mundi imperiis anteponere, omnibus dignitatibus & honoribus praeferre. Haec sit gloria mea, haec eminentia & sublimitas, haec omnis dignitatis titulus & insigne. Glorientur alii de regnis & principatibus, de nobilitate & opibus, caeterisquè hujus vitae excellentiis; mea gloria sit, esse servum tuum, & omnia mea esse addicta & mancipata tibi; & omnes meas cogitationes, omnes curas, conatus, omnia studia servire gloriae tuae.

§. 12mus.

DE PROVIDENTIA DEI.

Ex Lessio de Divin. perfect; lib. 11. c. 1.

DEUM habere omnium rerum providentiam, & gubernationem, certum est ex scripturis. Psal. 146. *Qui operit caelum nubibus, & parat terrae pluviam: qui producit in montibus foenum, & herbam servituti hominum; qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Quibus verbis sacra scriptura etiam ad minima ejus curam & providentiam pertinere indicat. Psal. 138. *Ecce Domine tu cognovisti omnia, novissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam,* ut me protegas & dirigas &c. Item Psal. 103. 106. 134. 135. & aliis locis celebratur Divina providentia Sap. 8. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter:* Hoc de conservatione & gubernatione rerum intelligendum est, ut rectè docet D. August. lib. 4. de Gene. ad lit. cap. 12. Priori enim parte significatur, ita potenter omnia à summa natura usque ad infimam, à supremo Angelo usquè ad infimam materiam, ejus manu teneri in suo esse, suaquè specie, ut nullo nisì ipso volente, vel permittente possint excidere. Alterâ, omnia suis collocari locis, & ordinibus, & aptissimis mediis ad suos fines dirigi Sap. 14. *Tua, Pater, providentia gubernat mundum & omnia* Et cap. 15 *Tu autem DEUS noster suavis & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia.* Matth. 6. pulcherrimè

cherrimè ostendit Dominus providentiam Divinam etiam ad minima pertingere, & illi semper fidendum. *Ideo dico vobis, nè soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent: dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem foenum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, DEUS sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei?* Luc. 12. ex eo quòd DEUS etiam circa minima providentiam habet, ostendit, non esse timendum, nè desint nobis necessaria, etiamsi omnia propter DEUM relinquamus. *Nonne quinquè passeres veneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione coram DEO? sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus, pluris estis vos.* Deniquè nihil ferè passim scriptura adeo nobis proponit & insinuat ac DEI providentiam.

Est autem *Providentia* juxta Boëtium, lib. 4. de Consol. Prosa 6. *Divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit,* nimirum in suos fines: ut S. Thomas explicat 1 p. q. 22. a 1. quo loco eam simili modo describit. *Providentia,* inquit, est ratio ordinis rerum, in finem, in DEO existens.

Quæ sint Providentiæ Divinæ Functiones.

Ex citato Lessio Cap. 2.

UT meliùs intelligatur quid & qualis sit Divina Providentia, considerandæ sunt ejus functiones, & generales operationes circa res creatas. Hæ generatim sunt duæ: *Creatio, & Gubernatio.* Quòd *creatio* sit opus Divinæ Providentæ patet *imò. Quia* mundus non est casu factus, sed certissimo consilio, & specialissimo decreto: atqui nihil est quod potiùs sit dicendum opus Providentiæ, quàm quod absoluto & peculiari decreto ad omnes rei circumstantias pertingente præfinitum est. Deinde quia res omnes secundùm suam essentiam conditæ sunt propter finem tum proprium cuiquè, qui est cujusquè operatio

operatio, tum communem omnium, qui eſt gloria DEI. Itaque in ſua eſſentia habent ordinem & habitudinem ad finem, qui ordo eſt impreſſio Divinæ Providentiæ. *3tiò*. Quia per Creationem acceperunt vires, qualitates, temperamentum, locum, ordinem, & figuram, prout cuiquè congruebat ad ſuum ſtatum, functionem, finemquè proprium: atqui hoc nihil eſt aliud quàm convenienter ordinari & inſtrui ad ſuum finem: ergò eſt opus Providentiæ. Deniquè omnis operatio tendens in aliquem finem, eſt opus Providentiæ: atquì creatio eſt operatio tendens ad finem; eſt enim operatio primi & ſupremi operantis, qui omnia propter ultimum finem, qui eſt ipſe operans ejusquè gloria, operatur. Itaquè quòd iſte mundus, iſtis corporibus conſtans, eâ magnitudine, multitudine, ſitu, qualitate, viribus, figuris, tempore, loco, ordine, ſimpathiâ, antipathiâ, præditis, non alius, nec ex aliis, aut aliter factus ſit, eſt opus Divinæ Providentiæ, omnia certo conſilio facientis, & ad certos fines ordinantis.

Quod etiam gubernatio ſit opus Providentiæ, per ſe notum eſt. Sed multi actus hoc nomine continentur: nimirum *Conſervatio*, *cooperatio*, *prædefinitio*, *permiſſio*, *impeditio multorum malorum*, *motio cælorum*, *illuminatio naturæ rationalis*, *redemptio hominum*, *juſtificatio*, *remuneratio*, *punitio*: de quibus ſingulis aliquid dicendum eſt.

De Conſervatione, & Cooperatione.

Ex Leſſio citato Cap. 3tio.

IN gubernatione primum locum tenet *Conſervatio* rerum, quam etiam SS. Patres paſſim gubernationem vocant; ut conſtat ex teſtimoniis ſupra lib. 1o. allatis & ex D. Auguſt. lib. 4. de gene ad lit. cap. 12. Nam primum munus gubernatoris eſt, conſervare ea quæ gubernanda ſuſcepit, nè pereant: ſic enim planè ab ordine & directione, quâ in finem diriguntur, exciderent.

Secundum locum tenet *Cooperatio*: nam ſine Divina cooperatione, nulla res creata poteſt operari, ac proinde nec aſ-

sequi finem, aut in illum tendere, sed ad instar inanis idoli, sensu, motu, & omnibus viribus defecti, stabit. Si DEUS concursum suum subduceret rebus, cessaret motus cælorum, & illuminatio orbis; cessaret elementorum & omnium contrariorum pugna: cessarent ortus & interitus rerum, vicissitudines temporum, incrementa, & decrementa viventium, omnis alternatio, & motus localis omnis. Cessaret in beatis visio beatifica, amor & gaudium omne; in damnatis omnis dolor & tristitia; in omnibus viventibus omnis intelligentia, omnis memoria, omnis volitio, omnis affectio, omnis passio, omnis imaginatio, omnis sensus & motus vitalis omnis; neq. ullum esset inter animata & inanimata, inter sentientia, & sensûs expertia, inter rationalia & irrationalia, inter beatos & damnatos discrimen, quod ad sensum boni vel mali, commodi vel incommodi attinet; sed omnia eodem modo se haberent, tanquam ratione, sensu, motu, vitâ, & vigore omni destituta. Hinc patet, quanti momenti sit hic concursus, cùm inde pendeat tota beatitudo, & omne bonum naturale & supernaturale, & sine ipso simus perinde ac si non simus.

De Prædefinitione, seu Decreto Divino.

Ex citato Lessio Capite 5to.

TErtius actus pertinens ad gubernationem est *prædefinitio, seu decretum.* Est autem *prædefinitio* DEI æternum DEI decretum, quo statuit ut aliquid fiat in tempore, sive à se, sive à creatura. Itaquè est actus internus, & liber Divinæ voluntatis, respiciens objecta, quæ extra DEUM. Verùm ut respicit primam rerum originem & conditionem, non pertinet ad gubernationem, nequè inter actus gubernationis censeri debet, sed ad primam institutionem, quâ ea quæ gubernanda sunt, instituuntur: ejusquè opus externum est *Creatio.* Sed ad gubernatioem pertinet, quatenus extendit se ad ea, quæ postea circa creaturam, vel à creatura agenda sunt.

Notandum autem est, longè aliter esse prædefinita, quæ initio mundi à DEO sunt creata & instituta; aliter, quæ successu temporis, in mundo erant futura. Quæ enim initio

sun

ſunt inſtituta, prædefinita fuêre abſolutâ & efficaci voluntate ante omnem prævisionem determinationis cauſarum ſecundarum, cum omnibus ſuis circumſtantiis & conditionibus; nimirum, ut fierent iſta non alia, tali momento, in tali ſpatio, tali menſurâ & formâ, tali ſitu & ordine, talibus viribus & qualitatibus. Hæc omnia diſtinctisſimè ab æterna mente concepta, & ſic abſolutè decreta, & ex vi æterni decreti, initio mundi ſic condita & formata. Hoc tamen intellige de conditionibus rerum, quæ perfectionem inſinuant, non quæ defectum; ut eſſe corruptibile, poſſe peccare, poſſe annihilari. Hæc enim non ſunt per ſe intenta à DEO in rebus, ſed permiſſa tantùm, & quaſi necesſitate materiæ advenientia. Ideo enim res poteſt diſſolvi, quia ex elementis compoſita; ideo annihilari, quia ex nihilo; ideo peccare, quia non eſt ſua regula; nec ſuæ regulæ neceſſariò conjunctæ; vel ſi ulteriorem cauſam requiris; quia ex nihilo. Itaquè ex vi intentionis Divinæ res non ſunt hujusmodi.

Auguſt. l. 12. de Civit. DEI c. 1. & 6. Fulg. l. de fide ad Petrum c. 3.

Quæ verò poſtea fiunt in rebus, ferè aliter prædefinita ſunt, *Primò* quia ferè præfinita ſunt, ſuppoſitâ prævisione alicujus conditionis in cauſa ſecunda à libertate ejus dependentis. Hoc enim bona gubernatio poſtulabat, ut nihil in curſu primæ inſtitutionis mutaretur, nihilquè novi adderetur, nisì ex aliqua cauſa de novo exorta: quæ cauſa non poterat eſſe, nisì ex libero arbitrio; reliqua enim omnia ſequerentur neceſſariò ex prima inſtitutione. Deinde non ita abſolutè, ſed multa ſub conditione, & cum asſidua dependentia & determinatione voluntatis creatæ. *Tertiò*, in plurimis adiaphorum eſt DEO, ſic an ſic res fiant: præcipuè autem difficultas eſt de operibus bonis, quomodo à DEO ſint prædefinita: ex modo enim præfinitionis illorum, facilè intelligi poterit, quomodo indifferentia & pleriquè effectus rerum naturalium præfinita ſint. Damaſcenus lib. 2. Fidei Orthodoxæ Cap. 30. videtur ſimpliciter negare ea eſſe à DEO præfinita: *Omnia quidem DEUS prænoſcit, non omnia tamen ea præfinit: prænoſcit enim ea quæ in noſtra ſunt poteſtate, non tamen ea præfinit.* Quidam putant illud *præfinit*, hìc ita accipi à Damaſceno, ut ſit idem quod *neceſſitatem adfert*: & ipſum ſo-

lum velle, DEUM non adferre necessitatem operibus nostris. Verùm duobus modis possunt opera bona dici prædestinata, & prædefinita. *Imò.* Præfinitione non absolutâ sed conditionatâ, idquè ante prævisionem determinationis nostræ voluntatis. Desiderat enim vehementer, ut opera bona faciamus, & in hunc finem nos excitat variis modis internis & externis. *2dò.* Præfinitione absolutâ, suppositâ prævisione nostræ determinationis, vel eâ comitanter se habente. Cùm antè prævisam nostram determinationem præfiniat nostra bona opera, ex hypothesi, si nostra voluntas se ad illa velit determinare; positâ illâ hypothesi, illa prædefinitio conditionata transit in absolutam, & fit efficax ita, ut simul cum nostra voluntate influat in opus. Mala tamen non sic vult, nè sub conditione quidem, quia non desiderat ea fieri; nequè ut illa fiant, vires & concursum præbet, nec ullo modo approbare potest, sed tantùm permittit, juxta illud Habacuc 1 *Mundi sunt oculi tui, nè videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Nè videas, id est, nè approbes, nè velis aliquid, quod sit iniquum, & legi Divinæ contrarium.

De Permissione.

Ex Lessio citato Cap. 6.

QUartus actus ad gubernationem pertinens, est *Permissio.* Est autem Permissio propriè non actus internus in DEO, sicut decretum, sed externus; accepto nomine *actûs* latè, ut comprehendit etiam liberum *non agere.* Aliud enim est permittere, aliud est velle non impedire. Alioquin si permittere esset formaliter velle, cùm dicimus; Volo permittere; esset reflexio voluntatis super suum actum, & significaremus nos habere volitionem volitionis non impediendi, quod non est verum, tantùm enim significamus nos habere volitionem non impediendi.

Est igitur *permittere* idem quod non impedire, cùm tamen facultas impediendi suppetat. Pertinet propriè ad ea quæ vel displicent (in quibus subest aliqua impediendi ratio) vel

vel sunt adiaphora, ita ut non curemus, fiant nec nè, sic fiant an aliter &c. Nemo enim dicitur propriè permittere fieri, quæ fieri cupit. Itaquè ut propriè & in actu secundo aliquid dicatur permitti, requiruntur quinquè. *Imò.* Ut displiceat permittenti, vel illi sit adiaphorum, ut dictum est. *2dò.* Ut sit eventurum nisì causa impediatur: quod enim non est eventurum, propriè non est permissum, nisì in actu primo, quatenus causa non fuit impedita, quò minùs posset illud sicut alia facere vel producere: quo modo dicitur DEUS sinere res agi suis motibus, dum illas non impedit, quin secundùm naturæ suæ conditionem quidlibet operentur: quo etiam modo ex consequenti & secundariò, sunt permissa multa mala, quæ homo potest facere, & non facit. *3tiò.* Ut sciat eventurum nisì ipse impediat, si enim nesciat eventurum, non potest dici, voluntariè & in particulari permissum. *4tò.* Ut adsit facultas impediendi. Impropriè enim dicitur permittere, solem moveri, cælum pluere &c. *5tò.* Ut nolis, vel voluntariè omittas impedire, sive ut te non opponas, sed sinas rem fluere suis motibus, qui enim se opponit & conatur impedire, non dicitur permittere, etiamsi res eveniat.

Ex his patet *Imò.* Omnem permisſionem propriè fieri in tempore. Sicut enim actus impediendi quo aliquis effectus impeditur nè fiat, est temporalis: ita actus permisſionis, qui consistit in non impediendo, est negatio operationis positivæ, temporalis est, & coexistit causæ, quæ suis motibus agi sinitur, ejusquè operationi.

Patet *2dò.* Omnem permisſionem Divinam non minùs, quàm operationes DEI positivas cadere sub æternum DEI decretum. Sicut enim DEUS nihil facit in tempore, nec ullum creaturæ effectum impedit, quin decreverit illud facere vel impedire ab æterno: ita etiam nihil omnino permittit, quin illius permisſionem ab æterno decreverit. Itaquè nullum committitur peccatum in mundo, quin DEUS in particulari ab æterno permittere statuerit.

Patet 3tiò. Sicut omnis DEI operatio est bona, & ob eam est laudandus, & benedicendus: ita quoquè omnes ipsius

permisſiones bonas eſſe, & ipſum ob eas laudibus celebrandum; quamvis ea quæ permittit deteſtanda & pesſima ſint: habet enim juſtisſimas & ſanctisſimas rationes, cur mala permittat. Unde D. Auguſt. in Enchirid. cap. 9. *Non ſit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo. Nec dubitandum DEUM benefacere, etiam fieri ſinendo quæcunque fiunt malè. Non enim hoc nisi juſto judicio ſinit. Prima cauſa* eſt generalis; quia decet Gubernatorem univerſalem & ſupremum, ut poſtquam res omnes optimè & ſufficientisſimè ad omne bonum inſtruxit, ſinat eas agi ſuis motibus; alioquin auxilium collatum non videretur fuiſſe ſufficiens, & bonum opus videretur coactum, nec eſſet tantâ laude dignum. *2dò.* Ut Creatura rationalis ſeſe excitet ad bonum faciendum, & malum vitandum, ſemper intenta & ſolicita, nè gratiæ Divinæ deſit, quòd ſi DEUS nullum peccatum permitteret, ceſſaret illa ſolicitudo, & DEO committerentur omnia. *3tiò.* Quia ex malo novit elicere maxima bona. Hæc eſt cauſa non finalis. Sed ſinè *qua non* permisſionis mali. Unde D. Auguſt. in Enchirid. Cap. 11. *Nequè* inquit, *DEUS omnipotens, cui rerum eſt ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret mali aliquid eſſe in opere ſuo, nisi usquè adeò eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo.* Bonum autem quod ex malo elicit, eſt multiplex. *Imò.* Eſt oſtenſio Divinæ juſtitiæ, quæ in caſtigatione peccatorum maximè ſplendet, & magnitudinis Divinæ majeſtatis, quæ tanta eſt, ut vel unicum peccatum mortiferum, eò quòd contra illam committitur, mereatur æternam pœnam. *2dò.* Oſtenſio Divinæ miſericordiæ, quæ in remisſione peccatorum cernitur. *3tiò.* Incarnationis myſterium, unio hypoſtatica, Chriſti humanitas, & quidquid ille pro nobis fecit, & pertulit: quæ omnia occaſione peccati ſunt conſtituta: unde occaſione peccati, multò magis gloria DEI eſt illuſtrata, quàm ſi nullum unquam peccatum fuiſſet. *4tò.* Peccatis impiorum utitur ad profectum & majorem gloriam ſalvandorum. Sic malitia tyrannorum uſus eſt ad exercitium & gloriam Martyrum. Si enim nulli fuiſſent tyranni, careret Eccleſia gloriâ Martyrii: Si nulli hæretici, non ita probata & illuſtrata eſſet fides Eccleſiæ. Vide hac de re S. Auguſt. Epiſt. 141. & 157.

& Tract. 90. in Joan, & in Psal. 54. 5tò. Utitur ad castigationem aliorum. Sic usus est malitiâ Regum Assyriorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Romanorum & aliorum ad castigationem populi Jsraëlitici. Utitur autem non incitando, sed permittendo, ut diabolus illos incitet. Simili modo utitur malitiâ diaboli, ad exercitium Sanctorum, & punitionem peccatorum, qua de re vide pulcherrimum locum August. Serm. 3. de Machabæis. 6tò Sæpè permittit peccatum in vindictam & punitionem alterius peccati, ut colligitur ex Apost. ad Rom. 1. Et hâc ratione peccatum dicitur pœna peccati: non quòd ipsum propriè sit pœna: cùm non sit à DEO puniente intentum: Sed quia permissio ejus est pœna, à DEO volita in vindictam, ex qua permissione per accidens aliud peccatum sequitur. Cùm enim homo, per prius peccatum se facit indignum inspiratione & protectione Divinâ; DEUS eam subtrahit, id est non præbet, ut alioquin fecisset, & ita miser in alia peccata labitur, quæ per gratiam illam evasisset. Nam *permissio peccati*, nihil est aliud, quàm non dare illam gratiam, per quam peccatum fuisset impeditum. 7timò. Interdum permittit DEUS hominem in aliquod peccatum labi, ut teporem ipsius, vel præsumptionem emendet. Unde S. August serm 53. de verbis Domini: *Audeo dicere, superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur.* Sic cùm quis putat se sat fortem, & de se præsumit, ut Petro accidit, nec cum timore, & tremore salutem suam operatur, utiliter permittitur labi, ut suam miseriam agnoscat, & humiliter de se sentiat. Sic multi Sanctorum occasione lapsûs alicujus postea cautiores, ferventiores, & humiliores fuêre. Deniquè bonum elucet & splendet ex comparatione mali, ut docet S. August. in Enchirid. Cap. 11. *Malum benè ordinatum, & suo loco positum, eminentiùs commendat bona, ut magìs placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis* Ex his constat maximè pertinuisse ad Divinam providentiam, permissionem malorum, unde tanta bona redundârunt.

Dixi hæc bona non esse causam finalem permissionis peccati, sed sine *qua-non*: quia nullum bonum, quod ad sui exe-

cutio-

cutionem requirit vel supponit peccatum, potest per se appeti vel intendi à DEO priusquam sit peccatum, sed solùm appetatur supposito peccato. Tale bonum est, quod per se est remedium peccati, sicut *poenitentia*, vel *castigatio peccati*, sicut pœna tum hujus vitæ, quæ est medicinalis; tum futuræ vitæ, quæ est pura vindicta: vel *exercitium* & *patientia piorum*, ex afflictionibus irrogatis ab impiis: vel *ostensio misericordiæ* in condonandis peccatis, aut *justitiæ* in puniendis: vel humiliatio hominis per proprii lapsus considerationem: vel quid simile, quod sine peccati interventu non potest executioni mandari. Nihil horum DEUS ex se cupit, nec captat occasionem ut talia faciat, aut ut talia fiant, priusquàm sit peccatum, imò ex se optat, ut nunquam talium bonorum detur occasio. Supposito tamen peccato, illa bona desiderat & intendit; quia tunc illa rationem boni & desiderabilis obtinent, & eorum executio sine peccato fieri potest. Itaquè dicuntur hæc volita, non *voluntate antecedente*, quam DEUS ex se concipit, & tantùm ad ea, quæ per se bona sunt, pertinet: sed *consequente*, quæ ex omnibus occasionem accipit ut inquit Damascenus lib. 2 de fide orthodoxa cap. 29. Ex quibus perspicuum est permissionem peccati (cùm ipso peccato sit prior) non provenire ex affectu, quo DEUS cupiat ista, ut hæc sint propriè finis illius permissionis: sed solùm habere rationem causæ, *sine qua non* respectu illius permissionis.

De Malorum Impeditione.

Ex citato Lessio Cap. 7.

QUintus actus gubernationis *multorum malorum impeditio*. Tot enim & tanta mala, posito semel peccato, à causis creatis irruerunt, ut nisi per Divinam providentiam impedirentur, brevi mundum perderent. Ac primùm infinita mala impedit, quæ quisquè in seipso esset facturus, & quibus suam animam gravissimè damnaturus. Nam ut inquit S. August. *Nullum malum facit homo, quod non faceret alius homo, nisi eum custodiret gratia illius, qui pro nobis factus est homo.* Quisquè in se ipso facilè advertit, cum variorum occasiones propinquas vel remotas, in quibus

quibus aliquando fuit, considerat. Itaquè gratiæ Divinæ imputare debet, non solùm bona quæ fecit, sed etiam mala, quæ vitavit: ut quòd in hæreses non inciderit, quòd libidinis barathrum vitaverit; quòd homicidia, furta, sacrilegia &c. non commiserit: nisì enim DEUS hominem à pueritia protegat, occasiones malorum avertat, salutaria inspiret, & cursum vitæ dirigat, facilè in quævis peccata incidit. 2dò. Impedit infinita mala, quæ diabolus esset illaturus. Unde Dominus Luc. 22. ait: *Simon, Simon expetivit vos sathanas ut cribraret tanquam triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Tanta enim est diaboli potentia, ut facilè omnes mortales posset pervertere, omnem Religionem extinguere, omnia sacra & cultui Divino dicata vastare, & omnia hæc inferiora turbare, miscere, perdere, nec deest ei ad hoc incensa voluntas: sed per Divinam providentiam furor illius tanquam vinculis quibusdam cohibetur, & potentia comprimitur, ut nè hilum quidem ampliùs valeat, quàm DEO manum suam laxare placuerit, ut perspicuum est ex historia S. Job. cui absquè peculiari DEI concessu, nè minimum quidem nocere poterat, non solùm in corpore, sed nequè in rebus externis, & possessionibus, & ex historia legionis dæmonum, quæ expulsa ab homine rogavit Dominum, ut permitteret invadere porcos, Matth. 8. & Luc. 8. Ita enim à DEO continentur, sicut furiosi canes, vel leones, quos moderator sic constrictos tenet, ut nihil possint nisì quantum ipse permittit, vinculum laxando vel contrahendo. Simili modo continet vim impiorum, nè Ecclesiam evertant, & omnia suâ impietate inficiant. 3tiò. Impedit infinita damna, quæ ab elementis generi humano sæpè inferuntur, ut à ventis, à fulmine, à grandine, ab imbribus, à siccitate, à terræ motu, ab incendiis, ab eluvionibus; imò aqua sola omnia, quæ super terram vivunt, deleret, nisì DEUS longè maximam ejus partem in vaporem tenuem conversam in aëre suspendisset, & per vastissimas illius regiones diffudisset. Omitto pericula, quæ à feris, belluis impenderent, nisì DEUS illis terrorem humani vultus injecisset. Omitto damna, quæ satis & frugibus à locustis, vermibus, aliisquè vilissimis animalculis sæpè irrogarentur, nisì DEUS averteret

Idem Ibidem.

teret. Omitto quæ inferrentur ab hominibus, præsertim impiis in pietatis cultoribus, nisì singulari DEI dispositione impedirentur. Exempla habemus in Davide, quem tot annis Saul cum suis est persecutus, magno quidem terrore & afflictione Davidis, sed irrito conatu, DEO miris modis ipsum protegente. Porrò David typus est justorum, Saul impiorum & persecutorum. Quòd hæc & similia mala hominibus impendentia à causis explicatis impediantur & avertantur, ipsius providentissimæ curæ, quâ genus nostrum fovet & protegit, & singulos (quantùm decet dulcissimum parentem omnium) tuetur, & custodit, ut ad salutem æternam aspirent, deputandum est, eiquè gratiæ pro his omnibus referendæ.

De Gubernatione per motum Cælorum.

Ex citato Lessio cap. 8.

SExtus actus gubernationis est *Cælorum motio:* per hunc enim totam naturam corporalem, maxima ex parte gubernat; in qua motione quatuor potissimùm sunt consideranda, *velocitas*, *varietas*, *æquabilitas*, *effectus*. Velocitas est penè incomprehensibilis: nam sol juxta Astronomos, singulis horis plus quàm undecies centena millia milliarium peragit. Una verò stella sphæræ octavæ circa æquinoctialem, eorundem Astronomorum judicio, unâ horâ percurrit supra 42. milliones milliarium, quantum videlicet eques quotidie 40. milliaria percurrens, annis bis mille nongentis vix conficeret; quanta igitur supremæ sphæræ mobilis erit pernicitas? Nam hæc incomparabiliter est altior, cùm Astronomi demonstrent duos cælos inter illam & octavam intercedere.

Varietas quòquè est mira: singuli enim planetarum orbes, suos habent peculiares motus, tardiores vel celeriores, suisquè temporibus & momentis constitutis ambitus suos peragunt: cùm singuli suo motu ab occidente tendant in orientem, nihilominùs à primo mobili rapiuntur omnes quasi in contrarium, nimirum ab oriente in occidentem. Hic tamen raptus proprios illorum motus non impedit nec perturbat; sed optimè

mè cum illis ita contemperatur, ut uno tantùm motu cieri videantur. Omitto quæ de motibus planetarum in epicyclis, de motu octavæ sphæræ proprio, & de motu trepidationis dici possent: & utrum planetæ proprium impetum habeant, quo ex occidente concitentur, an solùm ita moveri videantur, quòd magis vel minùs à sphæra suprema rapiantur. Satis sit hanc rationem motuum cælestium esse adeò admirabilem, ut hactenus nullum ingenium ejus modos & mensuras assequi potuerit.

Æquabilitas est prorsùs admiranda: nulla enim tot seculis anomolia est notata; sed semper eodem tenore, & pari celeritatis mensurâ procedunt. Et quamvis planetæ videantur habere interdum motus inæquabiles ratione epicyclorum, & majoris vel minoris elationis supra terram, tamen hæc non est vera inæquabilitas, sed solùm respectu centri terræ. Nam & ipsi epicycli semper eâdem velocitate circa centrum suum, & orbes deferentes circa suum æquabiliter gyrantur, nullo unquam tempore vel ad momentum quiescunt, nullo velociùs, aut tardiùs procedunt; sed eodem tenore, eâdem semper pernicitate circumvolant.

Effectus cælestium motuum sunt omnes penè corporales motus, & mutationes rerum, quæ in hoc mundo elementari fiunt. Excipio illos motus qui à libero arbitrio, & aliquos qui ab imaginatione animantium pendent; quamvis & horum multi etiam in illos motus, veluti in causas, etsi non cogentes, tamen inclinantes referri possunt. Ab illis igitur proveniunt venti, turbines, tonitrua, & fulmina, nives & grandines, nubes & pluviæ, æstus & frigora, siccitates & inundationes, salubres auræ & pestilentes, tot incendia & phasmata in sublimi, tot colores & picturæ in nubibus. In mari agitatio illa, quâ instar viventis assiduè se totum nunc in hanc nunc illam partem in immenso alveo suo se commovet: præter infinitas illas tempestates, quibus nunc ad imum barathri dehiscere, & mox ad nubium celsitudinem assurgere videtur. In terra tot exustiones & subterranei ignes, tot tremores, tot conclusi spiritus, mugitus, & erumpentes horrendi fragores; tot fontes & *Idem Ibidem.*

flumina (hæc enim duo nisi aquâ pluviali vel nivali per altiora loca collata non perpetuantur) tot sylvæ & loca deserta. Item omnia quæ in terræ visceribus gignuntur, tot nimirum abstrusæ opes, tanta vis auri & argenti, tanta stanni, æris, ferri ac plumbi, & gemmarum omne genus. Et quamvis omnino credibile sit, hæc ab initio fuisse a DEO suis locis condita, tamen non videtur dubitandum, quin vi cælestium corporum ibidem possint succrescere & augeri, materia vicina & intermixta sensim in illam naturam excocta. Experientiâ enim constat latomias longi temporis progressu à natura restitui, & vicina lapidescere. Omitto innumera alia, quæ cæcis illis latebris nascuntur; qualia sunt sulphur, alumen, & sal, chrysocolla & stibium, chalcantum & arsenicum, lythargyrum, & rubrica & lithanthrax; & alia id generis plurima, quæ magnum in vita humana præsertim ad medicamina usum obtinent. Præter hæc assidua & irrequieta noctis & diei, æstatis & hyemis, veris & autumni alternatio & constans vicissitudo proximè ab illo motu pendet.

Admirabile prorsus est Divinæ providentiæ ingenium, modicam illam solis obliquationem, quâ singulis diebus ferè uno gradu sub Zodiaco, motu proprio ex Occidente in Orientem retrocedit, tantas ubiquè facere terrarum mutationes, & in omni regione (maximè extra Tropicos) quatuor illa anni inducere tempora, ver, æstatem, hyemem, autumnum. Cùm enim sol illo suo motu ad signa Borealia adrepere cœperit, tempus vernum in omnibus versùs Boream regionibus inducit, & omnia hyeme emortuâ incipiunt excitari, reviviscere, & quodammodo hilarescere: & quo tendit ulteriùs versùs Tropicum Borealem, eò magìs omnia crescunt & perficiuntur, aucto radiorum calore: non quòd sol tunc sit vicinior terris, judicio Astronomorum multò longiùs tunc absit, quàm hyeme, sed quia directioribus radiis loca illa aspicit, seu quia radiorum directior sit reflexio. Rursus cùm à signis Borealibus cœperit recedere, & radiis obliquioribus terras nostras spectare, sensim ea quæ apud nos ex terra nascuntur, incipiunt langvescere, & virorem suum vigoremquè amittere. Sed è

contrario in parte Australi omnia incipiunt reviviscere, virescere, crescere, idquè eò magìs, & magìs, quò sol versùs illas oras magìs accedit. Itaquè cùm apud nos est æstas, apud illos est hyems; cùm apud nos autumnus, apud illos ver. Considerandа hic est mira vis solis, cujus solus aspectus nunc directior, nunc obliquior, tantam inducit varietatem, quãtam videmus inter æstatem & hyemem. Quid hyeme tetrius? omnia horrida, mortua, aspera, gelu & torpore obsita. Quid æstate pulchrius? amœnius, vitalius? omnia virent, florent, rident, vigent, & externâ specie lætitiâ quadâm gestire videntur. Si tantas mutationes, tamquè diversum statum rebus invehit modica solis hujus corporei, in mortalium, & peccatorum ministerium conditi accessio & declinatio; quantam inducet sol justitiæ, cùm electis suis præsentem se exhibuerit, & clarè lucere cœperit, nubilo hujus mortalitatis discusso & hyeme præsentis seculi exactâ? *Tunc justus sicut palma florebit in Domo Domini, & sicut cedrus Libani exaltabitur: tunc omnes justi sicut quidam soles splendebunt in regno DEI.* Sed quamvis hyems nostra deformis sit ad aspectum, non tamen idcirco inutilis. Recipit enim se calor & spiritus ab externis ad interiora, à circumferentia ad centrum, ibiquè se constipans & corroborans, humorem colligit & concoquit, ut suo tempore foras in foliorum & flosculorum ornamenta & fructuum delicias se effundat, adeò ut sine hyemis aliqua asperitate verna amænitas & æstivæ opes constare vix queant. Sic quoquè etsi vita hæc aspera & ærumnosa homini, cujus conversatio in cælis est, videri possit, tamen summas utilitates continet. Cùm enim mens hujus vitæ calamitatibus tanquam hyemis frigoribus repercussa & afflicta fuerit, desertis externis ad interiora se colligit, ibiquè humorem Divinæ gratiæ attrahit, quem in bonorum operum decora, in virtutum ornamenta, & in fructum vitæ æternæ expendat. Unde sicut quò sæviores sunt hyemes & diuturniores, eò lætiores æstates & frugum major ubertas; ita quò vitæ hujus afflictiones sunt diuturniores & majores, eò major erit gloria in regno DEI. Deniquè cælorum conversio causa est omnibus viventibus, animantibus pariter

Psal. 91.
Daniel. 12.
Matth. 13.

riter & plantis, herbis, & arboribus, bestiis & hominibus, ortûs, accretionis, & statûs perfecti; in multis etiam decretionis & interitus naturalis; aliter tamen & aliter. Nam ortus, accretionis & perfectionis est causa vi suâ & per se, dum calore cælesti & superno influxu viventia fœcundat, fovet, roborat; decretionis & interitûs ex eventu; vel quia vivificum solis astrum abducit, vel quia ardore solis humorem rerum sensim absumit easquè arefacit.

Idem Ibidem.

Ex his constat. *Imò.* Divinam providentiam motu cælesti generatim hunc mundum inferiorem, & omnia corporalia, quæ illo continentur, gubernare, ortûs & interitûs vicissitudines efficere, rerum species perpetuare, viventium omnium vitas suis ætatibus & accessibus provehere, distingvere, definire; deniquè omnes ordinarias mutationes rerum & temporum inducere.

Dico *ordinarias*, quia multa sæpè præter vel supra communem rerum cursum & causarum naturalium ordinem eveniunt, quæ Divina providentia per Angelos bonos vel malos fieri jubet aut permittit, exigentibus id hominum meritis vel demeritis; vel quia ita congruit eorum exercitationi. Sic inductus orbi cataclysmus, sic pluit ignem sulphureum in Pentapolim, sic mare rubrum divisum iter præbuit Israëlitico populo, sic terra dehiscens absumpsit Dathan & Abiron, cum tabernaculis & familiis suis, sic igne cælesti, duo quinquagenarii cum quinquagenis militibus sub Elia absumpti sunt, sic sæpè tempestates, terrâ mariquè excitantur, sic interdum fulmina, grandines, imbres, venti, terræ motus. Deniquè hoc modo innumera alia & olim facta sunt, & quotidiè fiunt, & fient usquè ad extremam mundi catastrophen.

Gen. 7. Sap. 18. Exod. 14. Num. 16. 4. Reg. 1. Lessius ibidem.

Supererant adhuc aliqui alii Providentiæ actus, nam septimus erat illuminatio creaturæ rationalis. Octavus Redemptio. Nonus Justificatio. Decimus Judicium extremum. Undecimus Remuneratio. Verùm de his dicendum est sub Misericordia & Justitia. *Et supra variis in locis jam insinuavimus.*

Actus & Affectus Anagogici.

Ex Blasio Palma Thesau. indefic.

I. PRovidentia tua Domine, gubernat omnia, à summo cælo usquè ad infimas partes terræ: à supremo spiritu usquè ad ultimum vermiculum. Hæc ab æterno omnes res cogitavit, concepit, distinxit, ordinavit: sine lege istius nihil omninò nascitur, nihil moritur, nihil operatur, movetur, quiescit. Hinc omnia, quæ carent ratione, tanta cum ratione operantur, & tam ordinatè tendunt ad suum finem: homine excepto, qui dotatus libero arbitrio, ipsomet abutens, longissimè sæpè recedit ab ordine Divinæ & particularis tuæ Providentiæ, proponendo sibi alios fines, contrarios illis, quos illa ipsi constituit. Nequè ideo tamen ab universali tua providentia se subducere potest: cùm incidit in justas poenas, propositus peccato & peccatoribus: quo fit ut etiam in improbis elucescat operatio Divinæ tuæ Providentiæ.

II. Væ mihi! qui toties quæsivi subducere mè à paterna tua Providentia, & vivere volui secundum imprudens meum judicium: & ideo dum volui me alienare à Divina tua Providentia, quæ me ducebat ad vitam, incidi in millenos errores, & peccata: & incurri justissimas poenas, decretas ab ordine Providentiæ tuæ miseris peccatoribus, ad gloriam infinitæ tuæ justitiæ: quam, dum stolidè me proripiebam à Benignitate, & Misericordia tua, vel invitus incurrebam: &, ò me miserum! thesaurizabam mihi poenas justitiæ: & dum subtrahere me volebam suavi jugo Divinorum tuorum præceptorum, submittebam me durissimæ servituti dæmoniorum: & dum spernebam æterna præmia, promerebar æterna supplicia.

O stultitia sanguineis lacrymis deploranda! poenitet: ah! toto corde me poenitet: humillimèquè à te veniam peto.

III. Obsecro te, Domine, per omnia mirabilia dulcissimæ Providentiæ tuæ, velis à me auferre hanc stultitiam, & dare gratiam, quâ semper ante oculos habeam hanc tuam Providentiam: ut quidquid prosperè vel adversum acciderit mihi, ab ipsa mihi provenire intelligam, ac de manu tua pro magno beneficio accipiam. Hæc mea sit in adversis prima consolatio. Hæc in terroribus ingeneret mihi fiduciam, in periculis securitatem, in adversis tolerantiam, animi quie-

mi quietem in exspectatione futurorum. Hæc auferat à me omnem sollicitudinem, ut à sola benignitate Providentiæ tuæ securus dependeam. Hæc dirigat omnes res meas, illasquè gubernet usquè ad finem, prout novit expedire ad gloriam tuam, & meam salutem. Quibuscunquè mediis uti voluerit, prosperis, an adversis: honore, an ignominiâ: infamiâ, an bonâ famâ: abundantiâ, an penuriâ: infirmitate, an sanitate: vitâ, an morte: nihil recuso, nihil repudio: quidquid elegerit ipsa, consultissimum judico, & exosculor.

Hoc unicum & antiquissimum meum desiderium & cogitatio est, voloquè, ut semper sit, facere, loqui, cogitare, mi Domine, sicuti tu judicas utile esse ad salutem meam, & gloriam tuam: ut in omni æternitate te contempler, admirer, amem, honorem, laudem, benedicam, in omnibus rebus, & super omnes res. Amen.

§. 13tius.
DE MISERICORDIA DEI.
Ex Lessio de Perfect. Divin. lib. 12. c. 2.

SIve Misericordia spectetur, ut ex affectu benevolentiæ miseriam tollit, (quo modo non distinguitur re ipsâ, à Charitate) sive ut ex odio & displicentia illius inordinationis in natura rationali (quâ ratione videtur virtus distincta, & suæ speciei) ipsa est perfectissimè in DEO. Cùm enim ipse omnis boni omnisquè perfectionis, commodi & felicitatis sit fons, author, & largitor, ipse quoquè omnis miseriæ (ut quæ nisì collatione boni non tollitur.) est peremptor, & exterminator: in qua tollenda, quatenus movetur affectu benevolentiæ, ut creaturæ benè sit, est actus Charitatis: quatenus verò displicentiâ illius inordinati, est actus distinctæ virtutis Misericordiæ. Sed quia DEUS in tollendo malo potissimùm spectat, ut creaturæ benè sit, misericordiæ opera potiùs sunt charitatis, quàm alterius virtutis, & ita ipsius Misericordia est ipsa Charitas inadæquatè considerata, nimirum ut tollit malum dilecti, ex affectu, quo vult ipsi bonum, ut ei sit benè & optimè.

Nec obstat, quòd *Misericordia* videatur includere tristitiam,

tiam, & afflictionem animi, cùm cordis quandam miseriam insinuet, quæ ex sympathia alienæ miseriæ concipitur: quia hæc afflictio non est de ratione misericordiæ, quæ simplicem affectum voluntatis ad opitulandum alteri significat, sed est solùm quid comitans misericordiæ affectum in nobis, quo proximi miseriâ spectatâ ei compatimur, & condolemus, à quo dolore, tanquam à nobis notiori virtus ipso nomen traxit. Unde etiamsi in DEO non sit illa cordis afflictio nisì metaphoricè: ipsa tamen misericordiæ virtus, cùm nihil imperfectionis includat, sed perfectionem potiùs summam (si ipsa summa sit) supponat; in DEO formaliter, & propriè existit. Simili modo in DEO constituenda est ira, non ut turbidum animi motum, qui humorum concitatione rationem obnubilet, sed ut simplicem voluntatis affectum ad ultionem denotat accensum. Quia tamen ira propriè significat motum animi bilem concitantem, misericordia verò simplicem subventionis affectum, quamvis à miseria cordis nomen traxerit, idcirco ira in DEO ponitur metaphoricè, misericordia propriè.

Misericordia DEI luculentissimè commendatur in scripturis: & quia satis exprimi nequit, utpote omnem cogitationem *&* sermonem superans, & omnem miserendi affectum includens, multis & variis modis, & verbis proponitur. Exodi 34. *Dominator Domine DEUS, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera atquè peccata.* Psal. 85. *Et tu Domine DEUS miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ.* Similis verborum Synathrismus, quo omnes misericordiæ modi, & affectus insinuantur, habetur Sapient. 15. Ionæ 4. & alibi Psal. 32. *Misericordiâ Domini plena est terra.* Et Psal. 144. *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.*

Porrò duplex in DEO misericordia conspicitur, altera generalis, altera specialis: illa prior, hæc posterior: non per se & ratione affectûs interni prior aut posterior: sic enim utraquè semper extitit, utpote æterna: sed ratione operis externi & effectûs creati: Illius enim effectus est prior, hujus posterior.

Generalis est, quâ ab initio tota creatura rationalis Ange-

lica & humana (& propter humanam totus iste mundus corporeus) ad bona supernaturalia, & statum beatum, quo defectus nudæ naturæ tollerentur, est destinata. Cùm enim natura rationalis per se, sibiquè relicta, sit multis subiecta defectibus, imperfectionibus, & veluti miseriis ; immensi DEI bonitas, cùm statuisset illam ex nihilo condere, & donis omnibus naturæ debitis exornare, videretquè eam adhuc tot defectibus obnoxiam, & tanto à visione ipsius intervallo disiunctam, misericordiâ motus, statuit illam ad ordinem supernaturalem & æternorum bonorum suorum communionem, quâ omnes illi defectus profligarentur, sublimare & attollere Hæc est misericordia prima, de qua intelligi potest illud Prophetæ Psal. 144. *Suavis Dominus universis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Si enim super omnia opera, ergo etiam super Angelos effusa. At quando? nisi, cùm illos ad supernaturalem statum evexit? Effusa quoquè super omnem creaturam corpoream ; quia cùm hæc tota sit propter hominem, dum hic ad statum illum sublimem elevatur, ipsa quoquè simul attollitur, ut domus, & habitaculum habitatoris sui dignitati congruat. Insinuat hoc Apostolus Roman. 8. *Vanitati* inquit *creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEI.* Et B. Petrus Epist: cap. 3. *Novos cælos, & novam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.* Idem colligitur ex cap. 21. Apocalypsis; & 65. Isaiæ. Deniquè totam creaturam innovandam, & pro suo captu ad statum incorruptibilem & gloriosum subvehendam, est communis Patrum, & sanctorum doctrina.

Prima autem rerum productio quatenus ex nihilo in suas species & naturas cum perfectionibus naturalibus sunt conditæ, non tam misericordiæ, quâ depellitur miseria, quàm bonitati seu benignitati, quæ fons est omnis boni creati, assignanda videtur. Cùm enim creatura penitùs non esset, non erat propriè misera, aut ulli malo subiecta: nam malum est privatio boni, quod deberet inesse; unde supponit subiectum existens cui insit, & cui bonum contrarium inesse possit. Si tamen malum, & miseriam non ita strictè accipiamus, sed generaliùs pro

quovis

quovis positivo, privativo, aut negativo, à quo natura abhorret; sic *non esse*, non parvum est malum, nec modica miseria: est enim summa imperfectio, summusquè defectus totum bonum exhauriens, à quo omnis natura rerum vehementissimè abhorret, nihil enim natura ita refugit ac sui interitum. Unde & animantia & homines gravissima mala perpeti malunt, quàm subire interitum, quasi hoc sit pejus & miserabilius. Hoc modo triplex misericordia, vel misericordiæ opus statui potest.

Prima est, quâ res omnes, præsertim ratione præditæ ex nihilo, in quo æternum retro, velut sepultæ delituerant, in suas naturas productæ sunt. DEUS enim in tanto defectu tantaquè imperfectione (quâ major animo concipi nequit) illas videns, misericordiâ quâdam commotus, statuit imperfectionem illam tollere, easquè ex nihili sui tenebris in lucem essentiæ & vitæ educere, naturam formare, speciem distinguere, suisquè facultatibus & ornamentis instruere. Secunda est, quâ rerum totam naturam statuit ad supernaturalem statum extollere. Tertia est, quâ naturam humanam à statu supernaturali prolapsam, tum in peccatum, tum in suas connaturales miserias, tum in mortem æternam, constituit reparare, & majoribus præsidiis supernaturalibus, quàm antea, fulcire.

Magna & admirabilis est misericordia prima, quâ omnia ex profundo nihili educta ad celsitudinem essentiæ & naturæ sunt evecta: infinitè enim melior est essentia cujusquè quam acceperunt, quàm nihilum unde emerserunt. Verùm infinitè præstantior est misericordia secunda, quâ omnia ad supernaturalem ordinem elevata: nam infinitè præstantior est gratia, quàm natura, & status ille Divinus, quàm conditio naturalis, & communicatio bonorum Divinorum, quàm omnia dona naturalia. Sed & hâc misericordiâ infinitè præstantior est tertia, quâ Divina natura copulata est humanæ in unam Personam, per quam nobis præstita redemptio, remissio peccatorum, justificatio, & omne bonum. De prima & secunda misericordia satis dictum est supra, ubi de benignitate Divina, & de dominio proprietatis.)) De tertia quoquè actum in tertio gradu primæ Hierarchiæ contemplantium DEUM in Verbo incarnato.

Deinde ad immensam DEI misericordiam declarandam spectant collatio Sacramentorũ, Gratiarum, Virtutumq; dona, & bona quàm stupenda, & præclara sunt ibidem, ubi de iis actum, animadverte, & infinitam DEI misericordiam admirare, ama, & gratus collauda.

De Particularibus Beneficiis.

Ex Lessio citato cap. 8.

HÆc de generalibus Divinæ Misericordiæ beneficiis, quæ ad omnes homines pertinent: nunc breviter dicendum de specialibus, quæ cuiquè in particulari impensa. Inter quæ *primo loco* ponatur, quòd aureo hoc seculo, nempe tèmpore gratiæ, nasci nos voluit, non tempore legis veteris aut naturæ. Magna tunc erat rerum Divinarum ignoratio, magna gratiæ cælestis, & donorum salutarium inopia. Dominabatur pænè toto orbe diabolus tanquam in proprio regno, & loco Divini Numinis colebatur. Hic pro suo arbitratu videbatur regere omnia. Hinc fiebat, ut paucissimi ex immenso mortalium numero salutem consequerentur, omnibus pænè in semipternum exitium ruentibus. Infelix plane seculum, & omnino ferreum, etsi deliciis carnis & divitiis secularibus, humanâquè gloriâ apud quasdam gentes quæ Monarchiam obtinebant affluentissimum. Quid si tunc nati fuissemus, & stadium hujus vitæ nobis decurrendum fuisset, potuissemus nè in tantis tenebris, in tanta naturæ & morum pravitae, in tanta cælestis auxilii inopia, & diaboli potentia æternam mortem evadere & salutem adipisci? Valde credibile est tam parvis præsidiis fultos, & tot machinis impulsos, lapsuros, & communis consvetudinis æstu abreptos in exitium præcipitandos. Præsciebat hoc Dominus, & prævenit nos ab æterno misericordiæ suæ benigno proposito, ex infinita hominum multitudine nos seligens, ac nostros natales, vitæquè cursum in tempus gratiæ reservans, tempus inquam gratiæ, seculum verè aureum vel potiùs gemmeum, quo tenebræ infidelitatis discussæ, idololatria sublata, principatus diaboli depressus, cælum apertum, Divina Misericordia patefacta, via salutis propalata: seculum, quo tam eximium offertur

fertur sacrificium, tam Divina participatur hostia, & tam efficacia suppetunt sacramenta, quo tanta est ubertas Divinæ gratiæ, tanta facilitas reconciliationis, tanta facultas merendi, tanta subsidia perseverandi, tanta commoditas pænè momentis cælestem augendi coronam: Seculum, quo melliflui sunt cæli, quo montes stillant dulcedinem, & colles lacte & melle manant, quo singulis horis exiguo labore & minutis operibus nostris possumus inæstimabiles & æternas divitias accumulare. Magna itaquè est felicitas, hoc ævo natum esse, magnum beneficium, pro quo infinitæ DEO gratiæ sunt agendæ.

Secundò. Quòd nati à parentibus Christianis, & Christianè educati. Non minus est istud beneficium quàm prius. Quid enim profuisset nasci tempore lucis & gratiæ, si ipsi inter tenebras in medio infidelitatis inter Brasilios, Indos, vel Caphros editi fuissemus? Non enim fuissemus lucis & bonorum participes hujus ævi aurei, sed in pristini sæculi miserrima sorte, hoc est, in ignorantia Divini Numinis & salutaris viæ, atquè in omnium vitiorum colluvie, cum certissima damnationis æternæ expectatione mansissemus. Nequè putet quis ex naturæ cursu potiùs, quàm ex Divinæ providentiæ decreto & designatione provenire, quòd hic ex illo, iste ex alio parente nascatur, tali dispositione corporis, talem animam non aliam postulante. Non ita est; nulla enim est dispositio in embryone, nulla qualitatum syndrome in corpusculo animando, cui non sint aptæ infinitæ animæ ex iis, quæ in thesauris Divinæ sapientiæ & potentiæ sunt reconditæ. Imò valde verisimile est, quamvis dispositionem corporis humani completam in utero cuivis animæ rationali aptam esse, & positâ tali dispositione quamvis infundi posse. Major enim est discrepantia inter dispositiones ultimas corporis nascentis & resurgentis, quàm inter dispositiones ultimas omnium nascentium: atquì eidem animæ infundendæ aptæ sunt & congruæ, non solùm dispositiones corporis sui nascentis, sed etiam resurgentis: ergo etiam omnes dispositiones nascentium illi aptæ erunt, & ad eos infundi poterit. Deinde Sapientiæ 8. dicitur. *Puer eram ingeniosus, & sortius sum animam bonam*, id est ingeniosam, & ad bonum proclivem,

quasi eidem corpori potuerit infundi minùs bona, minùs ingeniosa. Ergo id non pendet ex dispositione corporis, sed ex DEI electione, qui pro suo beneplacito præstantiorem, vel minùs præstantem animam infundit. Quòd enim animæ, etsi sint ejusdem speciei communis, multùm inter se discrepent perfectione substantiali individuâ, mihi valde credibile. Idem dixerim de Angelis, eâdem specie communi comprehensis. Nam si inter corpora humana tanta est diversitas, ut in tam innumerabili multitudine vix possint duo reperiri vultu & temperamento plane similia, cur non idem putemus de multitudine animarum? Amat enim natura in rebus varietatem, & quantùm potest fugit paritatem. Cernere id est ferè in omnibus individuis animantium, & plantarum: an forte spiritalis natura non est capax tantæ varietatis, quantæ corporalis? Meo sensu etiam longè majoris capacem dixerim, non solùm in speciebus, sed etiam in ejusdem speciei individuis, de quo alibi fortè erit dicendi locus. Tertiò, sæpè videmus in pessimo corpore optimam animam, & in optimo corpore pessimam animam: homines enim vitiosi temperamenti, interdum sunt præstantis ingenii, & ad omnem virtutem expediti, & contra nonnulli probissimi temperamenti, sunt stupidi, & ad virtutem minùs idonei. Non ergo conditio animæ sequitur corporis temperamentum, neque anima sui corporis temperamento ita est addicta & veluti commensa, ut non aliis temperamentis possit accommodari.

Ex his concludo: Cùm animæ omnes creentur à solo DEO, nullâ creaturâ cooperante, formato in utero materno corpusculo, posse DEUM quamvis animam creare, & illi infundere, neque ad hanc, vel illam animam creandam potiùs, quàm ad aliam à dispositione corporis, sed à suo beneplacito determinari. Beneficium ergo ingens in eo recognoscendum, & misericordiæ Divinæ imputandum, quòd non ab infidelibus, sicut alii innumerabiles, sed à fidelibus, & inter fideles nati sumus; ubi & Baptismum, & Christiani institutionem consecuti, & viam salutis ab infantia edocti. Quantum est discriminis inter sortem Barbarorum, & Christianorum? Illi destituti cognitione

gnitione DEI, & futurorum bonorum ac malorum, totiusquè semitæ salutis æternæ ac mortis, destituti beneficio Redemptionis Christi, in omni vitiorum fœditate volutantur, absquè ulla prope modum spe damnationis æternæ evadendæ: nos autem per Baptismum abluti, & Christo insiti, facti sumus heredes vitæ æternæ, & luce cælestis doctrinæ collustrati, novimus viam salutis, & per illam mirandis adjuti præsidiis, magnâ fiduciâ ad æternam vitam contendimus. Sanè beneficium hoc tam ingens est, ut nec verbis explicari, nec mente humanâ possit comprehendi.

Tertium beneficium. Quod ab hæresi inprimis, & ab aliis innumeris peccatis præservati. Monuit Dominus, & post Dominum Apostoli, venturos *novissimis temporibus seductores, & falsos Prophetas*, ut ab illis diligentissimè caveremus. Succreverunt illi nostris temporibus uberrimè, ut herba irrigua, diaboli satu & culturâ. Multa centena hominum millia ab illis seducta, & seducuntur indiès plurimi. Ingentia sunt hujus ætatis pericula, præsertim iis, qui inter tale genus hominum degunt, & cum illis aliquando versantur. Nam *sermo eorum ut* 2, Tim. 2.
cancer serpit integra regna brevi pervadens, & instar flammæ omne bonum depascens, ipsis etiam fundamentis salutis penitus absumptis. Felices, quos Divina misericordia ab hoc contagio præstitit immunes. Considera miseriam eorum, qui in hoc barathrum ceciderunt: tenebras nefandas cælestem putant lucem, & lucem tenebras: errores exitiales veritatem salutarem, & ipsam veritatem censent errorem: præcipitium inferorum viam salutis vocant, & verum salutis iter mortis compendium: securos se putant vitæ beatæ, cùm certissima sit eorum damnatio, nisi perfidiam deponant: malum amplectuntur loco boni, & verum bonum instar mali detestantur. Deniquè eò magis insanabiles, quòd infinitâ quâdam vel superbiâ, vel vecordiâ sensum suum omnium seculorum præteritorum, & totius Ecclesiæ Catholicæ judicio anteponunt, tanquam ipsis solis sapere sit concessum, & Sancti Patres Doctoresquè prisci & neoterici sint fungi vel pepones. Ex magnitudine hujus mali, & periculis hujus ævi æstimanda est illius beneficii magnitudo, DEOquè infinitæ

infinitæ gratiæ agendæ. Neque solùm quòd ab infidelitate, sed etiam, quòd ab aliis innumeris peccatis præservati, in quæ nisì Divina Misericordia singulari cura & providentia nos prævenisset & custodisset, eramus prolapsuri. Nullum enim peccatum facit homo, quod non faceret alius homo, nisì eum custodiret, qui pro ipso factus est homo. Quid enim diabolus in nos, in tanta naturæ imbecillitate & pravitate non posset, nisì Divina bonitas nostri miserta nos protegeret, & suæ gratiæ auxilio corroboraret, & juvaret? Itaquè Divinæ misericordiæ assignanda non tantùm opera bona, quæ facimus, sed etiam effugia malorum quæ vitamus.

Quartum beneficium. Quòd à multis damnationis æternæ periculis erepti, & ad pœnitentiam & salutem reservati. Cogita quoties gehennam sis commeritus, quoties iram Divinam & cæleste fulmen in caput tuum accerseris; & tamen Dominum tibi pepercisse, vitamquè prorogâsse, & tempus concessisse pœnitentiæ, quod aliis innumeris, qui minora peccaverant, est negatum. Sunt enim innumerabiles æternis incendiis addicti qui tamen paucioribus quàm tu peccatis fuêre obnoxii. Quid Divinæ clementiæ, pro tanta rependes indulgentia? Toties enim ab inferorum faucibus liberâsse censeri debet, quoties te id merentem non præcipitavit, quoties tibi præ aliis infinitis te melioribus seu minùs malis pepercit, & culpas emendandi tempus concessit. Vide ergo nè illud Apostoli Ad Rom. 2. in te locum habeat: *An divitias bonitatis ejus* (DEI) *& potentiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas DEI ad poenitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam, & impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii DEI, qui reddet unicuiquè secundùm opera ejus.* Et illud Job 24. *Dedit ei DEUS locum poenitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam.* Quisquè cogitet quoties id à se factum, & Divinæ misericordiæ parcenti se obstrictum æternùm fateatur.

Quintum beneficium. Quòd in literis educatus, & insignem rerum Divinarum & salutarium notitiam adeptus. Hoc maximè pertinet ad Theologos: estquè sanè magnum DEI beneficium, quòd non ad artem aliquam sordidam ac infimam,

non ad militiæ ſæva & periculoſa exercitia, non ad vana, & ſaluti inutilia vel noxia ſtudia Divina Providentia mentem tuam inflexerit; ſed ad ſtudia nobilium diſciplinarum, ad animi cultum & ornatum, qui rebus corporalibus longè antecellit. Philoſophicæ enim diſciplinæ mentem rebus humanis celſiorem, & ad omnem virtutem aptiorem reddunt, gradumquè ad DEI cognitionem & amorem ſtruunt. Sed in his non ſtetit, ulteriùs te provexit, & ad Divinorum eloquiorum intelligentiam, ad ſuorum myſteriorum, & ſalutarium dogmatum ſcientiam perduxit; ut ea & diſtinctiùs conciperes, & clariùs cognoſceres, & firmiùs crederes, & fortiùs retineres, & efficaciùs ad omnis operis boni praxim apprehenderes; utquè jam non ſolùm crederes, ſed etiam quodammodo videres Religionis noſtræ veritatem, & eminentiam, tequè rectum & ſecurum ſalutis iter tenere. Nequè tibi ſoli ſaperes, ſed etiam in alios hanc lucem poſſes transfundere, & omnes hæreſeon errores illi adverſantes refutáre, & peſſundare. Hæc eſt vera illa ſapientia, omni auro & gemmis pretioſior, omnibus honoribus & ſceptris eminentior, cui nulla res hujus mundi valet comparari; contra quam cætera, quæ homines magni æſtimant, divitiæ, honores, voluptates carnis, in libella veritatis, & Divini judicii nullius ſunt ponderis aut momenti ſed mera vanitas, & ipſâ vanitate leviora. Magnum itaquè hoc eſt beneficium, paucioribus indultum, magni ſolatij, & fructûs eximij.

Sextum beneficium. Quod ad Sacerdotium novi teſtamenti evectus: hoc ad omnes Sacerdotes præcipuè pertinet. Nihil majus unquam ulli creaturæ in cælo aut in terra collatum. Quid enim majus eſſe poteſt? quàm poſſe peccata remittere, injurias DEI condonare, impios DEO reconciliare, animas ex faucibus inferni eripere, ex filiis iræ filios DEI creare, ſpiritum adoptionis infundere, jus cæleſtis regni amiſſum reſtituere? & quod his omnibus eſt admirabilius, Diviniſſimam illam hoſtiam conſecrare, Corpus & Sangvinem Chriſti (junctâ Animâ & unione Verbi) conficere, & ſui Conditoris, ut ita dixerim, eſſe conditorem & authorem, aliaquè ſtupenda, quæ huic myſterio implicata, patrare, & Divinum Numen humanis rebus

conciliare. Nihil sanè his admirabilius aut grandius animo concipi potest: non enim minùs est mirabilis aut difficilis peccati remissio, impii sanctificatio, hominis Deificatio, Corporis Christi consecratio, quàm cæli & terræ creatio, omnia enim infinitam virtutem & authoritatem requirunt. Hæc tamen Potestas non Patriarchis aut Prophetis, non Angelis aut Archangelis, non Cherubinis aut Seraphinis, nobilissimis purissimisque Spiritibus; non ipsi deniquè DEI Matri sanctissimæ concessa est, sed tibi indigno, terreno, luteo, peccatori, præ aliis innumeris te melioribus Divinâ miseratione indulta.

Septimum beneficium sit pro Religiosis. Quòd ad Religionem adductus, magnum est hoc & inæstimabile beneficium, quibus ea sors obtigit: est enim consilium Christi magni Doctoris nostri prioribus seculis absconditum, mundo quidem ignotum & paradoxum, sed sapientiæ & fructûs plenissimum. Magno solatiio est homini, si conscius sibi sit, quòd consilium DEI sit secutus.

§. 14tus.
DE PATIENTIA DEI, MANSUETUDINE, ET CLEMENTIA.

Ex Lessio de Perfectioni: Divinis lib. 12. c. 20.

SEquitur nunc ut aliquid de *Patientia, Mansuetudine, & Clementia* DEI dicamus: Hæ enim perfectiones vel in misericordia continentur, vel ei penitùs sunt annexæ. Quòd enim DEUS non statim ulciscatur injurias, sed patienter ferat, & expectet emendationem, est ex affectu misericordiæ. Ut autem meliùs explicentur, utendum exemplis humanis. Agimus de *Patientia*, non quæ in doloribus, sed quæ in perferendis injuriis versatur. Sicut igitur inter homines Rex quidam dicitur *patiens*, qui moderatò fert injurias, & continet se ab ultione, quàm facilè posset inferre: Ita DEUS patiens dicitur, quia injurias sibi ab hominibus irrogatas perfert ultione cohibitâ. Superat autem Divina patientia omnem humanam infinitis intervallis: nam &

injuriæ, quæ ipsi inferuntur, infinitè sunt majores, quàm quæ hominibus, & ipse omnes eas distinctissimè videt, cùm in ejus conspectu & præsentia fiant, & acerrimè sentit, & in promptu habet vindictam, & tamen se cohibet, perferens amaritudines, & absynthium peccatorum nostrorum. In conspectu ejus sunt ex una parte immensa beneficia, quæ in nos congessit, & stupenda facta, quæ pro nobis gessit; ex altera parte simul videt ingratitudinem nostram, & omnes injurias, quæ per universam terram in ipsum loco gratiarum actionis regeruntur, idololatriam, magiam, blasphemias, hæreses, perfidiam Judaicam, Mahometicam, Religionis sacræ eversiones, doctrinæ salutaris perversiones, sacrorum profanationes, mysteriorum irrisiones, servorum suorum persecutiones, perjuria, homicidia, adulteria, fœdas libidines, rapinas, furta, pauperum oppressiones, denique omnium mandatorum suorum & institutorum violationem & contemptum. Videt etiam Christianorum animos terrenis addictos, cælestium bonorum incurios, beneficiorum immemores, ingratos, elatos, rebelles, mundo & carni mancipatos, Divinorum præceptorum negligentes, ad pœnitentiam difficiles, ad omne opus bonum ignavos, & plurimos ex illis, omnibus vitiis & sceleribus coopertos, ipsisquè Ethnicis longè deteriores. Hæc omnia videt clarè, distinctè, & sapientiæ suæ libellâ trutinat injuriarum istarum pondus immensum, & quamvis doloris capax non sit, sentit tamen eas acerrimè imò infinitè, & ad vindictam provocatur. Cernit enim rei indignitatem, suamquè Majestatem, & infinitam beneficentiam à sua creatura vilipendi, cohibet tamen iram & manum, etsi mille fulminibus, & mille tartaris armatam. Nequè solùm abstinet à vindicta, sed etiam continuat pristina benefi ia, universam naturam, cælestem, & terrenam nostris commodis servire faciens, & ad pœnitentiam nos benignè expectans, & insuper excitans, monendo per prædicatores externos, per inspirationes internas, per Angelicum ministerium, per creaturarum speciem, per scripturæ lectionem, ostentatis prœmiis, intentatis suppliciis, propositis & exemplis, objectis terroribus, immissis infirmitatibus, & inflictis variis hujus vitæ flagellis, ut ad ipsum redeamus,

mus, & misericordiæ ipsius fruamur bonis. Quid hâc patientiâ admirabilius? Quis unquam Regum injurias sibi irrogatas vel à subditis, vel ab hostibus, cùm vindicandi potestas suppeteret, ita patienter sustinuit? Vix quenquam ab omni memoria antiquitatis reperias, qui post secundam vel tertiam condonationem, ad vindictam non prorumperet, non ampliùs ferens rei acerbitatem. Et quid, obsecro, sunt injuriæ in hominem ad injurias DEI? nimirum centum denarii vel potiùs minutum unum ad decem millia talentorum, calculus ad montem, gutta ad Oceanum. Quò enim Majestas læsi est major, eò injuria atrocior: talis est proportio inter injurias, qualis inter eos, qui injuriâ sunt affecti.

His adde patientiam illam quam in suscepta natura præstitit, dum servilem induit formam, & novem menses moratur in utero, dum nascitur in stabulo, dum circumciditur, dum quæsitus ad necem fugit in Ægyptum, dum latet usque ad annum trigesimum humili specie, plebeio habitu, conversatione vulgari, nihil magni præseferens, dum baptizatur à servo, dum iejunat, & tentatur ab hoste, dum rudes associat discipulos, dum recipit peccatores, & cum eis manducat, dum vicos & castella obiens docet populos, & sanat infirmos, dum fatigatur, dum famem, sitim, æstum, imbres perpetitur, dum crebris injuriis appetitur, dum conviciis & contumeliis afficitur, dum discipulorum lavat pedes, dum capitur, constringitur, cæditur, irridetur, despuitur, flagellatur, coronatur spinis, perforatur clavis, affigitur cruci, sociatur latronibus, & velut seductor, & Divinæ humanæquè Majestatis perduellis morte turpissimâ & acerbissimâ afficitur: & in his omnibus non contendit, non reclamavit, non contradixit, sed tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum, & insuper etiam pro suis tortoribus Patrem rogavit: qui in hominis figura latens, nihil de impatientia hominis mutuatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis: Patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Hæc est suprema omnis patientiæ forma: hâc nihil sublimius animo concipi potest. Quare velut perfectissimum exemplar, ad omnes vitæ hujus molestias æquanimiter tolerandas, nobis semper ob oculos versari debet.

Mansuetudo differt à *Patientia*, quæ in injuriis cernitur. Sicut enim patientiæ est in injuriis cohibere vindictam, ita mansuetudinis, reprimere iram, quæ est vindictæ appetitio. Atqui in DEO parum, vel nihil ira & vindicta differunt, unde quidquid de patientia dictum est, etiam ad mansuetudinem pertinet. Itaquè dicitur *DEUS mansuetus*, quia injuriis non facilè exasperatur in iram, non excandescit in furorem, sed pristinam animi dulcedinem & serenitatem retinens, fontes suæ benignitatis & beneficentiæ ob nostram ingratitudinem non obturat.

Clementia cernitur in ignoscendo, dum quis ex animi benignitate reo pœnas commeritas vel condonat, vel multùm imminuit. Itaquè est pars misericordiæ, vel potiùs ipsa misericordiæ virtus inadæquatè concepta, quatenus nimirum respicit miseriam, quæ ex pœnarum inflictu nascitur. Sicut igitur *Misericordia* DEI est infinita, ita etiam *Clementia*, quia malum quod ipsa relaxat immensum est.

Opera Clementiæ sunt, quotidianæ condonationes & castigationes, ut cùm vel æternas, vel temporales pœnas peccatoribus remittit; cùm varios morbos, pestem, famem, bellum, damna fortunarum, orbitatem, aliasquè calamitates & flagella immittit, ut à malo revocet. Sunt enim hæ correptiones leves & momentaneæ, tendentes ad emendationem, nè in sempiternam miseriam ruamus. Sicut cùm pater filium charissimum castigat virgâ, regni heredem, ut à malo absterreat, & dignum regno efficiat; non crudelis sed verè clemens dicendus est: sic medicus amaras potiones exhibet, ut graviores morbos vel depellat, vel præcaveat. Magnæ clementiæ est, ingens malum commutare in exiguum, pœnam ignis in ictum virgæ, vel mulctam unius nummi. Commeriti sumus peccatis nostris æternam mortem; DEUS misertus nostri commutat hanc pœnam in temporalem, loco illius inferens morbum, paupertatem, aut similem calamitatem, quæ nullam cum æterna illa habet proportionem. Per hanc simul & clementer peccata præterita, punit ut illorum amaritudinem nonnihil gustemus, & incitat ad pœnitudinem, dum ejus manum sentimus, & absterret à malo in futurum, dum timemus nè similia nobis obveniant. Est enim ista correptio & clemens mali præteriti vindicta, & præsentis

medicina, & futuri præcautio. Quanta igitur in istis flagellis clementia! quanta benignitas & suavitas affectûs Divini! Quid enim sunt omnes hujus vitæ afflictiones ad ea, quæ commeriti sumus? ad tot gehennas & incendia peccatis nostris debita? Et tamen clementiâ Domini per illas leves & breves molestias omnes inferorum pœnas, & æternitatem illam redimimus, & curamus à peccatis, & ad gloriam cælestem præparamus. Ut enim ait Apostolus 2. Cor. 4. *Momentaneum & leve tribulationis hujus, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ex quibus constat, quanta sit tribulationis utilitas, unde, etiam passim in scripturis tantopere commendatur, quæ brevitatis causâ præbermitto, illud tantùm monens cum Salomone Prov 3. Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias, nec deficias, cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi Pater in filio complacet *sibi*. Quasi dicat, affectu planè paterno id facit, ut illum ab æterno interitu vindicet, & dignum hereditate cælesti reddat. Itaquè cum gaudio & gratiarum actione disciplina Domini excipienda.

Actus & Affectus ex Blasio Thesau. indef. Palma.

I. *Misericordissime Domine, tu illa immensa misericordia es, quæ excedit infinitè omnem miseriam & malitiam nostram.* I. *enim eduxisti me ex nihili tenebris, & dedisti mihi vitam, & nobilem naturam, factam ad imaginem tuam, & maximis ornamentis repletam intelligentiæ, judicii rationalis, memoriæ, voluntatis.* 2. *à stata naturæ elevasti me ad statum gratiæ, faciendo me filium tuum.* 3. *primis duobus statibus alium nobilissimum adjunxisti, nimirum statum gloriæ: nam multò perfectiora & excellentiora sunt dona gloriæ quàm gratiæ. Ad hunc gradum immensa tua bonitas, & misericordia me destinavit. Quare, o anima mea, si obtinuisti secundum gradum, satage, ut evadas etiam ad hunc tertium: præsertim, quia habes tot adminicula, ad consequendam tam magnam felicitatem: ut sunt sanctissima Sacramenta, relicta, & acquisita nobis à Christo IESU, Domino nostro: qui nobis etiam, pro complemento beneficiorum reliquit Sanctissimum Sacramentum sui pretiosi corporis & sangvinis.*

II. *Ah Domine! illumina cor meum, ut possim cognoscere immensam tuam misericordiam, cognitamquè magni faciam, & habeam semper ante oculos, pro regula: donec exeam ex hac misera vita: & ut anima mea obstricta tantâ benevolentiâ, & tam exquisitis beneficiis, correspondeat toto corde te amando, se dedicando, & obstringendo se sancto tuo servitio.*

Tibi serviam, DEUS meus, totâ vitâ meâ: nihil aliud cogitem, quàm facere, quod sit ad gloriam tuam, & ad eandem tanquam ad scopum misericordissimum, omnes meæ actiones, vires, ac talenta dirigantur. Aliud vires meæ non intendant, spectent, quærant, quàm facere sanctam tuam voluntatem: & ut saltèm aliqua in re correspondeam infinito tuo amori, quo me semper prosecutus fuisti, & nè tam magno benefactori non sim omninò ingratus.

III. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: Qui sanat omnes infirmitates tuas: Qui redimit de interitu vitam tuam: Qui coronat te in misericordiâ & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum, & sic renovabitur, ut aquilæ, juventus tua.*

Benedicite mecum simul Domino, omnes Angeli & Archangeli: & vos omnes Angeli, Principatus, & Potestates, omnes Virtutes, & Dominationes, omnes Throni, Cherubini, & Seraphini: benedicite, inquam, & laudate, & iterum sine fine laudate communem Dominum nostrum: quia fecit nobiscum non secundùm iniquitates nostras, sed secundùm magnam suam Paternam Misericordiam. Laudate illam Cæli, Terra, Mare, & omnia quæ in eis sunt: laudent & superexaltent eum in secula. Detur ergo DEO gloria ab omni creatura benedicat et gratias agat Domino omnis creatura in omni loco Dominationis ejus: & hoc fiat in secula seculorum Amen.

§. 15tus.

DE JUSTITIA DEI.

Ex *Lessio de Divin. perfect. lib. 13. c. 1. & 2.*

PRimò. Justitia quâ DEUS creaturis vult singulis conferre quod eis secundùm naturam congruit, idquè adexactam æqualita-

qualitatem est perfectissima in DEO. Qualem justitiam S. Dionysius lib. de Divin. Nomin. Cap. 8. DEO tribuit. Sed ejusmodi Justitia ita impropriè vocatur.

2dò. Justitia Legalis seu Generalis quomodò in DEO sit, priùs videndum quid in se sit. Igitur Justitia hæc, importat *debitum* ratione obligationis legis, quomodò in natura rationali debita est conformitas tum affectûs tum operis cum lege æterna. Itaq; secundo modo *Justitia* vocatur voluntas, quæ hanc conformitatem vult, & procurat, & per eam legi satisfacit. Unde hujus justitiæ opus est omnis actus virtutis, quatenus est conformis legi. Hoc modo *Justitia* passim accipitur in S. Scriptura, & ab ea homines dicuntur justi, quia conformes affectu legi æternæ, & præstant opere, quod illi legi debent. Utrum autem *Justitia* sic accepta distinguatur in nobis à charitate, & obedientia, & à virtutum collectione dubitari potest: nam in ista tria rectè hoc nomen competit, virtutum enim collectio reddit hominem, ejusquè affectus & actiones legi conformes, similiter obedientia & charitas, sed ex diverso motivo: nam charitas excellentiori modo id præstat, nimirum quia id DEO gratum est: obedientia, quia id debitum præcepto superioris: cæteræ virtues ob propriam honestatem, quæ pro diversitate diversa se offert. Ex triplici itaquè motivo potest hæc conformitas operum cum Divina lege procedere, charitatis, obedientiæ, & virtutum particularium. His addi potest motivum quartum, nempe quia debitum legi, non ut lex connotat obligationem impositam à superiore, sed ut dicit regulam rectè imperandi, & dictamen rectæ rationis: voluntas enim & omnes actiones ab ipsa dependentes, debent rectæ rationis judicio & sententiæ conformari. Ille itaquè affectus, quo hæc conformitas in omnibus motibus, & actibus liberis appetitur & procuratur, quædam justitia est, quæ tamen ab affectu generali honesti non videtur distingui.

Etiam juxta hunc secundum modum *Justitia* est perfectissimè in DEO; nam voluntas Divina ab intrinseco, & ex sua essentia est perfectissimè & completissimè conformis legi æternæ, ac proinde justa ac recta; imò est ipsa justitia & rectitudo

tudo per se subsistens, omnis justitiæ ac rectitudinis regula. Etsi enim voluntas Divina nostro modo concipiendi dirigatur à lege æterna, non tamen id ita accipiendum, quasi per se sit indifferens & informis, sicut omnis voluntas creata per se informis est, justitiæ & injustitiæ capax; Sed id fit propter essentialem ordinem istarum potentiarum, & actuum earum, ratione cujus voluntas essentialiter supponit intellectum, & actus voluntatis actum intellectus: quia non potest concipi voluntas exire in actum, nisi proposito per intellectum obiecto, in quod tendat. Unde necessè est idem concipi in DEO, quatenus istæ potentiæ inter se, & actus earum inter se ratione distinguuntur. Itaquè lex æterna dicitur dirigere voluntatem, quatenus vel proponit rectitudinem, in quam voluntas feratur, vel est ipsa rectitudo obiectiva mente concepta, & voluntati ostensa, quod ego verius existimo: quia lex non est actus intellectûs, sed obiectum & regula quædam practica intellectu concepta, & voluntati proposita, ut patet in omnibus legibus & regulis humanis. Unde cùm lex dicitur esse *Dictamen rationis rectæ*; per *Dictamen*, non est intelligendus actus intellectûs, vel judicium rationis, sed objectum seu regula practica, ratione concepta vel judicata, ac probata.

Simili modo dicimus Prudentiam dirigere cæteras virtutes, cùm tamen ipsæ per se rectæ sint, nec possint in ullum actum pravum exire. Porrò sicut voluntas creata, cùm non sit recta nec conformis legi æternæ, aut rationi rectæ, per essentiam suam, efficitur recta in actu primo per habitum virtutis superadditum, & in actu secundo per operationem illius habitûs, dum illo utitur: Ita voluntas Divina considerata, ut in actu primo, per essentiam suam est recta, & adæquatè conformis legi æternæ in actu primo, tanquam suprema & universalis virtus per se subsistens, & considerata in actu secundo, per eandem suam essentiam est recta & conformis legi æternæ in actu secundo, qui nihil est aliud, quàm complacentia & amor rectitudinis lege æternâ contentæ, & per intellectum propositæ. Actus enim primus & secundus hìc non distinguuntur ex parte rei distinctione actuali, sed solùm virtute. Nam, est una eademquè simplicissima rectitudo formalis, duplicem

vim habens, nimirum actus primi, quatenus præstat in DEO (semotis imperfectionibus) quod habitus virtutum in voluntate creata; actûs secundi, ut præstat in ipso, quod virtutum operatio in creatis. Simili modo intellectus Divinus per se consideratus ut in actu primo, est ipsa sapientia in actu primo, ac proinde incapax omnis erroris, & omnis ignorantiæ, quia ipsa sapientia, non potest esse errori vel ignorationi obnoxia. Ratione vero actûs sui est sapientia in actu secundo, omne verum & intelligibile penetrans, comprehendens, & ambiens. Hic tamen actus secundus, non distinguitur in DEO ab actu primo, nisi ratione, & virtuali discrimine. Omnis itaquè, Justitia hujusmodi, & rectitudo sive obiectiva, sive formalis, est in essentia Divina tanquam in fundamento, & prima radice omnis veri & boni, omnis legis ac regulæ, & virtutis omnis: in intellectu obiectivè tanquam in proponente, & consequenter tanquam in regula & mensura, quatenus mediante ipsius actu regula rectitudinis concipitur & proponitur; in voluntate formaliter ut virtus & justitia universalis, tum in actu primo, tum in actu secundo. Commendatur hæc justitia DEI in S. Scriptura omnibus illis locis, quibus laudatur eius sanctitas & rectitudo; quia reverà nihil est aliud quàm sanctitas omnem virtutem & bonitatem formaliter ac eminenter complectens.

3*tiò* Quod ad Justitiam Commutativam & Distributivam, si nomen Justitiæ accipiatur strictè, ut significat virtutem, quæ supponit obligationem ad alterum, qui perfectè alter est, hoc est, qui est sui juris, ita ut non sit veluti pars aut possessio eius qui dicitur obligati, sic non est propriè Justitia in DEO. Quia omne jus, quod creaturæ potest competere in aliquem, est in dominio DEI, & quidem magis perfectè, quàm in dominio creaturæ; ac proinde ratione hujus juris non potest DEUS censeri strictè obligatus creaturæ tanquam alteri, sed potiùs est obligatus sibi suæquè ordinationi & promissioni, quàm ulli alteri ut S. Thomas generatim affirmat 1. p. q. 21. a. 1. ad 3. & 1. 2. q 114. a. 1. Deinde non solùm omne jus creaturæ est in domini DEI, sed etiam ipsa creatura secundùm se totam.

Si verò hoc nomen *Justitia* sumatur paulò latiùs, ut passim ac-

sim accipitur in Scriptura (quæ acceptio etiam & satis propria est, & vulgò usitata) sic ponenda est Justitia in DEO, & quidem perfectissimè: vulgò enim justitia dicitur, cùm operi congrua merces integrè redditur, sive is qui reddit sit obstrictus nexu justitiæ, sive solius fidelitatis: & sive is, cui redditur, sit sui Juris, sive in potestate reddentis: non enim in usu istius nominis vulgò tam spectatur vis obligationis, quàm æqualitas & congruentia rerum, quam justitia efficit. Sic DEUS dicitur *Justus Judex*, quia mercedem statutam integrè solvit tum in bonis, tum in malis Sic Apostolus ad Hæbreos 6. ait: *Non enim injustus DEUS, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis & ministratis.* Insinuans fore *injustum*, si non remuneraret. Loquitur autem de operibus, non per peccatum mortificatis, & rursus per pœnitentiam vivificatis, ut quidam volunt (nulla enim vel umbra esset injuriæ, etsi horum oblvisceretur) sed de iis, quæ nunquam fuêre mortificata, ut colligitur ex Concil. Trident. Sess. 6. c. 16 Hæc enim tenetur remunerare ratione suæ promissionis, sicut Dominus si servo promisit mercedem aliquam pro opere aliàs debito, tenetur illam solvere, non obligatione strictæ justitiæ, sed promissionis & fidelitatis. Verùm, cùm duplex sit promissio; alia merè gratuita, alia remuneratoria, nimirum quæ sit sub conditione operis, illa obligatio, quæ ex promissione remuneratoria præstito opere nascitur, major est, & obligationi strictæ Justitiæ similior, quàm illa, quæ oritur ex promissione merè liberali; nullum opus requirente. Unde jus illud, quod justi per bona opera habent ad regnum, est majus, quàm id, quod ex merè liberali promissione nascitur: & consequenter obligatio, quæ est in DEO ad remunerandum, major est quàm obligatio omnino gratuitæ promissionis, minor tamen quàm strictæ Justitiæ, sed medio quodam modo se habet. Hinc fit ut in DEO sit quædam Justitiæ ratio medio modo se habens inter strictam justitiam, & fidelitatem gratuitæ promissionis, quà reddit cuiquè quod operibus cujusquè ex ipsius promissione est debitum. Talis enim Justitia nullam imperfectionem includit, cùm non supponat ullam obligationem strictam ad alterum, qui sit sui Juris, & continet

omnem perfectionem, quæ in Justitia stricta reperitur. Nam omnis perfectio justitiæ in eo sita est, quòd cuiquè integrè tribuat id, quod ei aliquo modo debitum est. Non enim perfectio iustitiæ pendet ex perfectione debiti, vel obligationis cui satisfit, sed ex perfectione æqualitatis quam inducit, dum omnibus quidquid aliquâ ratione debitum est, etsi minimâ, ad exactam æqualitatem tribuit. Confirmatur ex Dionysio de Divinis nominibus cap. 8. ubi sic ait: *Justitia DEI celebratur, ut omnibus ea, quæ meritis cujusquè conveniunt, distribuens, & congruentem mensuram, & pulchritudinem, & ordinem, & dispositionem, omnesquè distributiones & classes, juxta eam, quæ verè est justissimam definitionem cuiquè determinas, & omnibus propriæ cujusquè operationis author existens. Cuncta enim Divina justitia ordinat, & suis terminis circumscribit, & omnia ab omnibus mera & impermixta custodiens, omnibus rebus, quæ cuiquè pro sua dignitate, congruunt, largitur.* Quibus verbis generalem illam justitiæ rationem ad omnia creata se extendentem, & cuiquè congruentia exactissimè & cumulatissimè tribuentem describit, qui omnem justitiæ modum, ac formam complectitur, quatenus enim constituit æqualitatem inter præmium & meritum, tribuens cuiquè præmium meritis ipsius congruens, eatenus habet formam justitiæ commutativæ: ut verò constituit æqualitatem inter proportionem præmiorum & proportionem meritorum, efficiendo, ut ea sit proportio, inter præmia, quæ est inter merita (hoc enim ad pulchritudinem illius regni pertinet, estquè etiam per se à DEO intentum) habet formam justitiæ distributivæ. Eandem formam servat, si spectetur quatenus singulis naturis rerum distribuit ornamenta, & qualitates, pro ut cuiquè congruit. Deniquè quatenus condignis pœnis vindicat peccata, est justitia vindex. Conveniunt autem hæ tres formæ, quòd per eas tribuantur singulis ea, quæ cuiquè pro suo modo sunt congrua & debita. Hâc itaquè ratione hæ tres formæ sunt in DEO perfectissimæ. Verùm quia potissimùm hìc agitur de justitia vindice, quo modo ea DEO conveniat, paulò fusiùs explicandum.

§ 16tus.

§ 16tus.

DE JUSTITIA VINDICATIVA.

Ex Lessio de perfect. Divin. lib. 13. c. 3.

JUstitiam Vindicativam propriè esse in DEO, ex eo colligitur quòd nullam imperfectionem in suo conceptu involvat, aut supponat, sicut justitia commutativa aut distributiva strictè accepta; non enim requirit strictam obligationem in vindicante cui satisfaciat, ut patet in Repub. libera, & in Principe supremo, qui potest pœnam condonare. Quòd si aliquando talis obligatio reperiatur (ut in judicibus inferioribus, & gubernatoribus) hæc provenit ex peculiari contractu, vel obligatione erga Rempub. vel eos, quibus jus dicere tenentur; estquè planè extrinseca huic virtuti. nequè in DEO locum habere potest, cùm ipse officium (ut ita dixerim) gubernandi mundi non à mundo, sed à se habeat. Itaquè nequè reo, nequè mundo obstrictus est nexu justitiæ ad peccata plectenda, sed solùm sibi ipsi, quia decet valde ipsius justitiam, & sanctitatem, & quia ita statuit ad suam gloriam, & bonum universi.

Quòd etiam in DEO hæc virtus excellentissima sit. Quia crebrò in S. scriptura sicut DEI misericordia, ita etiam justitia, ac severitas nobis proponitur & commendatur, & variis modis describitur, ut eam benè apprehendamus, eâquè perterriti, à peccatis avocemur. Psal 75. *Vovete & reddite Domi- „ no DEO vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera. Terribili „ & ei, qui aufert spiritum Principum, terribili apud omnes reges ter- „ ræ.* Et Psal. 96. Nubes & caligo in circuitu ejus, justitia & „ judicium correctio sedis ejus. Ignis ante ipsum præcedet, „ & inflammabit in circuitu inimicos ejus Illuxerunt fulgura ejus, „ orbi terræ, vidit, & commota est terra. Montes sicut cera fluxe- „ runt à facie Domini, â facie Domini omnis terra. Annunciaverunt „ cæli justitiam, ejus & viderunt omnes populi gloriam ejus &c. „ Matth. 12. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otio „ sum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo „ in die judicii. Deniquè sæpissimè ingeminatur nobis in „ scriptura, *redditurum Dominum unicuiquè secundùm opera ipsius.* „

Deinde quia providentia Divina, & mundi gubernatio constat operibus misericordiæ, & justitiæ vindicativæ: quidquid enim DEUS facit circa creaturas, vel est opus misericordiæ & benignitatis erga hominem, vel justitiæ peccatorum vindicis. Et hoc modo intelligi potest illud Psalm. 34. *Omnes viæ Domini misericordia & veritas.* Itaquè justitia vindex occupat dimidiam, ut ita dixerim, providentiæ & gubernationis Divinæ partem.

Deniquè ipsa est causa omnium ferè bonorum operum, quæ fiunt in mundo, & salutis electorum. Si enim non esset vindicta peccatorum, pauci admodum præstarent se dignos cælo, pauci virtutem colerent, sed propè omnes in cœno vitiorum volutarentur. Perinde enim est vindictam non esse, & Providentiam vel Numen non esse: at hoc inducere in animum est fons infinitorum malorum, ut Psalm. 13. insinuatur: *Dixit insipiens in corde suo, non est DEUS*, non est peccatorum vindex: quid hinc secutum? *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usquè ad unum.*

Verùm, quia utilissima est Divinæ justitiæ consideratio (cùm per hanc maximè à peccatis absterreamur, & ad bonorum operum studium, ac tolerantiam malorum hujus vitæ præstandam impellamur) aliqua præcipuorum operum vindicis Justitiæ DEI hìc insinuabimus, aliqua alibi jam sunt ostensa.

Punctum I.

De Divina Justitia in malorum Angelorum condemnatione.

Ex Lessio supra citato cap. 4.

Sicut magnitudo Divinæ Misericordiæ ex operibus cognoscenda est; ita etiam magnitudo severitatis & Justitiæ vindicis. Causa enim invisibilis, & abdita in DEO, non potest à nobis meliùs, quàm ex effectis & operibus cognosci, nec virtus, quàm ex suis functionibus. Porrò opera Divinæ justitiæ in particulari sunt innumera, potiora tamen hìc insinuabimus.

Primum sit strages Angelica, cùm tot Angelorum myriades ob unum peccatum cælo dejecit, & Divinâ hereditate

ſpoliatos in tartarum deturbavit, æternis ſuppliciis cruciandos. Ubi conſidera DEUM nullam rationem habuiſſe nec multitudinis eorum innumeræ, nec pulchritudinis eximiæ, quâ cæteris omnibus creatis antecellebant, nec excellentiæ naturæ quæ Divinitatis erat imago ſimillima, nec magnitudinis ingenii quo omnes rerum naturas penetrabant & comprehendebant, nec totius illius boni, quod ex ſalute eorum proveniſſet, non viſionis beatæ, quâ ipſe ſemper in mentibus eorum reſplenduiſſet, non amoris quo ipſum ſuper omnia amâſſent, ac omne bonum illi voviſſent, & æternùm fuiſſent gratulati, non laudis & hymnorum, non gratiarum actionis, quibus in omnem æternitatem illum celebrâſſent; non ſuæ gloriæ, quam ipſe ex tot beatis ſpiritibus in ſempiternum erat percepturus. Pari modo non curavit mala, quæ ex eorum damnatione ſciebat obventura, nimirum æternas in Divinitatem blaſphemias & contumelias, pertinacem gloriæ Divinæ oppugnationem, humani generis lapſum, & totius mundi perverſionem, quam ipſi furore tanti ſupplicii perciti, erant invecturi. Hæc omnia nihili fecit, tanta bona contentus perdere, & tantis malis locum dare, ut eorum peccatum vindicaret. Poterat omnia iſta mala præcavere, & omnia ſupradicta bona ſalvare, ſi vel unius horulæ ſpatium ad pœnitentiam illis conceſſiſſet. Nemo enim ex illis fuiſſet, quem non ſtatim pœnituiſſet facti, omnes ſubitò minùs conſideratum affectum fuiſſent deteſtati; quanto putas cum dolore? quàm acri & incenſâ contra ſe ipſos irâ? quantâ humilitate petiiſſent veniam, & ſuam in DEUM accuſaſſent ingratitudinem? quanto in ipſum fervore animi fuiſſent converſi? ſed tam vehemens, & velox ira DEI fuit, ut nè momentum quidem illis conceſſerit: ſed in ipſo flagranti delicto, nihil tale ſuſpicantes, ſententiâ damnationis veluti fulmine ictos, cælo præcipitavit, & æternis inferorum pœnis ſine ulla ſpe remiſſionis addixit. O incomprehenſibilem Divinæ juſtitiæ ſeveritatem! O ſententiam terribilem, & intolerabilem! O infelices ſpiritus! quid vobis in mentem venit ita ſalutem veſtram prodigere? quid magnæ illi luci, quâ præditi eratis, obſtitit, quò minùs attenderetis ad damna tanta & tormenta peccantibus

bus impendentia ? nimirum intenti nimiùm pulchritudini vestræ à DEO recèns acceptæ, & illius cæco amore capti, in superbiam elati estis, bonisquè vestris tanquam à vobis ea haberetis, flagitiosè intumuistis, obliti Conditoris vestri. Quis ista perpendens non exhorrescat, & cum timore saluti suæ non invigilet ? Si enim *qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis*
Job. 4. *suis reperit pravitatem; quantò magìs hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum à tinea peccati*, quæ ex concupiscentia nascitur, *consumentur*, & æterni ignis fient pabulum, nisì misericordiâ DEI adjuti, omni studio peccatis restiterint ? Si Angelis suis, regni sui Principibus, semel duntaxat peccanti-
2. Petri. 2. bus non pepercit, *sed inferni* rudentibus detractos in tartarum tradidit cruciandos; quid fiet hominibus vilissimis, & ingratissimis, post infinita beneficia, tot peccata perpetrantibus, nisì seriâ, & celeri pœnitentiâ, vitæquè correctione iram impendentem averterint ?

Punctum II.

De primorum Parentum, & totius humani Generis culpa vindicata.

Ex citato Lessio cap. 5.

SEcundum opus Justitiæ vindicis fuit punitio peccati Adami, quæ etiam admodum terribilis fuit, & multiplex. Nam primò, ipse cum tota sua posteritate spoliatus fuit gratiâ Divinâ, ac jure regni cælestis, immortalitate, paradiso, & totâ felicitate illius statûs. Ecce quantis bonis, & huius vitæ & futuræ, quàm innumerabiles homines ob unius delictum spoliantur ? Si ob crimen perduellionis Princeps virum nobilem, & omnem ejus posteritatem privaret suo favore & nobilitate, & omnibus dignitatibus, honoribus, officiis, & opibus illi collatis, mitteretquè in exilium miserabile, egestate & multis calamitatibus conficiendos, omnesquè indignos suâ gratiâ inposterum censeri vellet; gravis admodùm pœna videretur. At tantò est major pœna peccati Adami, quantò meliora sunt bona, quibus privat, & pejora mala, quibus objicit, & plures numero, quos perstringit

ſtringit, quantoquè pejus eſt ad cæleſtia & æterna, quàm ad temporalia & terrena indignum ac inhabilem eſſe. Ex hoc tamen exemplo æqualitas hujus pœnæ utcunquè colligi poteſt.

Secundò evertit totum illum providentiæ ordinem, & gubernandi rationem, quam ex ſe conſtituerat, & mundo præparaverat: longè enim alia, quàm ſit modò, fuiſſet rerum gubernatio, ſi peccatum non extitiſſet. Omnia ſic adminiſtrata fuiſſent, ut homini nihil officeret, nihil moleſtiam aut mœrorem adferret, nihil ad peccandum ſolicitaret; ſed omnia illi & oblectationem & obſequium præbuiſſent, & ad ſalutem fuiſſent auxilio. Non illum frigus afflixiſſet, aut æſtus, non fames, aut ſitis, non paupertas & nuditas, non morbus & infirmitas, non ſenectus & mortis neceſſitas, non paſſionum turbidi motus, non carnis adverſus ſpiritum rebellio, non ignorantia & mentis ſtupor, non propenſio ad malum, & languor ad bonum, non mille hujus vitæ ſolicitudines, & dolores, non fuiſſent illi creaturæ in laqueum & muſcipulam, in ruinam & damnationem. Omnia hæc incommoda per ſuavisſimam illam providentiæ rationem, quam DEUS tunc præparaverat, impedirentur. Sed propter peccatum DEUS hanc providentiam ſuſtulit, & res ſuis motibus ferri, & in hominem undiquè interiùs & exteriùs ſævire permiſit, nullâ ratione malorum habitâ, quæ inde erant homini obventura. Quare iſto providentiæ repagulo ſubducto, omnia illa mala, tanquam agmine facto, in genus humanum unà cum mortalitate irruerunt. Sicut ſi princeps qui ſingulari curâ regnum in pace & omni felicitate conſervabat, ob ſcelus Præfecti, illam curam deponeret, tutamen regni auferret, & frœnum quo continebantur hoſtes omnes qui regno nocituri erant, laxaret, permitens illud incendiis, cædibus, & inteſtinis cladibus concidere, & ad extremam devolvi miſeriam. Indicat hoc ſcriptura Sapientiæ 1. docens omnia à DEO condita eſſe ſalutaria, nec nocitura fuiſſe homini, niſi peccato ſuo id commeruiſſet.

Tertiò permiſit DEUS ob hoc peccatum totum ferè genus humanum tyrannidi diaboli. Antea nihil ille in mundo habebat juris, nemini poterat nocere, nec unquam potuiſſet, ſi innocentia perſtitiſſet, nec homines illum, ut modò fa-

ciunt, metuissent, sed instar canis, vel serpentis contempsissent & abegissent. Sed postquam primi Parentes nostri à DEO recesserunt, & diaboli suggestioni potiùs quàm Divino mandato morem gesserunt, magna ei potestas permissa est, quâ sensim totam pœnè posteritatem in suam servitutem pertraxit. Unde factum, ut toto ferè orbe per aliquot annorum millia, tanquam Princeps mundi, & DEUS hujus seculi habitus sit & cultus, & etiamnum multis locis colatur. Justum enim est, ut à quo quis victus est, eius servituti subiici sinatur, nec meliorem sortem tandem consequatur, quàm is, cui se subiecit. Ingens sanè hæc erat pœna tam immani tyrannide premi, quâ & in omne genus vitiorum pro ipsius arbitrio impellebantur, & in eandem simul trahebantur cum ipso damnationem. Magnum esset supplicium, si Princeps ob unius culpam regnum permitteret vastari à latronibus, eorumquè servituti subiici. Sed adhuc majus & acerbius, si simul statueret, ut illi qui latroni servivissent, simul cum latrone paribus tormentis consumerentur. Simile cogita in DEO, qui ita mundum diaboli permisit tyrannidi, ut eos qui ipsi morem gerunt, unà cum ipso æternis incendiis addici velit.

Quartò, permisit infinitam hominum multitudinem ruere in æternum exitium. Etsi enim esset præscius tanti mali secuturi, si justitiam originalem & providentiam illam primam subtraheret, nihilominus non curavit, quasi in vindicando illo peccato tantam cladem parvi fecerit. Sicut cùm Princeps alicujus potentis inobedientiam vindicaturus, nihil de pœna vult remittere, etiamsi videat inde totius regni secuturam vastitatem, & maximam partem internecione delendam.

Ex his utcunquè intelligi potest, quanta & quàm inæstimabilis fuerit justitiæ Divinæ severitas in primorum Parentum peccato vindicando.

Punctum III.

De variis Cladibus Mundi, vel Partium eius.

TRemendum opus Justitiæ Divinæ fuit cataclysmus generalis, quo totus mundus in florentissimo statu & multitudine ho-

ne hominum nimia positus (exceptis octo hominibus) deletus, & omnes hominum labores, opesquè eversæ.

Sodoma & Gomorrha, cum omni circa regione ad septuaginta duo milliaria in longum, & novemdecim in latum (quod ex Josepho & aliis autoribus colligitur) sulphure & igne de cælo in momento subversæ, quantum severitatis Divinæ opus!

Core, Dathan, & Abiron vivi absorpti in terram cum tabernaculis suis: & ignis toties delapsus cælo in rebelles Israëlitas, plures eorum incinerans, quid nisi pavendæ vindictæ DEI insignia?

Verùm omissis aliis extraordinariis Divinæ justitiæ castigationibus, videre eius specimen potes in ordinariis pœnis, tum corporalibus, tum spiritualibus: de quibus jam actum suis locis. *v. supra de oppositis Beatitudinis tra. 1.*

Actus & Affectus Anagogici.

Ex Blasio Palma thesau. indeficient.

I. N*Ullus Domine, dignè potest exprimere magnitudinem, & multitudinem suppliciorum, quæ peccatoribus præparâsti, & assignâsti olim perferenda per omnipotentiam tuam. Sicut misericordia tua est infinita, ita infinita est justitia tua; quæ infinitis modis non solùm in futuro seculo, sed etiam in isto, quod proprium est misericordiæ, contra peccatores manifestatur: ut omnes discant te timere, & qui benignitate tuâ non moventur, saltem tuâ severitate moveantur, quæ non sinet malum ullum impunitum, nequè bonum irremuneratum abire: quia apud te non est acceptio personarum, cùm sis justissimus Judex.*

II. *Delectat me, Domine, placetquè mihi hæc tua justitia, quâ vel tantillum possem te privare, nè posses punire peccata mea, non facerem: imò protestor, si malitiâ meâ, duritiâ, & obstinatione nollem venire ad poenitentiam; atquè adeò si induratus, impoenitens, desperatus mori vellem, (quod utinam, Domine, nunquam, in æternum, permittas) hâc horâ protestor, & volo, ut justitia tua locum habeat, mittatquè me ad æterna supplicia: ut quia voluntariâ, & salutiferâ poenitentiâ nolui glorificare misericordiam tuam, saltèm in tormentis glorificem justitiam tuam.*

III. *Sed, O mi dulcissime Domine! dum ago hanc vitam, possum per gratiam tuam provocare à Tribunali Justitiæ tuæ, ad Tribunal Misericordiæ tuæ: & ideo hâc horâ, pro semper magnâ fiduciâ, toto corde, totâ animâ, totis viribus misericordiam tuam appello, teque obsecro per JESUM Christum Filium tuum, velis mihi ignoscere, ne subeam tribunal justitiæ tuæ. Sanctè promitto, inposterum cum Divino tuo auxilio, emendare vitam meam, & vivere, ut decet servum bonum, ut per veram poenitentiam, suaviùs & dulciùs tua misericordia glorificetur. Amen.*

CAPUT II.

De Ultimo Hominis Fine *Cuius* respectu DEI.

HOminis Ultimus Finis *Cujus*, quem ultimo Fini *Cui* nempe DEO T. O. M. intendere debet, est *Gloria DEI*. Porrò Gloria DEI alia est Interna, alia Externa. *Interna* secundùm *Lessium* rursus duplex est; Obiectiva, & Formalis. Obiectiva gloria DEI intrinseca, est ipsa Divinitas seu splendor & excellentia Divinitatis, & Personarum Divinarum: ob hanc enim dignissimus est, qui ab omnibus cognoscatur, ametur, laudetur &c. Sic passim in Scripturis excellentia Divinitatis, & omnia hujus excellentiæ signa dicuntur Gloria DEI. *Formalis* gloria DEO intrinseca, est cognitio, amor, & gaudium DEI de se ipso: sive quòd ipse à seipso infinitè, & adæquatè cognoscatur, ametur, & cum infinito gaudio, ac suavitate gustetur. Infinitè enim major est gloria DEI, quòd ipsius bonitas, & perfectio à se cognoscatur, æstimetur, quàm si amaretur & laudaretur ab infinitis Angelis & hominibus. In istis duobus sita est gloria DEI intrinseca, quam ipse ab æterno plenissimè possedit. *Hæc Lessius.* Circa hanc gloriam DEI, quomodò humana intentio versari debet, infra ostenditur in praxi. *Externa Gloria DEI* seu ab extrinseco DEO proveniens, itidem bifariam dividitur in Obiectivam, & Formalem. Obiectiva consistit, in bonitate, excellentia omnium creaturarum naturali, & potissimùm

Lessius de perfect. Divin. lib. 14. c. 1.

mûm supernaturali creaturæ rationalis quòd gratiam & gloriam, ejusquè actus, scilicet cognitionis, vel visionis DEI, amoris gaudii, laudisquè Divinæ. De hac gloria accipe clariùs *Lessium*: & primò quomodò natura ratione carens, ad gloriam DEI ordinatur. Notandum est, *inquit* ille, DEUM ita esse finem ultimum naturæ rationalis, ut etiam sit eius finis proximus, cùm non sit aliquid infra DEUM, ad cujus gloriam vel commodum ipsa possit ordinari. Unde solus DEUS est finis immediatus, ad cujus solius gloriam ipsa est condita. Verùm naturæ irrationalis, DEUS ita est finis ultimus, ut ipsa etiam alium finem habeat, ad quem proximè natura sua destinetur, nempe naturam humanam, ad cujus obsequium mundus iste corporeus, cum omnibus corporalibus, quæ ipso continentur, conditus est. *Et infra.* Porrò duplex obsequium homini mundus præstat, quo illum ad finem suum juvat. Primò, præbet ei habitationem, & omnia quæ ad vitam corporis sunt opportuna: 2dò, quòd veluti præco ingerit homini notitiam sui Conditoris, declarando illius potentiam, sapientiam, bonitatem, & cæteras Divinas perfectiones. *Et paulo post.* Ob hanc causam non solùm ea, quæ corporali vitæ sunt necessaria voluit DEUS esse in mundo, sed etiam alia innumera, nimirum ut suâ pulchritudine, & varietate specimen quoddam exhibeat excellentiæ Conditoris, per quod homo ipsum cognoscat, cognitum amet, colat, revereatur, laudet, & gratias agat. Sicut enim palatium summâ arte extructum, & imago optimis coloribus, & magnâ industriâ perfecta, ostendit excellentiam artificum: ita mundus iste, & res omnes quæ sub sensum cadunt, apertè excellentiam sui Opificis monstrant; nam hæc omnia arte & potentiâ unius Artificis facta sunt. Magnitudo terræ, maris, montium, & cælorum ostendunt eius magnitudinem & potentiam; pulchritudo solis, lunæ, stellarum, & aliarum rerum omnium, declarant eius pulchritudinem; subtilitas & artificium quod in omnibus rebus præsertim in animantium structura cernitur, eius sapientiã; summa cujusq; rei in sua specie perfectio, eius perfectionem: rectissimus ordo in cursu cælorum, & rerum vicissitudine eius providentiam: imò in singulis rebus, si quis

Lessius de perfect. Divin. lib. 14. c. 4.

siquis benè attendat, hæc omnia nobis mirabili modo indicantur, quia nihil est adeò vile, quod non sit plenum (ut ita dicam) miraculis, & subtilitatibus menti humanæ inpenetrabilibus, quæ nobis DEI potentiam, sapientiam, & influxum occultissimum insinuant. Si verò simul omnia considerentur, tanquam integrum opus ipsius, manifestè ostendunt, ipsum esse Bonum quoddam infinitum, in quo omne genus bonorum excellentissimè continetur; ac proinde ipsum esse super omnia amandum, & colendum. Hæc omnia, & quidquid omnino absquè peculiari revelatione de DEO à nobis cognosci potest, docent nos res creatæ, quæ sub sensum cadunt. Hinc Apostolus ad Rom. 1. *Quod notum est DEI, manifestum est illis: DEUS enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoquè ejus virtus, & Divinitas.* Sensus est: Quidquid de DEO cognosci naturaliter potest, id Philosophis fuisse manifestum: quia invisibiles DEI perfectiones jam inde à creatione mundi, per ipsa opera factæ sunt visibiles, & ex ipsis operibus intellectæ videntur. Ubi Apostolus indicat eas videri per opera, sed mediante discursu, quia ex operum consideratione intelliguntur. Idem habetur Sap. 13. *Ex magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Ex magnitudine pulchritudinis creaturarum per analogiam Opifex ipsarum cernitur. Ubi notandum illud *Per analogiam*, quo denotatur, quâ ratione ex rebus creatis ad Creatorem, mente debeamus ascendere, nempe per analogiam, non per similitudinem: nam quantumvis res creatæ sint magnæ & pulchræ, nulla tamen inter ipsas & Creatorem est similitudo, sed solùm analogia & proportio quædam: quia omnis perfectio, quæ est in rebus creatis, est longè alterius rationis, & sublimiore modo in Opifice: quod optimè explicatur à Dionysio lib. de mystica Theologia præsertim cap. 4. & 5. Ratione hujus analogicæ repræsentationis, mundus iste rectè dicitur præco, & testis Divinitatis, cujus vox toto orbe auditur, & ab omnibus gentibus potest intelligi juxta illud Psalm. 18. *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum &c.* Hujus vocis testimonio

DEUS

DEUS ab initio usquè ad finem utitur ad se mortalibus insinuandum. Unde Apostolus Act. 14. ait: Quòd DEUS etsi præteritis seculis permiserit gentes ingredi vias suas, nec ad eas miserit Prophetas, sicut ad Judæos, tamen *non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda eorum.* De quo testimonio ait Prosper lib. 2. de vocatione gentium c. 4. *Quod est autem hoc testimonium, quod semper Domino deservivit & nunquam de ejus bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dives, & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ Legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum, ac voluminibus temporum, communis ac publica Divinæ institutionis doctrina legeretur?* nimirum esse unum omnium Conditorem, potentissimum, sapientissimum, optimum, quem omnes amare, timere, colere, cui omnes obedire ac servire debeant. Addit Prosper: *Cælum ergo cunctaquè cælestia, mare, & terra, omniaquè quæ in eis sunt, consono speciei suæ conditionisquè consensu protestabantur gloriam DEI, & prædicatione perpetuâ Majestatem sui loquebantur Authoris.* Hoc tamen præconium, & testimonium creaturarum, etsi cum auxilio interno (quod pro tempore & loco non dëerat) esset sufficiens ad insinuandam hominibus DEI cognitionem, pleriquè tamen illi non attenderunt; unde illis non profuit, ut ibidem Prosper ait: sicut mundus ratione illius repræsentationis dicitur *præco, & testis Divinitatis*, ita etiam dicitur *speculum*, ut insinuat Apostolus 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Ubi nomine *speculi* res creatas, vel imaginarias similitudines ex rebus creatis acceptas intelligit. *Videmus per speculum:* quia in creaturis non est sistendum, sed per earum cognitionem analogico mentis ascensu transeundum ad Creatorem intus latentem, eas formantem, & conservantem. *In ænigmate*; quia non clarè, sicut est in seipso, sed obscurè, & quasi conjectando, DEUM ex rebus creatis cognoscimus. Deniquè mundus est *instar tabulæ*, in qua Divinitas adumbrata; est *instar libri*, omnibus gentibus, expositi, in quo ea, quæ ad DEUM pertinent, legi possunt.

Ratione hujus repræsentationis omnes creaturæ dicuntur

tur laudare & benedicere Creatorem; quia quantùm in ipsis est, totam naturam rationalem ad hoc excitant. Hinc fit, ut quamvis res creatæ varios usus habent in mundo, ratione quorum bonæ dicuntur, præcipua tamen earum bonitas, consistit in hac repræsentatione, quâ Divinas perfectiones repræsentant. Hæc enim est maximè intrinseca, & sequitur immediatè entitatem rei cujusquè, quæ quò est perfectior, eò etiam perfectiùs Conditoris perfectiones refert. Unde sicut veritas rerum consistit in conformitate cum arte Divina seu idea, secundùm quam factæ sunt, à qua tanquam à propria mensura suam speciem acceperunt: ita earum bonitas & primarius usus consistit in repræsentatione perfectionis sui Opificis, ad quem usum principaliter sunt conditæ, ut expressè docet S. Prosper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 4. *Cælum*, inquit, *terra, & mare, omnisquè creatura, quæ videri atquè intelligi potest, ad hanc præcipuè disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de tot contemplatione specierum, de experimentis tot bonorum, ad cultum, & dilectionem sui imbueretur Authoris, implente omnia Spiritu DEI, in quo vivimus, movemur, & sumus.* Unde patet hunc esse finem rerum immediatum & intrinsecum (quatenus nimirum res sunt, seu Esse habent) quo nullus poterat esse nobilior.

Ibid. Cap. 5. Jam verò quomodò natura rationalis ad gloriam DEI ordinetur, insinuat *Lessius* dicens: Quia natura rationalis duobus modis considerari potest. Primò secundùm suam entitatem, quatenus est natura talis speciei. Secundò ut per intellectum & voluntatem est capax Divinitatis. Si priore modo consideretur, ordinatur ad DEI gloriam communi quâdam ratione, sicut & natura ratione carens, nimirum ut per suam entitatem est repræsentativa Divinarum perfectionum. Multò tamen perfectiùs eas repræsentat, quàm omnes naturæ ratione carentes, quia est imago Divinitatis, cùm illæ tantùm se habeant instar vestigii. Unde Angelica natura cùm perfectè se cognoscat, longè altiori modo concipit, & cognoscit DEUM, ex cognitione sui, quàm ex cognitione rerum corporalium. Secùs est in homine, quia natura animæ suæ parum est ei perspecta, cùm solùm confusè, & pauca quædam de illa cogno-

scat

ſcat. Itaquè ad cognitionem DEI magìs ſerviunt ipſi res corporales & ſenſibiles. *Et paulò inferiùs.* Nunc videamus quomodò natura rationalis ordinetur per intellectum ad DEI cognitionem, amorem, & laudem. Quod ut intelligatur. Notandum eſt, quòd ſicut eſt vivens præſtantius non vivente; ita potentia vitalis præſtantior non vitali. Inter omnes autem potentias vitales præſtantisſima eſt intellectiva, quâ nulla eminentior poteſt vel animo concipi: per hanc enim natura rationalis v. g. Anima noſtra, non ſolùm omnium rerum vivas formas & imagines in ſe concipit, ſed etiam eſt capax Divinitatis: nam lumine gloriæ illuſtrata & adjuta, format in ſe vivam imaginem Divinitatis, fitque DEO ſimilis, eminentisſimo modo posſibili; inſuper per eandem formaliter tranſit, & penetrat in DEUM, & DEUS in ipſa novo modo exiſtit, & ſe ipſum cum omnibus ſuis bonis communicat, ut omnium dulcedine & pulchritudine perfruatur. Hoc totum fit vi viſionis beatificæ. Potentiæ intellectivæ velut ſocia & ſuppar accedit voluntas, quâ anima toto impetu fertur in Bonum intellectu conceptum, ut illi novo modo ſe uniat, nempe per amorem & in illud veluti transformetur.

Per has duas potentias anima noſtra duplici modo, eoquè eminentisſimo, intrat in Divinitatem, & Divinitas in illam, fitquè mutua veluti penetratio, & intima unio vitalis inter animam & DEUM. Unde ex hac unione mutuoquè contactu naſcitur in anima ineffabilis quidam dulcedinis ſenſus ſeu delectatio, quâ infinitam DEI dulcedinem vitaliter conjunctam veluti deguſtat. Sicut enim cùm objectum conveniens naturæ ſenſu percipitur, naſcitur ſtatim vitalis quædam ſuavitas in anima, ex conjunctione vitali talis objecti, quæ ſuavitas delectatio vocatur: ita cùm ſummum illud objectum delectabile perfectisſimo modo percipitur intellectu, & ſimul amatur, ex illa præſentia & conjunctione vitali perfectisſima, naſcitur vitalis quædam ſuavitas, ſumma & eminentisſima, quæ gaudium dicitur & delectatio.

Ex his patet naturam rationalem multò ſublimiori modo ad Gloriam DEI ordinari, quàm res cæteras. Primò quia

per suos actus ita tendit in DEUM, ut ipsum immediatè attingat, eique vitaliter uniatur, & particeps Divinitatis evadat. Secundò, quia repræsentatio Divinarum perfectionum, quæ fit per illos actus, longè est excellentior, quàm repræsentatio objectiva, de qua supra dictum est. Illa enim est vitalis & formalis, quæ per se sentitur: hæc non est vitalis, nec per se sensibilis, sed objectiva quasi imaginis mortuæ. Illa naturam rationalem efficit beatam: hæc nihil novi naturæ confert, cùm in ipsa naturæ entitate consistat. In illa relucet ipsa Divinitas perfectè prout est in se ipsa; quia per illam clarè, & ut est in se ipsa repræsentatur menti, & ab ea percipitur, & sentitur: quod in nulla imagine obiectiva fieri potest, quia inpossibile est, ut aliquid obiectivè repræsentet essentiam Divinam, ut communiter Theologi docent. Unde meritò in tribus illis actibus suprema DEI gloria extrinseca constituitur.

Petes. Quomodò gloria DEI in amore & gaudio constituitur, cùm hæc non habent vim repræsentandi, ac proinde in eis non reluceant Divinæ perfectiones? *Respondetur.* Amorem & gaudium beatificum Beatorum maximè ad gloriam DEI pertinere: quia continent vitalem eminentissimam commendationem & laudem Divinitatis. DEUS enim non potest magìs laudari & commendari à Beatis, quàm per summum amorem, & per summum gaudium: nam per amorem æstimatur ab ipsis ut summum Bonum, & omnibus præfertur, & omnia ad ipsum ordinantur: idem fit per summum de ipso gaudium. Unde hi actus naturâ suâ repræsentant Divinam excellentiam, & bonitatem, ut est in se ipsa, non ut effectus ipsius, (sicut aliæ res creatæ) sed ut actus vitales repræsentant conditionem obiectorum, in quæ tendunt, à quibus speciem suam accipiunt.

Lessius de perfect. Divin. lib. 1.4. c. 1

Hæc autem repræsentatio, ut colligitur *ex Lessio*, inchoatur in hac vita per dona gratiæ, maximè per fidem, spem, charitatem, quibus virtutibus non solùm efficimur DEO similes, sed etiam DEUS nobis unitur: perficitur verò in altera per dona gloriæ, nempe per lumen gloriæ, visionem Divinitatis, amorem beatificum, & gaudium beatificum: per hæc enim assequimur summam cum DEO similitudinem, quâ major nulla

est

eſt posſibilis, & efficimur perfectè filii DEI, & Deiformes, inſtar Divinitatis fulgentes, & Sanctisſimæ Trinitatis imaginem excellentisſimam in nobis præferentes: nam per lumen gloriæ efficimur ſimiles Patri; per viſionem Divinæ eſſentiæ, & Divinarum Perſonarum Filio; per amorem Spiritui Sancto; per gaudium ſumus DEO ſimiles in beatitudine, & completur participatio Divinæ beatitudinis in nobis. Hæc *Leſſius.*

Formalis gloria DEI ab extrinſeco proveniens eſt, quatenus Cognitio, Amor, Gaudium DEI verſantur circa explicatam obiectivam Gloriam ſui, relucentem in creaturis, ſive hæc obiectiva gloria habeat ſe ad præfatos, ut ita dicam, actus Divinos, in ratione tantùm obiecti terminativi, ſive inſuper in ratione, obiecti motivi. Id certum eſt, DEUM cognoſcere, & amare creaturam, non tantùm in Verbo, verùm etiam in ſe ipſa exiſtentem: Gaudere etiam de bonitate naturali, morali, ſupernaturali creaturarum ſuarum, cùm hæc omnia ſint opera manuum eius, & manifeſtè inſinuat occinens Propheta: *Sit gloria Domini in ſeculum: Lætabitur Dominus in operibus ſuis.* *Pſal.* 103.
Ubi ex *Leſſio* adverte hoc gaudium DEI, cùm ſit bonum intrinſecum DEI, nullo modo creſcere in DEO ex operibus noſtris, vel aliunde: Bona enim intrinſeca ſunt in DEO infinitè perfecta, nec eis per res extrinſecas ulla fieri poteſt additio. Ita enim DEUS gaudet & delectatur bonis ſuis intrinſecis, ſeu ſe ipſo, ut nulla per infinita bona extrinſeca posſit huic gaudio fieri acceſſio. Dicitur quidem gaudere & delectari bonis noſtris, quando vel à peccatis convertimur ad ipſum, vel ſanctè vivimus, & illum honoramus, verùm hoc gaudium non auget gaudium, quo gaudet de ſe ipſo, cùm nihil reale illi apponat: ſicut nec viſio, quâ videt res omnes creatas, aliquid reale, aut aliquid perfectionis addit ſimplici intelligentiæ Sicut enim ſimplex intelligentia posſibilium, fit viſio exiſtentium, hoc ipſo, quòd res exiſtunt, abſq; ulla perfectionis acceſſione ad cognitionem Divinam: ita gaudium, quo ipſe ab æterno gaudet de ſeipſo ſuaquè omnipotenia & ſapientia, & de omnibus rebus posſibilibus, quas videt in illa contineri, extenditur ad res creatas, & bona opera, quæ re ipſâ in tempore fiunt, ita ut dicatur de

Leſſius de perfect. Divin. lib. 14. *Cap* 1.

illis gaudere absquè ulla accessione alicujus perfectionis. *Hæc Lessius.*

Dices. Ergo homo aliquid ex parte sua confert ad commodum & solatium, quo DEUS gaudet ab æterno de eius operibus bonis.

Respondetur. Etsi absolutè negari possit hominem aliquid conferre DEO ad sui gustum & oblectamentum ut verissimè dicat cum Propheta: *Quoniam bonorum meorum non eges;* Et præmisit dicens: *DEUS meus es tu;* id est dans mihi quidquid sum, & quidquid mei est, ideoquè tuus ego sum cum omnibus meis totus, multò magis quàm meiipsius. Tamen quatenus habet homo jus & dominium liberi arbitrii, quo possit uti ad bonum opus, vel non uti, sic ex bono usu libertatis suæ, adeoquè ex parte sua videtur aliquid conferre ad gratum DEO opus, quanquàm & ille probus usus libertatis, nullius erit valoris, nisi & gratiâ DEI supernaturalizetur, & à DEO benevolè acceptetur, ut cum Apostolo dicere possit: *Non ego autem, sed gratia DEI mecum.*

Psalm. 15.

I. Cor. 15.

Hinc imò sequitur. Ejusmodi gaudium in DEO, licet ipsi sit essentiale, cùm DEUS incapax sit omnis accidentis, dicitur tamen accidentale, quia ex suppositione liberi arbitrii aliter se inclinantis, scilicet ad *Non agere operis boni*, poterat illud futurum opus in se non fuisse, ac per consequens nec in scientia DEI futurum apparuisse, nec DEUM exinde gaudium in æternitate percepisse, nec in tempore percipere; sicut ex prævisione operis boni futuri gaudet, de eius futuritione dum futurum est, & de præsentia, dum præsens est, imò licet jam præterierit.

2dò sequitur. Quanquam homo gloriari nequeat, quasi aliquid conferat DEO utilitatis ex parte sua, sed potiùs juxta monitum Christi, etiamsi omnia præcepta fecerit, servum se inutilem judicare debet: Attamen suppositâ gratiâ Divinâ, illum hominis usum bonum liberi arbitrii gratum & placitum DEO reddente, habere potest homo novum incitamentum amoris DEI ad benè agendum, ut inde DEO suo gaudium, voluptatem, oblectamentum procuret.

Luc. 17.

3tiò.

3*tiò* sequitur. In hoc, quòd intendatur major gloria DEO, non intelligi quòd major intendi aut promoveri debeat, quàm ab æterno à DEO fuit decreta, ut ita per omnia sit homo conformis voluntati Divinæ. Nequè enim tu potes rectè intendere majorem gloriam DEI ex majori tui gloria seu beatitudine in cælo, seu altiori in ordine Seraphinorum sede, cùm DEUS velit te esse in ordine inferiori Angelorum & felicitate. Verùm quia occulta est nobis hæc voluntas & decretum DEI, aliunde verò jubet nos & consulit expreslè tendere ad altissimam perfectionem: Ideo servato affectu conformitatis ad voluntatem DEI, debemus tum intra, tum extra, intendere & promovere in singula momenta majorem & maiorem (ut ita dicam) in infinitum quoddam intensivè, & extensivè Gloriam DEI. *Vide supradicta de perfectionibus actûs salutaris in 1. 2. tr. 1. c. 1. sect. 2.*

Motiva ad promovendam; seu ratum habendam, ponendam, & obtinendam Gloriam DEI.

VErùm, priùs hi termini explicatione indigent. Dicitur: *Ratum habendam*, nempe Gloriam DEI internam, quæ absquè ulla dependentia, à rationali creatura, in DEO per se est essentialissimè. Hinc non nisi eandem DEI gloriam per intentionem ratam habere possumus, id est intendere aliquid agere vel pati, in signum ratihabitionis gloriæ ejusdem, tum gaudii de ea, ac congratulationis DEO. Similiter eadem ratihabitio, gaudium, & complacentia, & congratulatio potest fieri circa gloriam DEI externam. Dicitur; *Ponendam*: id est dum agendo, vel patiendo intendis, ut in præsenti hìc & nunc actu & effectivè aliquid ponatur, vel fiat, pertinens ad gloriamDEI externam. Dicitur: *Obtinendam*, nempè quatenus tuis actionibus & passionibus intendis quidpiám obtinere, ut in futuro temporis vel æternitatis fiat ad Gloriam DEI. Hæc tria dicunt promotionem Gloriæ DEI, promovetur enim interna gloria DEI per ratihabitionem &c. non in se, sed in intentione hominis; Per positionem verò, & obtinentiam externa gloria DEI promovetur, & in intentione hominis, & in ratione termini ac exi-

stentiæ, ad quam formalis gloria DEI externa terminatur. His explanatis Motiva Gloriæ DEI promovendæ plura adduci pos-

1. 2. tra. 1. sunt ex supra dictis de perfectionibus Actûs supernaturalis, tum de Intentione recta. Adjicio & sequentia.

1. Regum 2. *Primum.* DEUS ad Heli ait: *Quicunquè glorificaverit me, glorificabo eum: Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Apo-

1. Corinth. 10 stolus: *Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in*

1. Tim. 1. *gloriam DEI facite.* Idem. *Soli DEO honor & gloria in secula seculorum.*

S. Greg. 3. part. Pastoral. admonit. 36. *2dum. S. Gregorius* ait: Quid est ergo quòd opus nostrum, & ita faciendum est, nè videatur, & tamen ut debeat videri, præcipitur? nisi quòd ea, quæ agimus, & occultanda sint, nè ipsi laudemur, & tamen ostendenda sunt, ut laudem cælestis Patris augeamus. Nam cùm nos Justitiam nostram coram hominibus facere Dominus prohibet, illico adjunxit: Ut videamini ab eis. Et cùm rursus videnda ab hominibus bona opera nostra præciperet, protinùs subdidit: Ut glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Qualiter igitur videnda essent, vel qualiter non videnda, ex sententiarum fine monstravit, quatenus operantis mens opus suum, & propter se videri non quæreret, & tamen hoc propter cælestis Patris gloriam non celaret.

Prov. 16. *3tium* ab exemplo DEI; siquidem *Universa propter semetipsum* (id est propter suam gloriam) *operatus est Dominus.* Unde

Lessius de perfect. Divin. lib. 14. cap. 3. *Lessius* ita discurrit: Etsi DEUS omnia, quæ extra se facit, liberrimè faciat, & liberrimè velit; tamen si quid velit facere, necessè est ut id velit ex affectu & intentione suæ gloriæ. Quia sicut necessariò est primum & eminentissimum agens, ita necessariò est ultimus eminentissimus finis, cujus gratiâ omnia. Ac proinde in omni sua operatione externa necessariò intendit aliquod bonum suum. Nullum autem est genus bonorum imaginabile, quod DEUS possit sibi acquirere, præter gloriam extrinsecam, quæ etiam inter bona externa est præstantissimum. Ergo impossibile est, ut DEUS aliquid faciat, aut velit, non intendendo gloriam suam. *Confirmatur.* Si aliquis esset DEO major, illius gloriam DEUS quærere deberet. Ergo cùm nemo sit,

sit, vel possit esse major, vel per, sed ipse omnibus infinitè sit eminentior, necessariò debet in omnibus ultimò intendere, & quærere gloriam suam, adeo ut contrarium implicet contradictionem: esset enim summè inordinatum, si alicujus rei creatæ bonum intenderet, sistendo in illa, nec ulteriùs ad suam gloriam hoc totum referendo. Unde Dominus Isaiæ 48. ait. *Gloriam meam alteri non dabo*: daret autem illam alteri, si in bono creaturæ sisteret, quia constitueret illam ultimum finem *cujus gratiâ*, respectu illius operationis & volitionis. Idem confirmatur ex eo: quòd DEUS, cùm sit infinitæ perfectionis, tantæ est excellentiæ, ut omnis res creata, quantumvis excellens, sit instar nihili coram illo. Quò fit, ut omne bonum ad DEUM pertinens quatenus ipsius bonum est, ut quælibet ipsius voluntas (etiamsi in se parvum videatur) pluris sit æstimandum, quàm omne bonum creaturæ, quatenus ad creaturam pertinet. Quare cùm DEUS ordinatissimè agat, necessariò debet magis intendere suam gloriam, quàm perfectionem creaturæ. Gloria enim DEI pluris est æstimanda, quàm omne bonum creaturæ. Unde etiam homo non potest sibi excellentius bonum proponere in operando, quàm gloriam DEI: nec meliùs actiones suas peragere, quam referendo illas ad Gloriam DEI, ad quam etiam Beati omnia sua referunt. *Et paulò infra.* Quæ hactenus diximus intelligenda sunt de gloria DEI in genere: si enim loquamur de illa speciali gloria, quæ consistit in visione DEI, & actibus visioni connexis, DEUS hanc gloriam, etsi maxima sit, non necessariò in suis operationibus intendit, sed liberè. Potuisset enim condere hoc Universum, & naturam rationalem, & non evehere ad illam visionem, sed relinquere illam in inferiori gradu: quo eventu non intendisset illam gloriam in suis operationibus, sed aliam inferiorem. Verùm quia re ipsa illam maximam & summam constituit finem Universi, hinc fit, ut omnes ejus operationes, quas circa creaturas habet, ad hunc finem tendant, idque propinquiùs, remotiùs, prout ipsæ res propinquiùs, vel remotiùs ad illum finem juvant.

Dicet fortè aliquis: Si DEUS in omnibus potissimùm spectat gloriam suam, & propter illam omnia facit, quomodò

id

id non minuit æstimationem beneficiorum ipsius, cùm in illis non tam nostrum bonum, quàm suum quærere videatur?

Respondeo quòd DEUS ultimò in omnibus spectat suam gloriam, id ab intrinseco, & ex natura rei, est necessarium, propter infinitam eminentiam ipsius supra omnem creaturam: unde si id non faceret, inordinatè ageret. Et indebitè. Quare ex hoc capite non minuitur æstimatio beneficiorum ejus, aut obligatio actionis gratiarum: stultum enim est & impium, existimare, nos ideo minus DEO debere, quia non amat nos tanquam ultimum finem *cujus gratiâ* respectu suorum beneficiorum; quod fieret, si ea ad gloriam suam non referret. Deinde, dum DEUS spectat suam summam gloriam, eo ipso necessariò spectat, & intendit summum bonum nostrum: quia summa eius gloria est summum bonum nostrum, & summum bonum nostrum non potest esse, nisi summa ipsius gloria. *Ratio est.* Quia summa eius gloria externa est, ipsum à nobis perfectè cognosci, amari, & gustari. Unde consistit in tribus actibus vitalibus, & in iisdem formaliter consistit summum bonum nostrum, & vita æterna, & essentia bonitatis. Summum enim bonum nostum & formalis beatitas est, DEUM videre, amare, gustare, seu quod idem uno verbo dici potest, DEO frui. Itaquè in summa DEI gloria, formaliter & intrinsecè includitur summum bonum nostrum, ita ut sine illo concipi nequeat: & hoc ipso, quo DEUS illam gloriam intendit, & quærit; intendit, & quærit summum bonum & commodum nostrum. Unde non minùs DEO gratias agere debemus, quòd quærat gloriam suam, quàm quòd quærat salutem nostram, quia gloria eius est salus nostra. Hoc in hymno Angelico Ecclesia insinuat, cùm ait: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*: beneficia enim ipsius in nos, sunt gloria eius. *Hactenus Lessius.*

Praxis promovendi Gloriam DEI fit per Orationem, Laudem DEI, Missæ sacrificium, Vitam probam, Prædicationem. *Quòad Orationem*: Christus nos docet ante omnia orare, ut *sanctificetur* seu glorificetur *Nomen* DEI, tum in nobis, tum in pro-
Matth. 6. ximis nostris, nempè in præsenti vita per majorem & majorem gratiam

gratiam DEI, cognitionem eius & amorem, laudem; & in futuro per gloriam; quodvè totum cedat in beneplacitum, gratum & delectabile obsequium DEO. Estquè hæc prima peticio in oratione Dominica, tanquam illa, quæ versatur circa ultimum finem hominis, ad quem consequendum pro mediis aliæ petitiones in eadem oratione sequuntur, ut: Fiat voluntas tua &c

Quod verò concernit *Laudem DEI, Sacrificium, Missæ, Vitam justam, & Prædicationem* placet in his affere *Cornelium a lapide* qui super illum Ecclesiastici textum: *Glorificantes Dominum, quantumcunquè potueritis: supervalebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius*, hunc in modum egregiè discurit: Moraliter docet hìc siracides varios esse gradus tum intensionis, tum extensionis laudis Divinæ, ac DEI cultorem per hos gradus sensim debere ascendere, ut in dies magìs & perfectiùs DEUM laudet, ac si fieri potest, modum inveniat, quo DEUM laudando adæquet, eumquè laudet tantùm, quantùm laudabilis est. Nam multiplex est laus DEI, multisquè modis & gradibus DEUS à nobis laudari, & glorificari potest.

Cornel. à lap. Commentar: in Eccl. cap. 43.

Primus est, quo omnes creaturæ mutâ voce suum Creatorem jugiter celebrant, dum in se ipsis eius potentiam, sapientiam, bonitatem omnibus commendant, & ostentant, juxta illud Psalm. 18. Vers. 1. *Cæli enarrant gloriam DEI, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Hunc sibi arroget fidelis quisquè invitando cum Davide creaturas omnes ad DEI laudem. *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.*

Secundùs, quo homines præsertim fideles, & Sancti in terra considerantes immensam DEI Majestatem, beneficentiam, & perfectionem, eam mente, & voce deprædican: at quia id in hac vita plenè præstare nequeunt, aspirant ad alteram dicentes. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Ita S. Franciscus considerans perpetim immensam DEI pulchritudinem, ad eam aspirabat, & præ desiderio languebat, adeoquè illi immortuus est dicendo: *Educ de*

custodia animam meam ad confitendum Nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi. Testis est S. Bonav. in eius vitâ.

Tertius est, quo Beati in cælo homines & Angeli, præsertim Seraphini ardentes amore, & admiratione DEI, semper ei accinunt: *Alleluia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Sabbaoth; plena est omnis terra gloriâ eius.* Isaiæ 6. Apocal. 4. Sicut ergo philomelæ integros dies & noctes canunt, laudantquè DEUM initio veris, nec aliâ re quàm cantu suo delectantur, eumquè semper augere, & intendere, aliosquè omnes superare contendunt, adeò ut quandoquè ex hac vocis contentione rumpantur, & moriantur: Sic & Beati, ac Seraphini, omnes vires suas exhauriunt in laudando DEUM & cùm vident se eum dignè, ut meretur, laudare non posse, sed in immensum eum esse pulchriorem, & laudabiliorem; optant in immensum amplius eum laudare; Sed quia se vinci ab eo vident, in eo gaudent, quòd tantus sit DEUS, ut omni laude sit superior.

Quartus est, quo B. Virgo, & Christus laudant DEUM. B. Virgo enim, sicut omnes homines & Angelos longè superat in gratia, ita in gloria, ac visione DEI: unde magis penetrans DEI speciem, & attributa, excellentiùs omnibus ea celebrat. Longè verò magis facit id Christus quà homo, cuius gratia & gloria, est gratia & gloria Capitis, à quo cæteri omnes suam gratiam & gloriam participant. Quis comprehendet, quanto ardore, quantâ perfectione, quanto jubilo Christus glorificet DEUM Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum in se, & in opere Incarnationis, quod in se operatus est, sibiquè tribuit, ut scilicet hæc sua humanitas uniretur Verbo, ideoquè hic Homo hypostaticè esset DEUS, & DEI Filius, ac per eam operaretur redemptionem nostram, & salutem totius Universi? Hos omnes modos usurpare, nobisquè arrogare possumus, optando, & gratulando DEO laudes omnium Sanctorum, omnium Seraphinorum, B. Virginis, & Christi Domini, ac cum iis jungendo nostras voces & laudes, uti facit Ecclesia in Missa & præfatione Canonis. Verùm nulla laus, nè Christi quidem, cùm sit finita adæquat dignitatem DEI, utpote infinitam.

Quintus

Quintus & adæquatus ergo modus laudandi DEUM est, quo ipsa SS. Trinitas se ipsam contemplans infinitè laudat, & glorificat ab omni æternitate in omnem æternitatem. Hanc DEI ipsius laudem crebrò usurpat Ecclesia, imò singuli, dum in fine psalmi cujusquè canunt: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto.* Hic enim non intelligitur gloria creata, sed increata, essentialis & æterna DEI: quam ipse habet in se, per se ipsum, ex se ipso; & quæ est ipsemet DEUS: ut patet ex eo, quod subdimus; *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.* q. d. Semper laudetur & glorificetur DEUS eâ laude, & gloriâ quam habuit ante omnem creaturam in sua immensa æternitate, & æterna immensitate: quâ scilicet Pater laudat Filium, & Sanctum Spiritum: & hi vicissim laudant Patrem infinitâ, perpetuâ, & intensissimâ laude. Hactenus *Cornelius à lapide.* Quòd insinuat de Gloria DEI interna seu increata per hanc Doxologiam; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen*; Intellecta; etiam per eundem versiculum nihil implicat, quò minùs intelligatur Gloria DEI externa, de qua sibi invicem congaudet, congratulatur, & se collaudat Beatissima Trinitas. Cùm illa Gloria externa objectiva, sit permagnificum opus Potentiæ Patris, Sapientiæ Filii, Bonitatis Spiritûs Sancti. Gloria quoquè externa formalis est essentialiter in DEO, ut supra vidimus. Quare convenienter Ecclesia DEI, & quævis devota. Anima pronuncians Gloria Patri, & Filio, &c. *imò* internam & increatam Gloriam DEI gratam habet, de ea gaudens gratulatur DEO, quòd, sicut erat in principio sine principio, id est in DEO, ita, est nunc, & erit semper in secula seculorum. *2dò* externam Gloriam DEI formalem similiter ratam habet, at de ea lætabunda DEO gratulatur, quòd sicut erat, ita est & nunc, & erit semper in secula seculorum. Porrò, quoad externam Gloriam DEI objectivam hoc versiculo; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* Ecclesia DEI, & quivis pius desiderat, &

orat: ut ſicut hæc gloria fuit in principio, id eſt in mente Divina exemplariter, & decreta ab æterno, ita etiam tum ex parte Cauſæ primæ, tum ex parte cauſarum ſecundarum ponatur ad extra increatis, tam quòad aliquas partes phyſicas Univerſi, quàm potisſimùm quidem in moralibus & ſupernaturalibus Fine, ac Mediis: primò in te ipſo; deinde in proximis tuis: ponatur inquam, ita & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, ſeu in tempore, & futura æternitate; ſicut erat in principio ab æterno.

Planè eodem ſenſu tibi orandum illud: *Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra &c.* Hinc adverte tum dictas partes Orationis Dominicæ, tùm doxologiam Gloria Patri &c. quàm univerſales, & profundos in ſe contineant ſenſus intentionis, orationis &c. ut quidquid conformiter ad Voluntatem DEI, DEO ipſi, Cælitibus, Tibi, Proximis tuis intendere, optare, ac orare posſis in tua vita, pro recta vita, pro felici morte, & finali perſeverantia in gratia DEI, pro beata æternitate: hoc totum ibidem pleniſſimè habeatur.

Cornelius à lap. Ibidem. Quocirca, ſicut ſupra citatus *Cornelius à lap.* proſequitur: S. Franciſcus crebrò jubilabat: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*: Hâc enim ratione gratias reddebat ad ſingula DEI beneficia. Unde non poterat ſatiari repetitione hujus verſiculi, quem ſummè omnibus commendabat, nominatim verò cuidam Fratri Laico valde tentato, & licentiam petenti, ut literis operam daret: Addiſce inquit, Frater chariſſime verſiculum hunc; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: & ſacram ſcripturam omnem tenebis*: quod ut fecit tentatus, nullam ampliùs ſenſit moleſtiam, & tentationem omnem literas addiſcendi, ſuperavit. Ita refert Lucas Waddingus in Annalibus Minorum anno Dom. 1221. n. 30.

Cornel. à lap. ibidem paulo poſt ſupradicta Præclarè Venerabilis Beda in Proverbiis: *Opere*, inquit, meliùs, quàm verbis DEUS laudatur, & prædicatur. Utrumquè ipſe præſtitit, unde in Feſto Aſcenſionis Chriſti in veſperis decantans, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* ſpiritum doxo-

doxologum DEO reddidit, ac cum Christo in cælum ascendit, ibidem perpetim cum Beatis DEUM laudaturus anno à Christi Incarnatione 731. Ita Baron. in Annalibus anno jam dicto.

Porrò sicut hymnus & laus mentalis æquè ac vocalis, adæquans DEI dignitatem, non est alius, nisì hìc unicus jam dictus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, &c.* Sic & hymnus ac laus realis eandem adæquans, non est alius, nisì unicus, scilicet *Sacrificium Eucharistiæ.* In eo enim DEO offerimus victimam ei adæquatam, scilicet Unigenitum ejus Filium, ad ejus laudem & gloriam, in cruce immolatum, quasi Divinum Sanctissimæ TRINITATIS holocaustum. Utraquè ergo hæc DEI laus Divinissima est, ideoquè crebrò usurpanda.

Insuper Sancti non tantùm corde, & ore, sed & opere ac vitâ laudant DEUM, ac laudare in dies meliùs & perfectiùs omni studio satagunt, idquè tripliciter. Primò agendo, 2dò patiendo, 3tiò prædicando. *Agendo*: quia continuò agunt opera virtutis, ut humilitatis, orationis, charitatis, quibus glorificatur DEUS, aliiquè ad DEUM glorificandum accenduntur: quare omnis eorum vita est continua DEI laus. *Patiendo*: quia omnia, quæcunquè patiuntur, sive à natura, sive à dæmone, sive ab amicis, sive ab inimicis, sive à DEO, sive à se ipsis mortificando membra sua, omnia hæc referunt ad DEI laudem & gloriam. Et sanè hæc uti aspera, ita fortis, realis, & solida, ideoquè mirè DEO grata, & jucunda est glorificatio. Ita Christus maximè glorificavit DEUM, cùm in cruce se illi in holocaustum ad ejus laudem obtulit: & Martyres maximè glorificant DEUM, cùm eculeos, ignes, cruces, bestias, ungulas, scorpiones fortiter, & alacriter sustinentes, canebant: *Benedicam Dominum in omni tempore*: Hinc B. Teresia ajebat, *Domine, da pati, aut mori.* *Prædicando*, quia prædicatione, vel sermone suo alios ad DEUM convertunt, qui conversi DEUM laudant, aliosquè ad id inducunt. Igitur magna DEI laus est conversio & zelus animarum.

Finis

Istis ergo mediis practicè promovetur GLORIA DEI T. O. M. Universi Ultimus Finis. Qui sit

CORONA & FINIS THEOLOGIÆ SPIRITUALIS;

totoquè Universo sine Fine resonet:

GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITUI SANCTO: SICUT ERAT IN PRINCIPIO, ET NUNC, ET SEMPER, ET IN SECULA SECULORUM AMEN.



INDEX
RERUM ET VERBORUM.

PRæinſertum Opus Theologiæ Spiritualis dividitur in Præliminaria, in Summam, in Primam Partem, in Secundam Partem (quæ ſubdividitur in Primam Secundæ Partis, & in Secundam Secundæ Partis) in Tertiam Partem. Unde ſequenti Indice ly *Præf.* inſinuat Præfationem, *Præl.* Præliminaria, *Sum.* Summam. Cifra priùs poſita nempe 1. Primam Partem deſignat; vel 1. 2. Primam 2dæ; vel 2. 2. Secundam Secundæ; vel 3. Tertiam Partem. Secundo loco poſitus Numerus in Præliminaribus, & in Summa, indigitat folium libri. In Prima vero Secundæ, & in Secunda Secundæ, & in Tertia Parte, numerus ſecundo loco poſitus oſtendit Tractatum; & ſyllaba *Con.* Continuationem Tractatûs. Tandem tertio loco adjectus numerus demonſtrat Folium. Porrò literæ A. B. C. deſignant Paginæ cujusvis A. Superiorem partem, B. mediam, C. inferiorem partem, ad materiam ibidem citiùs inveniendam.

A.

A Actus

Ex Charita-

Contem-

Defectus

E.

Esurien.

G.

H.

 Hierar-

I.

L.

M.

Machia-

Mundus

Provi-


Inter

Veritas

NB. In Tractatu 2do, & in Continuatione Tractatûs 2di iidem numeri pagin. coincidunt usque ad 378. Hinc cùm in superiori Marginali ly *Continuatio Tract. 2di* non sit positum, sed utrinquè ly *Tract.* 2. Cave nè in numero pagin. inveniendo sæpè erres.

INDEX MATERIARUM PRO ASCETIS SEU PRAXI ASCETICA.

Nomine Ascetarum hic intelliguntur DEO dediti, sive Ecclesiastici, sive Religiosi, sive Seculares illi sint, quique in suo statu & officio. Quorum cùm nonnulli ignorent sibi congruam materiam pro suo Profectu



ctu Spirituali; & ut simul ostendamus, circa quas materias Magister & Discipulus spiritualis, ille docens, iste discens, quo ordine, & quomodò occupari debeant, sequentia proponimus.

Ad doctrinam & studium Theologiæ Spiritualis quatuor requiruntur. Lectio ejusdem, Explicatio, Collatio, Exercitium. *Lectio*; ut summa cum diligentia materia explicanda & explicata relegatur, quousquè intelligatur. *Explicatio*; quæ ab ipsa Præfatione incipienda, & consequenter continuanda per totum Opus Theologiæ Spiritualis, quòad difficiliora loca & materias. Nam faciliora suffecerit relegisse, nisi quoad aliqua aliter Magistro Spirituali visum fuerit. Et cumprimis ac ante omnia facienda erit Lectio & Explicatio de Magistro Spirituali *Parte* 1, *fol.* 236. *usque* ad 248. Et de Discipulis Divinæ sapientiæ. P. 1. *fol.* 280. *Collatio*; quatenus certis temporibus de materiis lectis & explicatis Theologiæ Spiritualis fiat Collatio seu Conferentia & discursus Spiritualis juxta præscriptum modum 1, 2. *fol.* 110. *Exercitium*; quod methodo quali sit justituendum habes ad amussim & exactè descriptum 1. 2. T. 1. *fol.* 293. *&* *sequen.* Ubi materias pro via Purgativa, Illuminativa, Unitiva ad profectum Spiritualem, tum ibidem, tum exinde in supradato Indice generali connotatas reperies. Vide quoque nostrum Incensum Orationis.

Indices pro Concionatoribus, & Catechistis Formare, videtur superfluum: cùm nihil novi in se continerent, quod non sit in Indice generali prænotatum, adeoquè ad illum pro Materia tibi placita recurre: & si quem fructum hoc ex Opere ceperis, is cedat in Tempore & Æternitate

AD MAIOREM DEI T. O. M. GLORIAM.

FINIS.

Errata Correcta.

Quis Liber erratis liber ? sua
sponte notanti
Ignosce, his qui te posse
carere negas.

Prisciani denique non Theologi est attendere ad ejusmodi imperfectum humanum in erroribus typi & præli.

In Præliminar : & Summa Theologiæ Spiritualis.

Sæpè hic ponitur u. pro n: & è conversò.
Item h. pro b. & è conversò
Item r. pro t. & è conversò
Pag. 105. S. Dionysius dele S.

Pars Prima Theologiæ Spiritualis.

Sæpè ponitur hîc n. pro u. & è converso
Item b. pro h. & è conversò
Item t. pro r. & è conversò.

Pagina 23. Quad corrige quod.
Pag. 73. prærequint. cor. prærequirit.
Pag. 107. Conversatip. cor. conversatio
Pag. 115. Mutrus cor. Mutius
Pag. 122. Vendicavent. cor. vendicaverit.
Pag. 126. Meridianum. cor. diurnum.
Pag. 137. fllium. cor. filium
Pag. 138. von. cor. vox
Pag. 138. pcæditus. cor. præditus
Pag. 138. aliavius. cor. alicujus.
Pag. 148. allis. cor. aliis
Pag. 152. Intormando. cor. informando.
Pag. 162. divitius. cor. diutius.
Pag. 163. prædicaverum. cor. prædicaverim.
Pag. 164. Ox. cor. ex.
Pag. 164. conditionicus. cor. conditionibus
Pag. 169. persequitur. cor. prosequitur
Pag. 169. Epiphanios. cor. Epiphanius.
Pag. 174. ille cor. illæ
Pag. 188. Martis cor. Matris
Pag. 192. Trina unione, physica &c.
Pag. 216. Ex Paulo. cor. &
Pag. 229. Debita cor. dedita
Pag. 238. afferer cor. afferet
Pag. 244. Hant. cor. hanc.
Pag. 246. possis cor. possit
Pag. 258. restiterim cor. resisterem
Pag. 264. minimant. cor. minimam.
Pag. 279. moribas. cor. moribus
Pag. 287. urde. cor. unde
Pag. 296. laborenc. cor. laborent.
Pag. 314. Sanctificantis. cor. sanctificantis
Pag. 320. DE cor. DEI
Pag. 325. hobitualis cor. habitualis.
Pag. 326. inteilectum. cor. intellectum
Pag. 329. hæa cor. hæc
Pag. 336. nibil cor. nihil
Pag. 341. flt corrige fit.
Pag. 343. ah cor. ab
Pag. 358. honis cor. bonis
Pag. 360. mibi cor. mihi
Pag. 363. quod cor. quo
Pag. 367. expetientia cor. experientia
Pag. 368. ah corrige ab.
Pag. 374. vitiorum cor. vitiosorum

Pars Prima Secundæ Theologiæ Spiritualis. Tract. 1.

Non rarò ponitur hic n. pro u. & è conversò
Item h. pro b. & e. conversò
Item t. pro r. & e. conversò
Pag. 29. Oceamus cor. Oceanus
Pag. 31. exra cor. extra
Pag. 61. ignora cor. ignorata
Pag. 62. Irocdinatius cor. inordinàtius
Pag. 65. tanro cor. tantò
Pag. 70. mersem cor. mensem
Pag. 74. ori cor. erit.

Pag. 79.

Pag. 79. utetr cor. utere
Pag. 91. senfertur cor. confertur
Pag. 94. Supenæ cor. supernæ
Pag. 103. terio cor. tertio
Pag. 115. ent. corrige est
Pag. 121. erumpat cor. rumpat.
Pag. 127. suh cor. sub
Pag. 127. bic corrige hic
Pag. 148. panni cor. pari
Pag. 172. videat cor. videar
Pag. 178. arraham cor. arrham
Pag. 181 Cathusianus cor. Carthusianus
Pag. 186. norum cor norunt.
Pag. 198. magisi cor. magis
Pag. 211. audes cor. audeo
Pag. 212. Non video. cor. nam
Pag. 216. facræ cor. sacræ
Pag. 232. inqui cor. inquit
Pag. 233. ssne corrige sine
Pag. 353. infamæ cor. infamiæ
Pag. 356. justar atio cor. justa ratio

Pars Prima Secundæ Tract. 2.

Pag. 9. esse corrige esset
Pag. 13. sunt corrige suis
Pag. 22. ccmparatipne corige comparatione
Pag. 29. teneto corrige teneo
Pag. 40. Curisto cor. Christo
Pag. 51. practica cor. practicas
Pag. 61. hac cor. hoc
Pag. 106. scientia cor. scientiæ
Pag. 127. Bonavenræ cor. Bonaventuræ
Pag. 139. Colima cor. Columinus
Pag. 193. potu cor. potiùs
Pag. 201. acenerrime cor. ac tenerrimè
Pag. 201. aliquando cor. aliquanto
Pag. 209. pluri cor. pluris
Pag. 210. Dlericus cor. Clericus
Pag. 215. abiossent cor. abessent
Pag. 228. ramen cor. tamen
Pag. 231. Profundi cor. profunderg
Pag. 233. poitenus cor. portemus
Pag. 249. aia corrige alia
Pag. 318. faciat cor. facias
Pag. 319. alii corrige aliti
Pag. 330. nocentiæ cor. nocenti te
Pag. 336. fortis cor. sortis
Pag. 337. excrssum cor. excessum
Pag. 344. incuri cor. incurii
Pag. 354. nescitur cor. noscitur
Pag. 368. civile cor. civilem
Pag. 368. si cor. sic

In Prima Secundæ continuatur. Tract. 2.

Pag. 4. alla cor. alia
Pag. 11. inde monstrabilia cor. indemonstrabilia
Pag. 12. officeris cor. efficeris
Pag. 20. vestram cor. nostram
Pag. 24. in actionem cor. inactionem
Pag. 30. sulæ corrige gulæ
Pag. 34. oælestis cor. cælestis NB. ibidem
Pag. 31. sine cor. sive ie cor. de
Pag. 32. Regsignatione cor. resignatione
Pag. 35. præste. cor. præstò
Pag. 36. Martyri cor. martyrio
Pag. 37. ejum cor. ejus.
pag. 46. thinum cor. thiminum
pag. 66. sine cor. sive
pag. 83. noscit cor. nescit
pag. 102. disgusta cor. disgustu
pag. 107. negligebas cor. negligebat
pag. 108. orasionis cor. orationis
pag. 117. proficimut cor. proficimus
pag. 123. suppresseret cor. suppresserat
pag. 146. iutus cor. intus
pag. 154. tota cor. nota
pag. 157. vel licet cor. vellicet
pag. 165. subjectivi cor. subjectivis
pag. 1 4. tolumnæ cor. columnæ
pag. 184. quotest cor. potest
pag. 188. suam cor. tuam
pag. 193. deterrimo cor. teterrimo

pag. 192.

pag. 192. pauperes cor. pauper es
pag. 215. portandi cor. protendi
pag. 259. discedimus cor. discedamus
pag. 260 dignus cor. pignus
pag. 294. lenitas cor levitas
pag. 296. â corrige ad
pag. 335. faite cor. facite
pag. 363. conciliis cor. consiliis
pag. 376. vindicatiau cor. vindicativa
pag. 403. Triduo cor. duo
pag. 403. Interiora cor. inferiora.
pag. 417. superveniat cor. subveniat.
pag. 423. cæmiterium cor. cœmeterium
pag. 459. magnitudinis cor. magnitudini
pag. 469. aperiat cor. aperiant
pag. 470. cum cor. cum
pag. 476. mutatum cor. mutuatum
pag. 480. imprudentes cor. imprudenter
pag. 482. orate cor. orare
pag. 483. educato cor. educati
pag. 492. patiente cor. patientes
pag. 499. habere cor. haberet
pag. 509. passionem cor. passionum
pag. 524. re inveniet cor. reinveniet
pag. 546. versantio cor. versans vel versando
pag. 552. secundû cor. secundò
pag. 568. auris cor. auri
pag. 580. intueris cor. intuearis
pag. 587. præpari cor. præparari
pag. 589. recuperauda cor. recuperanda
pag. 602. corporea cor. corporeo
pag. 609. viduat cor. violat
pag. 611. unam occidit cor. uriam
pag. 616. incuriosu cor. incuriosus
pag. 616. crescat cor. crescant
pag. 633. persona cor. profana
pag. 634. altereeris cor. altercceris
pag. 657. impuritas cor. impunitas
pag. 660. proximè cor. proximo
pag. 666. proximè cor. proximo
pag. 668. hominum cor. hominem
pag. 671. uxta cor. juxta
pag. 690. cumbatur cor. curabantur
pag. 700. retribue cor. retribuet
pag. 724. sua cor. suo
pag. 726. reflecteres cor. reflectere se
pag. 728. titutantes cor. titubantes
pag. 743. grata cor. grato
pag. 745. quod cor. quot
pag. 761. horsum cor. dorsum
pag. 765. tutisiandi cor. tuisandi
pag. 767. modestiam cor. molestiam
pag. 770. inducuto cor. inducito
pag. 773. detergeatur cor. detergatur
pag. 793. eos cor. eo
pag. 800. cæleffes cor. cælestes
pag. 829. profert cor. præfert
pag. 830. hinc cor. huic
pag. 833. lingvas cor. lingvis
pag. 842. alia cor. aliæ
pag. 843. qui iudetur cor. qui non videtur
pag. 868. viris cor. veris
pag. 869. damantis cor. damnatis
pag. 874. supera cor. supra.

Pars Tertia Theologiæ Spiritualis.

Pag. 8. nomenclatura cor. nomenclatur
pag. 11. simulis cor. similis
pag. 19. affectuum corrige affectivum & effectim
pag. 21. aër eas cor. aëreas.
pag. 22. corrumpti cor. corrumpit
pag. 25. communis cor. communes
pag. 32. S. Ludgardis dicitur instrumenta Passionis Dominicæ in corde expressa habuisse: quod non de S.Ludgarde, sed de B. Clara de monte Falco scribitur.
pag. 33 Summ. cor. summè
pag 40. modis cor. mediæ
pag. 53. virure cor. virtute
Ibidem claritas cor. charitas.
pag. 62. permissione cor. promissione
pag. 72. dum cor. dem.

pag. 91.



pag. 91. essentialis beatitudinis cor. essentiali beatitudini
pag. 116. filii filius
pag. 144. probabilius non est cor. probabilius non esse
pag. 148. quidem cor. quidam
pag. 162. fornica cor. formica
pag. 166. ut non omnes cor. ut nos omnes
pag. 189. fruenda… cor. fruendum.
pag. 204. Metphysico corrig. Mataphysicorum
pag. 206. potess cor. potest
pag. 221. creaturarum cor. creatarum
pag. 223. profere cor. proferre
pag. 239. congruti cor. congruas
pag. 244. cuncta cor. juncta
pag. 251. uva cor. una
pag. 261. folari cor. solari
pag. 263. subsidere cor. subdere
pag. 264. etrant cor. erant.
pag. 265. meus cor. mens
pag. 266. undi cor. unde
pag. 267. ipsimet cor. ipsemet
pag. 270. dominum cor. dominium
pag. 284. stabiloque cor. stabuloque
pag. 285. mundo mundi
pag. 291. à te cor. ad te
pag. 300. turbas cor. turba
pag. 307. Ecclesiastia cor. Ecclesiastica
pag. 309. desundans cor. desudans
Ibidem ut quis cor. ut quò quis
pag. 313. ipsi cor. ipso
pag. 314. debitos cor. deditos
pag. 324. quidquid cor. quid
pag. 321. possionis cor. possessionis
pag. 322. inimicos cor. inimicas
pag. 328. omni cor. omnia
pag. 332. reddu cor. reddis
pag. 356. trasvolet cor. transvolet
pag. 359. splendidos cor. splendidius
pag. 362. non ordine cor. cum
pag. 363. ignis cor. suis
pag. 381. objectuæ cor. objectivæ
pag. 387. obsequuii cor. obsequiis
pag. eadem traslato cor. translato
pag. 419. redditu cor. redditur
pag. 428. previdentæ cor. providentiæ
pag. 443. propositus cor. propositas
pag. eadem eterva cor. æterna
pag. 444. chantatis cor. charitatis
pag. 458. præbermitto cor. prætermitto
pag. 462. Domini cor. dominio
pag. 483. per cor. perfectior
pag. 487. at cor. ac.

Paradoxa & Specialia Theologiæ Spiritualis, potissimùm quæ concernunt Contemplationem seu Mysticam Theologiam, ad auctiorem perfectionem hujus Operis, ex probatissimis Authoribus vetustis & novis seliguntur. Quæ haberi poterunt in Typographia Monasterii Olivensis distantis uno lapide à Civitate Dantiscana seu Gedanensi in Prussia.

FINIS.



In Prima Secundae Partis
Fol.
160.

